CONSTITUTIONES
SYNODALES

Digitized by Google

CONSTITUTIONES

EDITÆ

AB EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO D. D.

JACOBO

Tum Tit. S. Praxedis, nunc Tit. S. Laurentii in Lucina S. R. E. Primo Presbytero CARDINALI ODDI

EPISCOPO VITERBIEN., AC TUSCANEN.

IN


DIOECESANA SYNODO

Habita in Cathedrali Eccleſia S. Laurentii Viterbii
Diebus VII. VIII., & IX. Novembris
A. D. MDCCLXII.



VITERBII MDCCLXIII.

EX TYPOGRAPHIA EPISCOPALI DOMINICI ANTONII ZENTI.





SANCTISSIMO D. N.

CLEMENTI XIII.

PONT. OPT. MAX.

JACOBUS CARD. ODDI EPISCOPUS VITERBIEN., ET TUSCANEN.

QUod mihi animo inſederat ex eo primum tempore, quo utramque hanc Sanctam Eccleſiam Viterbienſem,

& Tu-

& Tuſcanenſem, Dei nutu, regendam ſuſcepi, ut ſiquid in univerſa Diœceſi vel corrigendum in moribus, vel in diſciplina Eccleſiaſtica ſarciendum comperiſſem, non extemporaneis, ut ita dicam, & fugacibus tantummodo edictis remedium in re præſenti pararem, ſed perpetuis etiam legibus, ac ſtatutis, ex veteri more, inſtitutoque majorum, in Synodo Diœceſana promulgatis providerem; id tandem, PATER BEATISSIME, Deo favente, perfeci: ſollemnem utriuſque Cleri Viterbienſis, & Tuſcanenſis conventum habui: & collatis in commune conſiliis, poſt longam, maturamque deliberationem, Conſtitutiones edidi, quas, vel ad corruptelas exſtirpandas, quas pro humana fragilitate, & conditione temporum ſubortas eſſe videbam, vel ad eas præfocandas, quæ in poſterum ſuboriri poterant, opportunas eſſe judicaveram. Et quoniam ad Eccleſiam Romanam, cui magno Dei munere præſides, neceſſe eſt omnem Eccleſiam convenire, ut præclare dictum eſt (a) *a S. Irenæo, has ego Conſtitutiones Synodales ad Tuos beatiſſimos Pedes defero, non tam ut meas haſce qualeſcunque curas pro commiſſi mihi gregis cuſto-*

dia

(a) S. Iren. Lib. III. adverſ. hæreſ.

dia ſuſceptas ego Paſtorum minimus cum Summo Eccleſiæ Hierarcha, & Paſtorum Principe, cui omnium Eccleſiarum ſollicitudo incumbit, fidenter communicem; ſed ut judicium etiam, ac patrocinium Tuæ Sanctitatis implorem. Tanto autem ſecurius ad Te confugiunt hujus meæ Synodi Conſtitutiones, quod ad illas edendas non me novitatis amor, aut odioſæ reformationis ſtudium impulit; ſed id unum mihi propoſitum fuit, ut, cum hanc mei officii partem explere quam diligentiſſime ſatagerem, Dei gloriam, animarumque ſalutem unice procurarem. Itaque in hiſce meis Conſtitutionibus edendis, notiſſimis Prædeceſſorum meorum veſtigiis inſiſtens, ne latum quidem unguem a præclaris eorum inſtitutis diſceſſi; quæ ab ipſis provide, ſapienterque decreta fuerant, ſtudioſe confirmavi; & ſiquid novi (ita præſentium temporum conditione exigente) adjectum eſt, id totum ex puriſſimis fontibus petitum, ex Tuorum ſcilicet Prædeceſſorum Romanorum Pontificum, Tuique in primis, PATER BEATISSIME, Sanctiſſimis Conſtitutionibus, atque ex Decretis Sacrarum Congregationum, quæ ad tollendos abuſus, recteque conſtituendam Eccleſiaſticam diſciplinam variis temporibus pro-

dierunt

dierunt. Quapropter non ſatis intelligere me fateor, quo ſpiritu commoti aliqui ex meo Viterbienſi Clero Conſtitutiones iſtas non ſolum, ut ab amantiſſimi Paſtoris ſollicitudine profectas, grato animi ſenſu non exceperint, ſed etiam, quantum in ipſis erat, detrectare conati ſint; qui cum non unum, aut alterum caput, ſed univerſum opus obliterari percuperent, nec tamen, quid in ſingulis reprehenderent, dicere ſcirent, verendum erat, nequis eos exiſtimaret, non tam hoc, quidquid erat, Synodalium Sanctionum velle irritari, quam enervari vim omnem Eccleſiaſticæ poteſtatis, & gliſcentibus ubique morum corruptelis repagula tolli: ſimiles ægrotis illis, qui adeo ſuis malis opportuna adhiberi remedia indignantur, ut etiam Medicum, a quo ſanantur, abhorreant. Sed neque illos tantum facinus cogitaſſe cenſeo, neque Sanctitas Tua, datis æquiſſimis judicibus EE. PP., qui totum hoc negotium cognoſcerent, eorum querelas, & incauta conſilia diu paſſa eſt obſiſtere huic Conſtitutionum mearum promulgationi, extremis nimirum curis ad inſtituendum, & paſcendum gregem mihi commiſſum in hac mea ſenectute ſuſceptis. Quo quidem, non me unum modo, ſed Viter-

bien-

bienſem, & Tuſcanenſem Eccleſiam novo, ac ſingulari beneficio Tibi, PATER BEATISSIME, habes obſtrictam. Ita enim probi quique, ac prudentes interpretantur, ſiquos unquam fructus hujus S. Synodi ſanctiones in Eccleſiam, & populum Viterbienſem, & Tuſcanenſem afferre contigerit (ſpero autem, Deo votis meis favente, allaturas eſſe uberrimos) eos in primis Sanctitati Tuæ eſſe tribuendos, cujus providentia effectum eſt, ut prodeſſe poſſent quamplurimis. Patere igitur, PATER BEATISSIME, ut has ipſas Synodales ſanctiones editurus, non aliter, quam Tibi conſecratas, dicataſque emittam; & dum ego ad Beatiſſimos Pedes Tuos illas defero, ſic cogita, non id me ſolum agere, ut Sanctitati Tuæ munuſculum aliquod pro tot, tantiſque mihi collatis beneficiis offeram; ſed Sanctam Viterbienſem, & Tuſcanenſem Eccleſiam, cujus ſpiritum, animamque, ut ita dicam, in ſuis hiſce legibus, & inſtitutis expreſſam habemus, per me Sanctitati Tuæ ſiſti, & commendari. Sperat illa ſiquidem Tua gratia, & patrocinio adjuta, atque his ipſis legibus auguſtiſſimo nomine Tuo nobilitatis, Tuaque auctoritate ſuffultis, priſtinam, ac nativam Sanctitatem ſuam, ſi-

* * *qua*

qua in parte læſa eſt, reparari, & reſtitui; qua integra eſt, in poſterum omne tempus conſervari poſſe, & augeri. Non erit hoc primum beneficentiæ Tuæ erga illam monumentum; experta eſt enim, quam plena ſint pietatis, & charitatis paterni Tui cordis viſcera, ſive cum ægrotantibus fœminis, quæ ex navibus ad Centumcellarum portum depoſitæ, & quaſi projectæ neque hoſpitium, neque tectum habebant, commodum opportuno loco Noſocomium extruendum curaſti; ſive cum in civitate hac ipſa Viterbii nobiliſſimum pudicitiæ domicilium aperuiſti, amplioribus attributis ædibus, auctoque cenſu ad puellas orphanas excipiendas. Reliquum eſt igitur, ut novo hoc, quod ſupplex peto, beneficio cumulatus; quoniam pro Tua ſpectatiſſima, ſingularique in me, gregemque meum beneficentia, pares Beatitudini Tuæ gratias referre non poſſum, Deum Optimum Maximum obteſter, enixeque obſecrem, ut diu Te incolumem Eccleſiæ univerſæ, ſoſpitemque conſervet; atque interim ad Sanctiſſimos Tuos provolutus Pedes, eos humillime deoſculer.

INDI-

INDICTIO
SYNODI DIOECESANÆ
JACOBUS

Tituli S. Praxedis S. R. E. Presbyter Cardinalis ODDI Miſeratione Divina Epiſcopus Viterbienſis, & Tuſcanenſis

Univerſis, & ſingulis Chriſtifidelibus Civitatum, & Diœceſis noſtræ gratiam, & ſalutem in Domino ſempiternam.

JAndiu optabamus Sanctorum Patrum inſtitutis obſequentes, & Tridentini Concilii monitis obtemperantes, Diœceſanam Synodum cogere, per quam una Nobiſcum univerſus Clerus in vinculo pacis concurrens, effectique unum corpus, & unus ſpiritus, velut agmine facto, vitiis, ac depravatis moribus Sacrum bellum indiceremus. Et quamquam per Sacras Viſitationes ſæpius habitas vultum pecoris noſtri diligenter agnoſcentes, noſtroſque greges conſiderantes, ſi quæ in populum reprehendenda irrepſerant, corrigere, & paſtorali ſollicitudine per plura Edicta coercere non deſtiterimus; attamen adhuc magnam Epiſcopalis muneris partem in Nobis deſiderari arbitrabamur, niſi ea, quæ ſparſim, ac ſeorſim ſuccreſcentibus in dies abuſibus, & corruptelis remedia adhibuimus, advocatis in adjutorium vigilantiæ noſtræ Venerabilibus Fratribus, aliiſque in hæreditatem, ſortemque Domini adlectis, in unum quaſi acervum colligeremus, quo firmius, perpetuumque robur temporariis proviſionibus per Legis promulgationem accederet. Id animo perpendentes, & attenta mentis conſideratione verſantes, licet pluribus diſtenti graviſſimis curis tam grande negotium huc uſque perficere omiſerimus, dato nunc aliquo modicæ quietis otio, non diutius differre judicavimus.

Diœceſanam igitur noſtram Synodum ad diem VII. Novembris, primam ejuſdem menſis Dominicam, duoſque alios inſequentes dies anni labentis indicimus, Deo adjuvante, celebrandam. Monemus proinde, atque in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pœnis per Sacros Canones ſancitis, aliiſque arbitrio noſtro infligendis præcipimus, ut omnes, & ſinguli Dignitates, & Canonici utriuſque Cathedralis, & Collegiatarum qua-

rumcumque univerſæ noſtræ Diœceſeos, item Parochi omnes, & Presbyteri, Clericique etiam in minoribus Ordinibus conſtituti, tam Seculares, quam Regulares quomodolibet exempti, qui juriſdictioni noſtræ etiam delegatæ ſubſunt, quique de jure, vel conſuetudine intereſſe ſolent, ac debent, præfata Dominica die per ſe ipſos, vel (ſi juſto fuerint impedimento a Nobis probando detenti) per legitimos Procuratores, mane poſt Divina officia, in Eccleſiam noſtram Cathedralem S. Laurentii Viterbii conveniant, nec a Civitate diſcedere audeant, niſi abſoluta Synodo, & Benedictione a Nobis impertita.

Accedant autem omnes mundis ſuperpelliceis, vel Sacris Veſtibus, vel Choralibus inſignibus reſpective, ut moris eſt, induti. Rectores autem Parochialium ſuperpelliceo imponant ampliorem Stolam, quam ex aurea lamina efformatam in omnibus Sacris functionibus, & ſupplicationibus ab iis in poſterum ſemper deferri mandamus in ſignum, quo dignoſcantur ab aliis. Ipſi autem Parochi, & quibus animarum cura commiſſa eſt, proprias interim oves, tempore abſentiæ durante, alicui probo, & idoneo Sacerdoti per Nos tamen approbando commendent.

Quia vero omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum, qui iis, qui poſtulant ſapientiam, dat affluenter, omnes Chriſtifideles Nobis ſubjectos hortamur, ut piis obſecrationibus Divinam in re tanti momenti Nobis opem impetrare ſatagant. Populo præeant Eccleſiaſtici, præſertim Sacerdotes, quibus mandamus quotidie in Miſſa (niſi duplex primæ, vel ſecundæ claſſis occurrerit) recitandam Collectam de Spiritu Sancto; & qualibet Feria V. juxta Miſſalis Rubricas non impedita, Miſſam pariter de Spiritu Sancto votivam eſſe celebrandam.

Utque opus tam pium majore cum fructu peragatur, Nos a SS. D. N. CLEMENTE XIII. feliciter Regnante Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam, & remiſſionem impetravimus ab iis ſemel tantum aſſequendam, qui vere Pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti præfatam Eccleſiam S. Laurentii die, qua Synodus inchoabitur, atque in omnibus, & ſingulis actualis illius celebrationis diebus devote viſitaverint, ibique pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint; ad cujus Indulgentiæ conſecutionem a ſingulis Parochis noſtræ Diœceſis hortandos eſſe enixe omnes Chriſtifideles mandamus, per denunciationem tribus feſtis diebus ante Synodi initium inter Miſſarum ſolemnia faciendam.

Volumus autem, ut hæc Synodi indictio valvis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium affixa omnes arctet, & afficiat, ac ſi cuivis ſigillatim exhibita, atque ſignificata fuiſſet. Datum Viterbii ex noſtro Epiſcopali Palatio apud S. Laurentium Kalendis Septembris MDCCLXII.

J. Card. ODDI Epiſc. Viterb., & Tuſc.

Vincentius Morgna Cancell. Epiſc.

ALLO-

ALLOCUTIO

EMINENTISSIMI, ET REVERENDISSIMI DOMINI

CARDINALIS EPISCOPI

AD CLERUM IN DIOECESANA SYNODO CONGREGATUM.

QUod eſt in more poſitum, inſtitutoque patrumfamilias, ut cum ſibi ex hac fragili, caducaque vita brevi migrandum eſſe intellexerint, familiam univerſam arceſſant, eique graviſſimis verbis monitorum ſeriem, quæ ad vitam recte inſtituendam ſæpe ejus auribus inſtillarunt, in memoriam reducant, quo altius ejus animis defigantur; idem propemodum, Venerabiles Fratres, Filiique in Chriſto dilectiſſimi, Nobis ad hunc ſpectabilem, frequentiſſimumque cœtum Clerum noſtrum convocantibus, uſuvenire animadvertimus. Nam cum eo Nos ætatis Clementiſſimus Deus perduxerit, quo Nos perventuros non putabamus; muneri noſtro Nos defuturos arbitraremur, niſi, priuſquam ex fluxæ hujus vitæ ſtatione decedentes, univerſæ terræ viam (*a*) ingrediamur, univerſis, quos noſtra Paſtoralis cura complectitur, Conſtitutiones Synodales proponeremus. Scimus ſane, ad reformandos mores, & ad eccleſiaſticam diſciplinam inſtaurandam, atque ad divinum cultum reparandum, multa ſapienter a Prædeceſſoribus noſtris edita eſſe, & conſtituta ſalubriter. Quare non deerunt fortaſſe, qui hæc indicta comitia, ſi minus inutilia, at non neceſſaria fuiſſe, dicant. Sed quoniam experientia compertum ſatis eſt, quantumvis electa ſemina ſparſeris, agrum tamen ſubinde

 repur-

(*a*) Joſue. 23. 14., 3. Reg. 2. 2.

repurgari , atque ſuccreſcentes noxias herbas evelli oportere ; ſic quamvis optimas leges indefeſſa condiderit, ſolerſque vigilantia Paſtorum, nihilominus , cum humana natura prona ſit ad malum (*a*) ab adoleſcentia ſua, abuſus paulatim irrepunt , & niſi iterata Synodorum celebratione editis olim conſtitutionibus novus addatur vigor , ſenſim neglectæ pene obſoleſcunt, & in deſuetudinem abeunt . Faciemus itaque , quod periti rerum ruſticarum agricolæ ſolent, qui vetuſtate effœtas, & dilabentes vites, ut feraciores reſurgant, atque uberiores fructus ferant, curvant propagine, iterumque depangunt : ad coercendam ſiquidem improborum licentiam, ad reſtituendum moribus candorem, & ad excitandum in omnibus religionis ſtudium , Prædeceſſorum noſtrorum decreta , præſentibus accomodata temporibus , recudimus , iterumque ſancimus : & nonnulla etiam ex nuperrimis Summorum Pontificum Conſtitutionibus deprompta, ut par eſt, addenda eſſe judicavimus. Atque utinam omnes noſtræ curæ commiſſos eo ſtudio incenſos videremus: jure Nobis gratulari poſſemus: facile enim Nobis perſuaſum haberemus , Nos brevi æquiſſimi deſiderii noſtri compotes fore. Sed quoniam tam grave negotium perfici, & ad optatum finem ſine adjutrice opera veſtra perduci non poteſt, Venerabiles Sacerdotes, ad vos potiſſimum allocutione noſtra convertimur . In vobis præſertim hæc ſita res eſt : Nos enim Apoſtolicum (*b*) ſalem Dominus miſit: condire ergo mentes Fidelium debemus; & tunc vere aliis recta prædicamus , ſi dicta rebus , & operibus oſtendimus . Meminerimus , nos eſſe Miniſtros Chriſti , & diſpenſatores (*c*) myſteriorum Dei: demus igitur operam, & caveamus , nequid in Nobis appareat , quamobrem vituperetur (*d*) miniſterium noſtrum, neve ſimus ſæcularibus (quod omen avertat Deus) lapis (*e*) offenſionis, & petra ſcandali . Caveamus, nequis noſtrum eximio Eccleſiæ Doctori , & Pontifici Sancto Gregorio cauſam præbuiſſe videatur, quare dolenter mœrorem animi ſui hiſce verbis expreſſerit . Nullum (*f*) puto , inquit, ab aliis majus præjudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit: quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus: nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidie ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mente captamus . Meminerimus (*g*) nos lucem mundi, & Dei adjutores in ſacris paginis eſſe appellatos : ſic igitur luceat

(*a*) Geneſ. 8. 21.
(*b*) Matth. 5. 13.
(*c*) 1. Corinth. 4. 1.
(*d*) 2. Corinth. 6. 3.
(*e*) 1. Petr. 2. 8.
(*f*) Gregor. homil. 17. in Lucæ 10.
(*g*) Matth. 5. 14, 1. Corinth. 3. 9.

ceat (*a*) lux noſtra coram hominibus, ut videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt: neve jaceant diſperſi (*b*) lapides Sanctuarii in capite omnium platearum, ſed ad animarum ſalutem, quas pretio ſanguinis ſui redemit amantiſſimus Reparator noſter, unuſquiſque pro ſuis viribus operam ſtudioſiſſime impendat; ut (*c*) cum apparuerit Princeps paſtorum, & Epiſcopus animarum noſtrarum, bonis operibus nos intentos reperiat, & in ſocietatem adſciſcat electorum ſuorum: ubi immarceſcibili donati corona, fructum obſequentis, gratique animi percipiamus ſempiternum.



OFFI-

(*a*) Matth. 5. 16. (*b*) Thren. 4. 1. (*c*) 1. Petr. 2. 25.

OFFICIALES SYNODI

JUDICES QUERELARUM

Pro Civitate Viterbii, & Diœceſi.

CYnthius Ferdinandus Paitelli J. U. D. Vicarius Generalis.
Ferdinandus Scaglioni Archipr. Cathedralis S. Th. P.
Nicolaus Parrochetti Canonicus ejuſd. Cathedralis J. U. D.
Cyrus Cheroſini Canonicus dictæ Cathedralis S. Th. P.

In Civitate Tuſcanellæ.

Jacobus Fœlix Sarnani J. U. D. Prior Colleg. S. Mariæ Majoris, Vicarius Generalis.
Joſeph Dottarelli Primicerius Cathedralis J. U. D.

PROMOTOR SYNODI.

Antonius Cinquini Canonicus Cathedralis Viterbii J. U. D.

SECRETARIUS.

Petrus Pius Mariani Canon. dictæ Cathedralis S. Th. P.

COADJUTOR SECRETARII.

Petrus Morgna Beneficiatus ejuſdem Cathedralis.

PROCURATOR CLERI.

Nicolaus Parrochetti Canonicus dictæ Cathedralis J. U. D.

PRÆFECTI HOSPITIORUM.

Pompejus Primomi dict. Cathedr. Canon. Curatus.
Petrus Veltri dict. Cathedr. Canonicus.
Antonius Petrucci dict. Cathedr. Canonicus.
Philippus Pettiroſſi Canonicus Colleg. S. Xyſti Viterbii,
Blaſius Froſini Canonicus Colleg. S. Angeli de Spata.

CONFESSARII CLERI.

Joannes Franciſcus Palmerini Canonicus Pœnitentiarius antedictæ Cathedr. Viterbii, Doctor Theologus.
Aloyſius Tabaneli Canon. Theologus ejuſd. Cathedr. S. Th. D.
Sebaſtianus Zazzara Archipresb. Colleg. S. Xyſti.
Benedictus Biſciari Canon. Colleg. S. Angeli de Spata.
Valentinus Giuſti Canon. Curatus Colleg. Ss. Fauſtini, & Jovitæ.
Petrus Paulus Vittorj Prior Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ Novæ.
Paſchal Giannotti Rector Parochialis Ss. Marci, & Silveſtri Tuſcanellæ.

LECTO-

LECTORES SYNODI.

Petrus Morgna Beneficiatus Cathedr. Viterbii.
Julius Fanelli Beneficiatus ejuſd. Cathedralis.
Marianus Titioni Beneficiatus Eccleſiæ Colleg. S. Xyſti.
Jo. Petrus Santori Beneficiatus Colleg. S. Angeli.

NOTARII SYNODI.

Vincentius Morgna Cancellarius Epiſcopalis Curiæ.
Philippus Tardi Subſtitutus.

SUPERINTENDENS CÆREMONIIS,

Aliiſque præparandis pro Synodo.

Jo. Franciſcus Palmerini Canon. Pœnitentiarius Cathedr.

CÆREMONIARII SYNODI.

Carolus Romagnoli Cæremoniarius Eminentiſſimi Card. Epiſcopi.
Carolus Denzi Cæremoniarius Cathedral. Viterbii.

COADJUTORES CÆREMONIARIORUM.

Valentinus Siracuſi Beneficiatus Colleg. S. Xyſti.
Vincentius Bordoni Sacerdos Viterbien.
Aloyſius Carletti Clericus.

OSTIARII.

Franciſcus Antonius Morgna.
Auguſtinus Gnazza.
Jo. Baptiſta Conſtantini.
Thomas Marti.

CENSORES LIBRORUM

Tam imprimendorum, quam evulgandorum.

Cyrus Cheroſini S. Th. P.	Canonici Eccleſiæ Cathedralis Viterbii.
Antonius Cinquini J. U. D.	
Jo. Franciſcus Palmerini S. Th. D.	
Aloyſius Tabanelli S. Th. D.	

INDEX

INDEX
TITULORUM, ET CAPITUM.

Titulus Primus.

De Catholica Fide, & Chriſtianis moribus.

Cap. I.	*De Fide, ejuſque profeſſione,*	pag. 1.
	& Jurejurando.	7.
Cap. II.	*De verbi Dei prædicatione,*	9.
	ac Doctrina Chriſtiana.	12.
Cap. III.	*De Collatione Caſuum Conſcientiæ, ac Sacrorum Rituum.*	18.
Cap. IV.	*De Blaſphemis, & Ebrioſis.*	22.
Cap. V.	*De Concubinariis, Meretricibus, aliiſque id genus vitioſis.*	25.
Cap. VI.	*De uſuris, & illicitis contractibus.*	28.

Titulus Secundus.

De Sacramentis, Sacramentalibus, & Sacris.

Cap. I.	*De Sacramentis, tum de Baptiſmo, & Confirmatione.*	35.
Cap. II.	*De SS. Euchariſtiæ Sacramento,*	42.
	ac Miſſæ Sacrificio.	57.
Cap. III.	*De Pœnitentiæ Sacramento,*	67.
	& caſibus reſervatis.	79.
Cap. IV.	*De Extremæ Unctionis,*	84.
	atque Ordinis Sacramentis.	88.
Cap. V.	*De Matrimonii Sacramento.*	95.
Cap. VI.	*De Sacramentalibus, Sacris Reliquiis, & Imaginibus.*	101.

Titulus Tertius.

De Cultu Dei, & Sacrorum diſciplina.

Cap. I.	*De Feſtorum obſervatione.*	106.
Cap. II.	*De Sacris Jejuniis.*	112.
Cap. III.	*De Eccleſiarum reparatione, veneratione, & Immunitate.*	115.

Cap. IV.

Cap. IV.	*De Bonis Eccleſiaſticis, & eorum adminiſtratione.*	122.
Cap. V.	*De Miſſarum oneribus, ac Legatis Piis.*	130.
Cap. VI.	*De Sacris Proceſſionibus,*	133.
	Funeribus, & Sepulturis.	137.

Titulus Quartus.

De Eccleſiaſticis, Deoque dicatis perſonis, ac locis piis.

Cap. I.	*De vita, & honeſtate Clericorum,*	147.
	& de Seminario.	153.
Cap. II.	*De Capitulis, & Canonicis*	
	§. I. *De Canonicorum reſidentia.*	155.
	§. II. *De Chori diſciplina, & Punctaturis.*	160.
	§. III. *De Congregationibus Capitularibus.*	170.
Cap. III.	*De Parochis.*	173.
Cap. IV.	*De Monialibus, & Conſervatoriis Puellarum.*	182.
Cap. V.	*De Regularibus, Tertiariis, aliiſque exemptis, ac de Eremitis, & eleemoſynarum Quæſtoribus.*	197.
Cap. VI.	*De Confraternitatibas, Hoſpitalibus, & Montibus, tum Frumentariis, tum Pietatis.*	203.
Cap. VII.	*De Foro Eccleſiaſtico, & Cancellaria Epiſcopali.*	208.
Cap. VIII.	*De Conſtitutionibus Synodalibus.*	214.
	Judices Synodales.	216.
	Examinatores Synodales.	ibid.
	Teſtes Synodales.	217.
	Rogitus Notarii.	ibid.
	Edictum publicationis Synodi.	219.
	Series Chronologica Synodorum Viterbienſium.	220.

INDEX

INDEX APPENDICIS.

I. §. I.	EDitto del S. Offizio.	pag. I
§. II.	*Sommario della Bolla della Cena, ed il cap.* XI. *del Concilio Tridentino ſeſſ.* 22.	III
II. §. I.	*Inſtruzione per la Dottrina Criſtiana.*	V
§. II.	*Formula juramenti a ludi Magiſtris emittendi.*	VI
§. III.	*Formula degli Atti di Fede, Speranza, Carità, e Contrizione.*	VII
III.	*Particola della Circolare, Regole, ed Indulgenze per gli Confratri Correttori della Beſtemmia.*	ibid.
IV.	*Synopſis Edicti contra defloratores.*	X
V.	*Synopſis Cæremonialis parvi pro minoribus Eccleſiis in triduo majoris hebdomadæ.*	XII
VI.	*Decretum ſuper Communione quotidiana.*	XVIII
VII.	*Particula Encyclicæ Bened. XIV. incipien.* Ex omnibus.	XX
VIII.	*Indulgenze per chi accompagna il SS. Viatico.*	XXI
IX.	*Decreta S. C. C. eximentia Canonicum Pœnitentiarium ab Officiis Capitularibus.*	XXII
X.	*Ritus impartiendi morituris Pontificiam Benedictionem.*	ibid.
XI.	*Benedictio contra vermes noxios.*	XXIII
XII.	*Decretum contra Hæredes Beneficiatorum non reparantium bona Beneficiorum.*	XXV
XIII.	*S.C.C. decreta ſuper pio legato Guglielmini in oppido Balneariæ.*	ibid.
XIV.	*Formula juramenti a novo Canonico in Capitulo emittendi.*	XXVI
XV.	*Nonnulla S.C.C. decreta ad varias Synodi materias pertinentia.*	XXVII
XVI.	*Juramentum emittendum per Officiales a Capitulo electos.*	XXIX
XVII.	*Lettera della Sac. Congr. ſopra le decime.*	ibid.
XVIII.	*Modo per dar l'abito alle Monache.*	ibid.
XIX.	*Editto per le Confraternite, ed altri luoghi Pii.*	XXX
XX.	*Synopſis Conſtitutionis Benedicti XIV. ſuper damno dato.*	XXXIV
XXI.	*Breve Gregorii XV. ſuper viſitatione Carceratorum Curiæ Epiſcopalis Viterbii.*	XXXVII
XXII.	*Taſſa additizia all' Innocenziana.*	ibid.
	Tavola del ſuono de' Divini Offizj.	XXXIX
	Tavola de' Giorni Priorali.	XL
	Formola de' Teſtamenti da rogarſi dal Parroco &c.	XLI

IN

IN NOMINE
SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.
TITULUS PRIMUS
De Catholica Fide, & Chriſtianis moribus.
CAPUT PRIMUM
De Fide, ejuſque profeſſione, & Jurejurando.

QUI *ex Fide ſunt, benedicentur cum fideli* (1) *Abraham.* Dulciſona hæc Pauli verba Nobis argumentum ſuppeditant, quo oves noſtras primum allocuturi, ipſis æternam cum fideli Abraham benedictionem, atque hæreditatem adprecemur, ſi in ea, per quam genitæ ſunt, Fide vigilantes ſtabunt.

I. Hanc autem Fidem, ſine qua impoſſibile (2) eſt placere Deo, Parochi præ cæteris, & Confeſſarii omnes etiam Regulares exquirere tenentur ab iis, qui Abſolutionis beneficium in Sacramentali Confeſſione poſtulant; memores, capaces non eſſe (3) Sacramenti Pœnitentiæ eos, qui Myſterium SS. Trinitatis, Dei remuneratoris, atque Incarnationis neſciunt, neque ſatis eſſe, ſi illa myſteria ſemel credita ſint. Eos proinde, qui hac ignorantia laborare compererint, abſolutione Sacramentali vacuos dimittent, quia invalida foret prorſus, ſi ignorantibus articulos Fidei neceſſarios neceſſitate *medii* impartiretur.

 II. Sin

(1) *Galat.* 3. 9.
(2) *Hebr.* 11. 6.
(3) *Prop.* 64., & 65. *damn. a Ven. Innocent. XI.*

II. Sin autem ignorantia hæc verſaretur circa ea, quæ neceſſitate *præcepti* neceſſaria ſunt, videlicet circa Symbolum Fidei, ſaltem pro rudioribus in ſubſtantia, ſignum ſanctæ Crucis, Orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, Sacramenta præcipue omnibus adultis neceſſaria, ac Decalogi, Eccleſiæque præcepta, tunc in aliud tempus rejicienda erit (1) abſolutio, donec didicerint hæc omnia, quæ vitio ſuo neſciunt; & ſi quandoque, raro admodum caſu, ipſos abſolvere neceſſe foret, nullatenus id præſtetur, niſi iidem ſe vincibilis hujus ignorantiæ reos agnoſcentes (2), & intime dolentes, tum a Deo veniam precentur, tum Confeſſario ſerio promittant, operam ſe impenſe daturos, qua divinæ gratiæ præſidio diſcant etiam hæc, quæ neceſſitate *præcepti* ſunt neceſſaria. Quocirca Parochos omnes, & Confeſſarios ſerio monemus, & enixe in Domino hortamur, ut quoties aliquem Pœnitentem ad Sedem Confeſſionalem accedere conſpexerint, qui hujuſmodi ignorantiæ ſuſpicionem ingerat, (iique ut plurimum ſunt ruſtici, villici, populareſque homines) toties opportuna interrogatione, vel inſtructione ſecuri fiant; alias Divinum eis judicium interminamus, tanquam in perpetratione ſacrilegii complicibus.

III. Præcipue vero animarum paſtores admonemus, ne Matrimonio (3) jungant eos, qui, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ignorant. Qua ſuper re, quum hactenus ſervatum ſit, ut poſt inceptas Matrimonii publicationes Parochi ad examen contrahentium proceſſerint, hincque tumultus, & querelæ emerſerint, ſi quando minus capaces a ſacro conjugio ineundo retardaverint, cum jam omnia erant parata; Nos ad præcludendum quibuſcumque expoſtulationibus aditum, diſtricte præcipimus (4), ne ullus Parochorum ad proclamationem aliquam deveniat, niſi prius uterque e ſponſis examen ſubierit, & ſcriptum proprii Parochi teſtimonium attulerit circa ſufficientem rerum Fidei ſcitu neceſſariarum peritiam. Eadem lex in Curiis noſtris ſervetur; ne videlicet in poſterum matrimonii ineundi decretum expediatur, aut denunciationum faciendarum præceptum emanetur ſine prævio reſpectivi amborum contrahentium Parochi teſtimonio. Qui ſecus fecerint, tam Cancellarii noſtri, quam Parochi, Vicariique nedum Nos, ſed & Deum habebunt ultorem exitialis hujus incuriæ, per quam de parentibus in filios damnabilis hæc Fidei ignorantia traducitur.

IV. „ Unum tamen hic opportune advertendum, ne videlicet Paro-
„ chi

(1) *Bened. XIV. Conſt.* Etſi minime *ann.* 1742. §. Omnes denique.
(2) *Conſt. cit. l. c.*
(3) *Ead. Conſt.* §. Si autem.
(4) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *cap.* 29. *n.* 3. *ibique decret. Innoc. XII. anno* 1697. *confirmat. a Clem. XI.*

„ chi nimis in aſperitatem deflectant erga eos (1), qui hebetis ſunt inge-
„ nii, exiliſque memoriæ. Hi enim non debent perpetuo arceri a Matri-
„ monio, quod eſt inſtitutum in officium naturæ, & propterea nemini
„ ſine propria culpa eſt denegandum; curandumque eo caſu, ut qui eo
„ ingenii, memoriæque defectu laborat, aliquo ſaltem rudi modo perci-
„ piat, quæ neceſſitate præcepti ſunt addiſcenda, frequenterque audiat,
„ quæ ſemel craſſe didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur.

V. Eadem ſollicitudine Parochi invigilent pueris, adoleſcentibuſque, qui ad Sacram Euchariſtiam, & Confirmationem admitti (2) poſtulant. Proinde iiſdem Parochis pari diſtrictione mandamus, ne quis eorum Sacrum Euchariſtiæ Sacramentum primo adminiſtret, & *Schedulam*, ut ajunt, pro Confirmatione ſuſcipienda iis tradat, qui graviora Fidei, & doctrinæ capita, & Sacramenti virtutem, & vim ignorant.

VI. Non ſolum autem corde credendum, ſed & ore confeſſionem Fidei faciendam ad ſalutem, monet (3) Apoſtolus. Orthodoxæ proinde Fidei profeſſionem, quam Nos ipſi non ſemel jurati exhibuimus, omnes, & ſinguli de Clero, qui recens Sacris Ordinibus initiati, aut de Beneficiis Eccleſiaſticis proviſi in ſuperiore Synodo eam non emiſerunt, ſub forma Conſtitutionis Pii IV. (4) per Secretarium Synodalem prælegenda, in manibus noſtris emittant. Præterea ii omnes, qui tum (5) ex Tridentino, tum ex Romano (6) ſub Bened. XIII. Conciliis adiguntur, quique in poſtrema Diœceſana Synodo (7) numerantur, omnino ad ejuſdem profeſſionis actum publicum faciendum coram Nobis, vel Vicario noſtro Generali accedant infra bimeſtre ſub infraſcriptis pœnis, quæ quia hactenus non expreſſe ſtatutæ, ſed Epiſcoporum arbitrio relictæ ſunt, in cauſa fuerunt, cur Apoſtolicæ Sedis præcepta integram hac in parte obedientiam non obtinuerint.

1. Dignitates, ac Canonicatus obtinentes in Cathedralibus infra bimeſtre poſt adeptam poſſeſſionem tum in manibus noſtris, vel Vicarii noſtri Generalis, tum in Capitulo; alias fructus non faciant ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur, quam pœnam etiam ſine hominis declaratione incurri jam ſancivit Sac. Conc. Congr. (8); ac proinde quoslibet eorum, qui infra præfatum tempus profeſſionem Fidei non emiſerunt, ad reſtitutio-

A 2 nem

(1) *Bened. XIV. de Syn. loc. cit. n.* 6.
(2) *Conſt. cit.* Et ſi §. Ut autem.
(3) *Rom.* 10. 10.
(4) *Conſt. Pii IV.* Injunctum *an.* 1564.
(5) *Trident. cap.* 2. *ſeſſ.* 3., & 25. *de Ref.*
(6) *Conc. Rom. tit.* 1. *cap.* 1.
(7) *Syn. Abbati pag.* 3.
(8) *S. C. C. in Saguntin.* 18. *Apr.* 1590. *ap. Barboſ. in Sum. Apoſt. V.* Profeſſio Fidei *num.* 7. & *Lambertin. Inſt.* 60. *num.* 15.

nem omnium fructuum perceptorum illico in conſcientia obligatos eſſe decernimus; eoſque fructus, ſi Dignitatum, Canonicatuumque extra maſſam extiterint (1), Fabricæ Eccleſiæ Cathedralis; ſin autem de maſſa fuerint, beneficio ejuſdem maſſæ *a die captæ poſſeſſionis* abſque alia ſententia ex nunc applicamus.

2. Beneficia cum animarum cura habentes, poſt ipſorum poſſeſſionem, infra idem tempus in manibus tantummodo noſtris, vel Vicarii Generalis ſub eadem pœna abſque alia ſententia incurrenda, & Parochialis ejuſdem Fabricæ (2) ut ſupra, tenore præſentis Conſtitutionis per Nos nunc applicata.

3. Coram Nobis, vel Vicario eodem tantum ad eumdem actum obligantur ex præfato Romano Concilio proviſi omnes de Beneficiis quibuſcumque tam ſimplicibus, quam perſonalem reſidentiam requirentibus infra idem temporis ſpatium. Pœnam autem, ex eodem Concilio arbitrio noſtro ſtatuendam, decernimus parem eſſe illi, quam ex Tridentino pro Canonicis Cathedralis enunciavimus; videlicet, ut elapſo bimeſtri fructus omnes perceptos ſine alia declaratione reſtituere teneantur reſpectivis Eccleſiarum, quibus ea Beneficia adſcripta ſunt, Fabricis applicandos.

4. Tandem novi Vicarii tam Generales, quam Foranei; Procuratores, & Promotores Fiſcales Curiæ noſtræ, ejuſdemque Cancellarii, ceterique miniſtri; novi concionatores, etiam Regulares, cum prima vice in noſtra Diœceſi prædicare incipiunt, novique Confeſſarii etiam Monialium. Item publice, vel privatim docentes Theologiam, Philoſophiam, Canonicum, aut Civile jus, vel inferiores quaslibet diſciplinas, etiam Grammaticam; ac Medici, & Chirurgi cum primum in noſtra eadem Diœceſi ſuum munus exercent; ſub pœna, quoad Regulares, ſuſpenſionis ab officio, & quoad alios omnes, & ſingulos, aureorum trium, quos noſtræ hujus Cathedralis Fabricæ aſſignamus.

VII. Declarantes, profeſſionem Fidei (3) emiſſam pro una ex his cauſis, aut pro uno Beneficio ad præſens poſſeſſo repetendam eſſe ſuperveniente alia diverſa cauſa, aut alio quocumque Beneficio de novo poſſidendo; etiamſi novum hoc ejuſdem generis fuerit cum primo, atque in eadem Eccleſia; eamque ſemper per ſe, non per procuratorem (4) emittendam: ad quam tamen non teneri (5) Coadjutorem niſi poſt novam coad-

(1) *Lambert. loc. c. n.* 14.
(2) *cit. Inſt. num.* 12. 13., & 14.
(3) *S. C. C. ap. Garziam de Benef. par.* 3. *cap.* 3. *num.* 17.
(4) *S. C. C. in Cathacen.* 6. *Febr.* 1726.
(5) *Garzias l. c. n.* 16., *Barboſa &c.*

coadjuto defuncto poſſeſſionem decernimus; ſicuti etiam ad eam repetendam pro Beneficiis actu poſſeſſis non arctamus eos omnes, qui in hac Synodo eam emiſerunt.

VIII. Ut contra inobedientes procedi poſſit ad ſtatutæ pœnæ exactionem præcipimus, ut novus conficiatur Codex in Cancellaria noſtra aſſervandus, ad hunc tantum effectum comparatus, in quo deſcribantur nomina, & cauſa eorum, qui coram Nobis, aut Vicario noſtro Fidei profeſſionem emiſerunt, adhibitis ſemper duobus teſtibus cum indicatione diei, & anni. Similis Codex in noſtris Cathedralibus conficiatur pro iis, qui etiam in Capitulo eamdem Profeſſionem emittere tenentur, ſtatuta contra Camerarios, qui in eo libro ſtatim comparando, aut deſcribendo negligentes fuerint, aureorum trium pœna pro qualibet vice, earumdem Cathedralium Fabricæ applicanda.

IX. Ad hujus Fidei puritatem ſervandam, meminerint cuncti Chriſtifideles, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sacro Inquiſitionis Tribunali reſervatæ denunciandos eſſe omnes hæreticos, aut quovis modo de Hæreſi ſuſpectos juxta Edictum S. Officii, quod qualibet prima Adventus, primaque Quadrageſimæ Dominica die Parochi omnes populo perlegant, explicentque, Deo, & Nobis rationem redditurі, ſi etiam unica vice id facere neglexerint, quod Edictum idcirco damus in Appendice Num. 1.

X. Quinam vero potiſſimum ſuſpecti de hæreſi habeantur ex illius Sacri Tribunalis praxi, neceſſarium hic duximus enumerare pro Parochorum, Confeſſariorumque inſtructione, ut utrique tam in explicando, quam in jubendo denunciationis onere non aberrent. Præter eos, qui in ſupra relato Edicto nominantur, ſuſpectorum hujuſmodi ſequentia ſunt potiora indicia. I. Si quis ſaltem ſemel in anno peccata ſua confiteri, & Paſchalem (1) Communionem ſuſcipere neglexerit; Dominicis, aliiſque feſtis diebus de præcepto Miſſam non audire conſueverit; vel temporibus vetitis carnes comederit publice, vel privatim bene valens. II. Si quis Sacramenta, Sacramentalia, Indulgentias, ſuffragia mortuorum, Campanas, rituſve Eccleſiaſticos ſpernat, vel irrideat. III. Infringentes cedulones, in quibus aliqui declarantur excommunicati; & ii, qui per annum (2) in excommunicatione, cenſuriſque inſordeſcunt. IV. Si quis aſſerere non dubitaverit (3), uſuram non eſſe peccatum. V. Si quis falſum teſtimonium ferat (4) in cauſis Fidei. VI. Si quis teſtes in cauſis Fidei, aut denunciantes

(1) *Fagn. in V. Decret. c.* Omnis utriuſque *de Pœnitent., & Remiſ. n.* 44.

(2) *Trident. ſeſſ.* 25. *de ref. c.* 3.

(3) *Clem. de Uſuris c. un.* §. ſane.

(4) *Leo X. Conſt.* 29. Intelleximus.

tes (1) offendit; ſeu eoſdem teſtes, aut inquiſitos in cauſis Fidei auſus fuerit inſtruere de veritate neganda, aut falſitate dicenda; ſeu reos, aut ſuſpectos Fidei occultet, adjuvet, recipiat, protegat, vel capi prohibeat, vel juriſdictionem Eccleſiaſticam impediat. Poſtremo ad ſortilegorum, & incantatorum genus rediguntur ii, qui Diaboli ope ſponſos a conſummatione Matrimonii per maleficium impedirent, ſeu impediendi artem callerent; qui maleficiatos ſuperſtitioſa arte diſſolverent, aut diſſolvere ſcirent, iiſque conſilium, auxilium, aut favorem præberent; item qui ſuperſtitioſe tam hominum, quam jumentorum morbis mederentur, aut jumenta ipſa, aliaſque res deperditas, aut furto ſublatas invenire eadem arte ſcirent; prætereaque ii, qui in pervigilio, aut Feſto S. Joannis Baptiſtæ, aliiſque Solemnitatibus futura prænoſcere contenderent.

Hos omnes denunciandos monebunt Parochi in explanatione præfati edicti, etiamſi denunciator (2) probare non poſſit; & nulla præmiſſa correctione (3) fraterna, licet firma foret ſpes emendationis.

XI. Quoad Turcas captivos in Civitate Vetula commorantes, volumus, & ſtricte mandamus, ad amuſſim obſervanda ea, quæ a prædeceſſoribus noſtris (4) ſalubriter ſancita ſunt; eademque vi præcipimus, per Vicarios noſtros exacte curandam obſervantiam Apoſtolicarum (5) Conſtitutionum circa Judæos, cum per loca noſtræ Diœceſeos pertranſeunt. Nonnulla hic addimus pro diligentiore ejuſdem Fidei cuſtodia. I. Sub pœna exilii a Civitate, & Diœceſi inhibemus Judæis, ne ad Collocutoria Monialium, vel puellarum Conſervatoria accedant ſine noſtra in ſcriptis licentia, quam juxta Sac. Congr. (6) decreta raro admodum concedemus. II. Sub pœna pecuniaria quinquaginta aureorum cum a Judæis (7), tum a Fidelibus perſolvenda vetamus Fidelibus cum Judæis converſari, cibum ſumere, eos hoſpitio recipere, vel illis famulatum præbere. III. Sub pœna biſcentum aureorum (8) prohibemus, ne quis eiſdem Judæis vendat, aut oppignoret Ceras benedictas, vulgo *Agnus Dei*, Sanctorum Reliquias, Cruces, Imagines SS., Officia, Miſſalia, Sacra Biblia, vaſa ad Dei cultum dicata, & quamcumque ſacram ſupellectilem, etiam Altarium mappas, ſeu linteamina, & ſacra indumenta licet diſrupta, etiamſi ad eum finem vendantur,

(1) *S. Pius V, Conſt.* 82. Si de protegen.
(2) *Prop.* 5. *damn. ab. Alex. VII.*
(3) *Ex decr. Alex. VII.* 8. *Jul.* 1660.
(4) *Syn. Abbati pag.* 5.
(5) *Jul. III., Paul. IV., Pii IV., S. Pii V. Clement. VIII.*
(6) *S. C. Ep. in Raven.* 1594., *& in Florent.* 1655. *ap. Nicol. in Floſc. V,* Hebræus *n.*2.
(7) C. Nullus *c.* Judæi 2. *de Judæis, & ex Edict. Card. Vicar. ap. Pignatelli tom.* 5. *conſ.* 14. *num.* 234.
(8) *Conſt. Jul. III., Paul. IV. &c. & ex decr. S. Offic.* 28. *Maii* 1614., *&* 1634., *& ex Edict. citat.*

dantur, ut comburi debeant, & ex iis aurum, argentumve extrahi; quam pecuniariam multam ultra triremium pœnam ſubibit etiam Judæus emptor. Eamdemque venditionem, ſeu oppignorationem ſub eadem multa faciendam vetamus Turcis, aliiſque infidelibus Chriſtiani nominis infenſiſſimis hoſtibus captivis in Civitate Centumcellarum, ne ſancta pedibus inimicorum proterantur. IV. Sub excommunicationis pœna vetamus, ne quiſquam audeat hoſpitio recipere, aut ſemel receptos retinere Hæreticos licet toleratos, ſi ſuperſtitioſas artes diſſeminent apud Fideles, aut pernicioſa dogmata effutiant, ſeu quidvis faciant, aut obloquantur in dedecus Catholicæ Religionis; quam cenſuram extendimus in eos, qui hujuſmodi Hæreticos, Judæos, aut alios quoſcumque infideles (1) talia in contemptum Catholicæ Fidei perpetrantes Nobis illico non denunciaverint. V. Sub excommunicatione ipſo facto (2) incurrenda, Nobiſque reſervata prohibemus copulam carnalem cum Judæo, Turca, alioque infideli, & cum Hæreticæ nationis alumno, licet tolerato; dummodo complici conſtet, eum hæreticum eſſe; quam reſervationem ſancimus tam quoad fœminas, quam quoad mares hujuſcemodi damnatum coitum habentes.

XII. Vicariorum noſtrorum conſcientiam oneramus circa inviolabilem harum ſanctionum obſervantiam; ſuper quibus ſi quid gravius, aut neglectum conſpexerint, illico Nos certiores reddere teneantur. Si ſecus fecerint, rationem Deo pro animabus in Fide collabentibus, aut periclitantibus ſciant ſe eſſe reddituros.

De Jurejurando.

XIII. Quum tribus conditionibus prædítum debeat eſſe Jusjurandum, ut licitum ſit, videlicet veritate, juſtitia, & judicio, ſi alterutra ex his conditionibus deſtituatur, præter peccatum a Deo ſevere vindicandum, etiam in foro externo punibiles arbitrio noſtro decernimus, nedum eos, qui falſum jurant, vel de re mala; ſed etiam temere, paſſim, vel jocoſe, vel ex ira jurantes abſque neceſſitate, contra quos ſummarie etiam, & non ſervata judicii forma procedendum ſancimus; modo per duos teſtes, (3) eo prorſus modo, quo in blaſphemos cautum eſt, hæc temere jurandi proclivitas Nobis innotuerit; ut tandem aliquando e finibus noſtris exterminetur horribile, ac Diabolicum hoc vitium, per quod ſumma afficitur contumelia Sanctum, & terribile Domini Nomen.

XIV. Dam-

(1) *Greg. XIII. Conſt.* 70. Antiqua.
(2) *Conc. Illiberit. cap.* 78.
(3) *Infr. hoc tit. cap.* 4. *n.* 9.

XIV. Damnamus æquivocationes, & amphibologias Chriſtianæ ſinceritati, & humano Reipublicæ commercio adverſas, & pernicioſas (1) in Juramentis.

XV. In judiciali juramento ad prodendam veritatem interrogatus, quilibet reus eſt perinde, ſi veritatem occultat (2), ac ſi mendacium deponit. Ea propter Parochi in Catecheſibus ſæpius declarent, illicitum eſſe mentiri, & multo magis pejerare ad opitulandum proximo, ut pœnam etiam capitis effugiat; curantes, ut vulgaris error hac ſuper re graviſſima e mentibus fidelium abradatur.

XVI. Quum non raro occurrat, ut ad actionem judicialem inſtituendam petatur, per judices a Nobis deputatos relaxari juramenti nexum per abſolutionem in contractibus initis, ne hac ſuper re quicquam temere peccetur, regulas ſequentes ſtatuimus (3) ab Eccleſiaſticis iiſdem Judicibus religioſe obſervandas; 1. ut innoteſcat injuſtitia, vel nullitas contractus; 2. ut ex indiciis, & conjecturis appareat, ſuſpicionem calumniandi abeſſe; 3. audita prius parte, contra quam agendum eſt; eaque ultima conditione deficiente, nullam declaramus abſolutionem per eoſdem judices impertitam.

XVII. Juramentum autem ſuppletorium neutiquam in Curiis noſtris admittatur, niſi 1, quando aliæ legitimæ probationes (4) deeſſe noſcuntur; 2. quando ſaltem ſemiplene (5) probatum ſit, aut actori (6) bona præſumptio aſſiſtat; 3. quando non agitur de magno damno vitando, vel de notabili lucro captando juxta litigantium conditionem; eoque minus in cauſis criminalibus, vel civilibus ex actione famoſa, qua reus damnatus (7) evaderet infamis. Item neque locum habeat in cauſis mediocribus, quando litigantes ſint [8] valde pauperes, vilis conditionis, vel de perjurio [9] ſuſpecti, vel non bene inſtructi de re, quæ agitur. Hæc omnia ſimul neceſſario habenda decernimus in ſuppletorio juramento.

XVIII. Æquiſſimam Concilii Romani conſtitutionem [10] de non deferendo veritatis dicendæ juramento reis criminaliter inquiſitis, dum uti principales conſtituuntur, iterum denunciamus, atque omnino obſervandam mandamus ſub pœna nullitatis Actorum.

CA-

(1) *Prop.* 26. 27. *damn. a Ven. Innoc. XI.*

(2) C. Falſidicus *de crim. falſi.*

(3) C. Verum *de jurejur. can.* auctoritatem *cauſ.* 15. *qu.* 6.

(4) C. Sicut *de probat. & Fagnan. ibi.*

(5) C. Ex inſinuatione, *& ibi Gl. V.* Clerici *de Procurator.*

(6) C. *fin. de Jurejur.*, *& c. fin. de his, quæ vi &c.*

(7) C. Juramentum *de jurejuran.*

(8) C. *fin. Gl. V.* pro perſonarum *de his, quæ vi &c.*

(9) C. Clericos *Gl. V.* redeuntes *de cohab. Cleric.*

(10) *Concil. Rom. tit.* 13. *cap.* 2.

CAPUT SECUNDUM

De Verbi Dei prædicatione, ac Doctrina Chriſtiana.

I. F*Ides ex auditu .... quomodo autem audient ſine prædicante?* [1] Divini hujus Verbi, cujus prædicatione Fides gignitur, roboratur, perficitur, adminiſtratio, ex officii arctiſſima obligatione, ſpectat ad quoſcumque animarum Curatores, nempe Epiſcopos, & Parochos. Hinc fit, ut liberum Epiſcopo ſit in quacumque Eccleſia etiam [2] Regulari ſuæ Diœceſeos verba facere, quum id ſit præcipuum ipſius munus, qui primus eſt omnium in ſua Diœceſi Magiſter, & Doctor; eoque prædicante [3] quilibet inferior, tametſi Regularis ſilere debet etiam in ſua Regulari Eccleſia.

II. Excipiuntur Parochi, qui, etiam Epiſcopo ſermonem habente, prædicare poſſunt [4] in propria Eccleſia, imo debent. Siquidem ex Sacroſan. Conc. Tridentini præcepto [5] quicumque animarum curæ præpoſiti per ſe, vel per alios idoneos a Nobis approbandos [modo legitime impediti fuerint] diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas paſcere tenentur ita, ut ſi trium menſium ſpatio a Nobis moniti muneri ſuo defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu alias arbitrio noſtro cogendi ſint,

III. Quapropter ejuſdem Tridentini, & noviſſimi Romani [6] Concilii decretis inhærentes, non obſtante prætextu [7] immemorabilis, ſed pravæ conſuetudinis, diſtricte præcipimus, ut etiam in iis Eccleſiis, ubi Sacra Officia cum cantu celebrantur, omnes, & ſinguli animarum Rectores de mane, hora competenti, ne tempus Pſalmodiæ aſſignatum impediatur, ſingulis ſaltem Dominicis, feſtiſque diebus, qui de præcepto obſervari ſolent, poſt lectum in Parochiali Miſſa Euangelium [8], ſermonem brevem ad populum habeant, non (9) perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis obſtrepentem auribus, ſed captui Auditorum accomodatum, in eorum animos oſtenſione ſpiritus illabentem, ea differentes, quæ ad virtutem incitamento ſint, & ad vitia fugienda.

IV. Ceteri vero, quibus animarum cura non ineſt, publicas ad popu-

(1) *Rom.* 10. v. 14. & 17.

(2) *S. C. Ep.* 17. *Jan.* 1584. & *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *cap.* 43. *num.* 7.

(3) *Clement.* Dudum *de Sepult. S. C. C.* 2. *Maii* 1629. *ap. cit. Bened. XIV. loc. cit.*

(4) *S. C. C. in Verulen.* 11. *Jun*, 1631. *ap. Barboſ. de Off. Par. par.* 1. *cap.* 14. *num.* 3.

(5) *Conc. Trident. ſeſſ.* 5. *de Ref. c.* 2.

(6) *Conc. Rom. ſub Bened. XIII. tit.* 1. *c.* 4.

(7) *Conſt. Innoc. XIII. confirm. in Conc. Rom. in Append. n.* XVI. *ap. Lambertini Inſt.* 10. *n.* 2.

(8) *S. C. C. in Novarien.* 8. *Jul.* 1724.

(9) *Bened. XIV. Conſt.* Etſi minime §. Duo potiſſimum.

lum conciones habere ne præſumant Nobis inconſultis. Si Regulares fuerint, & in Eccleſiis ſuorum Ordinum concio facienda ſit, id ne audeant niſi prius petita a Nobis, vel Vicario noſtro Generali Benedictione. Sin autem in Eccleſiis non ſuorum Ordinum prædicare voluerint, præter ſuorum ſuperiorum licentiam, benedictionemque noſtram, licentiam quoque a Nobis expreſſam, gratis exhibendam in ſcriptis obtinere [1] debeant; quam licentiam, antequam prædicationis munus aggrediantur, Vicariis noſtris Foraneis, Rectoribuſque Eccleſiarum oſtendere teneantur; alias noverint cenſuris, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis fore a Nobis tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis coercendos.

V. Quorumcumque concionatorum, etiam Regularium [ſi in Eccleſiis non ſuorum Ordinum prædicare volent] examen coram Nobis faciendum arbitrio noſtro reſervamus [2], etiamſi forte examen hoc per tempus immemorabile a noſtris anteceſſoribus minime fuerit requiſitum. Licentiam item ſemel conceſſam Regularibus, ob rationabiles cauſſas licet occultas, prædicationem tamen concernentes ſuſpendere Nos poſſe declaramus.

VI. Memores ſint Concionatores omnes Gregoriani [3] moniti, ne quod per linguam prædicant, deſtruant per exempla. Idcirco eo vel maxime tempore a tabernis (præter quam in itinere), aleis, taxillis, ludis, venationibus, epulis, conviviis, laicorum familiaritate, ac fœminarum ſecreto colloquio prorſus [4] abhorreant. Unica excepta Cruce, & Crucifixi Icone, alias omnes [5] exteriores formas, ludicra terriculamenta, fictas perſonas, pictas damnatorum tabulas, ſuppliciorum inſtrumenta, malleorum ictus, aliaque id genus, riſum potius, quam veram contritionem excitantia omnino prohibemus, propoſita in ſingulas transgreſſiones pœna ſuſpenſionis ab officio concionandi in noſtra Diœceſi, aliaque graviore arbitrio noſtro juxta culpæ gravitatem. [6] Vetamus item, ne abſque Vicariorum noſtrorum licentia privatas eleemoſynas e ſuggeſtu commendent [7] pro pauperibus perſonis, vel piis locis, ne in Eccleſiis quidem Regularium.

VIII. Quoad Monialium conciones præcipimus, ut ſemper januis [8] clauſis, ne ſæculares admittantur, ſermo habeatur. Confeſſariis vero ipſarum

(1) *Trident. ſeſſ. 5. de ref. cap. 2. Greg. XV. Conſt.* Inſcrutabili *Clem. X.* Superna.

(2) *S. C. Ep. in Cajetan. 15. Dec. 1607. S. C. C. in Ugentin. 22. Jan. 1628. Clem. X.* Superna.

(3) *Ap. Lambertini Inſt. 27. num. 10.*

(4) *Lambert. Inſt. cit. num. 12.*

(5) *Synod. Montisfal. 1710. par. 1. c. 5. §. 11.*

(6) *Act. Mediolan. par. 5. §.* Quoniam.

(7) *S. C. Ep. in Placentina 20. Jul. 1619.*

(8) *S. C. C. in Bergomen. 21. Maii 1678. & ex Syn. 1. Brancat. pag. 34. ex Syn. Sermatthæi pag. 26.*

rum imponimus curam denunciandi Nobis hujus præcepti tranſgreſſores. Advertant autem Regulares, ſi quando munus hoc Concionatorum apud Moniales exerceant, ſibi prohibitum [1] eſſe ſub peccato mortali, cenſuris, & pœnis &c. ullos miſcere ſermones cum ipſis Monialibus, tam cum aliquibus, quam cum una tantum poſt peractam concionem, etiamſi colloquia eſſent de quæſtionibus, dubiiſve ſpiritualibus, aut materiis ipſius concionis; eaque etiam ſuper re provinciam denunciandi Nobis inobedientes Confeſſariis demandamus.

VIII. In Eccleſiis, ubi conciones habentur tempore Adventus, & Quadrageſimæ, omnino ſervetur laudabilis uſus a veteri conſuetudine profectus, ut mares [2] a fœminis ſecernantur; idcirco ſub pœnis arbitrio noſtro irrogandis mandamus, ut ſeptis ligneis, vel linteis extenſis ſaltem inter Divini verbi prædicationem hæc ſeparatio fiat [3]; nullique virorum permittant Eccleſiarum Rectores, Sacriſtæ, aliique Sacerdotes iis Eccleſiis mancipati, intra ea ſepta mulieribus aſſignata ſedere ad conciones audiendas. Si alicubi forte hæc tam ſalubris ſecretio hactenus facta non ſit, volumus, ut omnino fiat; & ſi alia pecunia non ſuppetat ad comparandas telas, vel aſſeres, onus ſit Præfecti cujuſque Eccleſiæ eleemoſynas ipſas in Prædicationibus collectas in eum uſum impendere.

IX. Ne Communitates, ad quas ex aſſerto Privilegio, vel conſuetudine jus nominandi Concionatorem ſpectat, ulterius decretorum ignorantiam obtrudant in ſui excuſationem, monemus, atque jam ſæpe a Prædeceſſoribus noſtris ſancita [4] repetimus, ut caveant, ne ultra præfinitum tempus differant exhibitionem nominationis Nobis faciendam, neve in litteris patentalibus ullam vocem uſurpent, quæ electionem, deputationem, declarationem, vel conſtitutionem ſonet; ſed tantum his verbis utantur *nominamus*, *&* *præſentamus*; alias ſciant, utroque caſu apud Nos nullius fore ponderis [5] eas nominationes, Noſque abſque ulla cunctatione illico ad electionem alterius deventuros pro illa vice cum ſolita [6] penſione eleemoſynæ, quam ipſæ Communitates neque negare, neque imminuere poſſunt abſque licentia Sac. Congr. Conc., vel Boni Regiminis ſub cenſurarum pœna [7] per Nos infligenda.

 X. Hor-

(1) *Ead. S.C.C. in Bergomen.* 21. *Maii* 1678.
(2) *Amalar. lib.* 3. *de Eccl. Off. cap.* 2. *Bened. XIV. de Syn. lib.*7. *cap.*54. *num.*8.
(3) *S. C. Ep. in Fanen.* 22. *Maii* 1609., *in Ariminen.* 6. *Mar.* 1659. *ap. Nicol. V.* Prædicator *num.*20., *ex Syn. Montilj pag.* 17., *ex* 1. *Muti pag.*9., *ex Syn. Sermatth. pag.*27.
(4) *Ex decr. rel. in Syn. Sermatth. pag.* 25.
(5) *Ex ead. Syn.*
(6) *Sac. C. Bon. Reg. in Ripan.* 24. *Novem.* 1611., *Sac. C. C. in Viterbien. Civitat. Vet. de menſe Sept.* 1620. *ap. Barboſ.*, *&* *in Tyburtin,* 3. *Jun.* 1693. *ap. Nicol. V.* Prædicator *num.*21.
(7) C. Ad Apoſtolicam *de Simonia*.

X. Hortamur Fideles omnes, ut ad audiendum Dei Verbum frequentes conveniant; & ne diverticulis abſtrahantur, mandamus, eo tempore occludi, juxta antiquam conſuetudinem, officinas omnes, & tabernas, exceptis dumtaxat Pharmacorum, ac comeſtibilium Apothecis ſub pœna, quam licet Prædeceſſores noſtri (1) arbitrariam decreverint, Nos ad unum aureum ſingulis vicibus taxamus; eamque pœnam fabricæ matricis Eccleſiæ, ubi concio habetur, aſſignamus abſque ulla imminutione, vel remiſſione ab inobedientibus exſolvendam. Officinas autem occludi volumus, non ut eo tempore Artifices per anticipatam comeſtionem conſulant ventri, ſed ut ſacro eloquio nutriant ſpiritum; qua ſuper re conſcientiam Dominorum gravamus; & ſi quem ex ipſis Nobis conſtiterit præcepiſſe famulis, ut concionis tempore cibum capiant illico poſt concionem ad officinam reverſuri, eiſdem ſubdemus pœnis, ac ſi patentem Apothecam tenuiſſent. Judices etiam (2) monemus, ne eo tempore jus dicant.

XI. Clericos inſuper omnes, ac Sacerdotes, cujuſcumque ſint dignitatis, aut gradus, jubemus concionibus intereſſe, ut ſuo exemplo laicos provocent. At præcipue in propria Eccleſia in loco aſſignato, & Chorali habitu induti adeſſe concioni omnino teneantur Quadrageſimali tempore Canonici, aliique ejuſdem Eccleſiæ ſervitio adſcripti, (3) ſub pœna mediæ punctaturæ unius diei Sacriſtiæ applicanda, & ad punctandos abſentes volumus teneri illum ipſum, cui onus punctandi abſentes ab Horis Canonicis præſtito juramento incumbit.

De Doctrina Chriſtiana.

XII. *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas* (4) *æternitates*. Alteram hanc in adminiſtratione Verbi divini provinciam Parochis, aliiſque animarum rectoribus, ac puerorum educatoribus commendantes, ac præcipientes, ob oculos ponimus uberem in æternitate mercedem, & gloriam ab ipſis conſequendam, juxta Danielis Prophetæ monitum.

XIII. Primum igitur Parochi, aliique, quibus animarum ineſt cura, quolibet die Dominico, aliiſque diebus feſtis (5) hora pomeridiana, & competenti, dato campanæ ſigno, miſſiſque cum campanula convocatoribus

---

(1) *Ex Syn. 1. Branc. cap. 3., Sacchetti c. 5., Sermatth. pag. 27., Abbati pag. 11.*

(2) *Act. Mediolan. p. 474. §.* Quamobrem.

(3) *S. C. Ep. 10. Maii 1580., & 20. Aug. 1602. ap. Nicol. in Floſc. V.* Canonicus *n. 33., S. C. C. in Nicien. 1628. lib. 13. Decret., in Milevitan. 9. Apr. 1707., in Caſalen. 11. Mar. 1708. ad 19. ap. Card. Petr. tom. 3. Comment. in Conſt. 2. Nicolai III. num. 18., & in Verulan. Viſitat. SS. Limin. 21. Jan. 1719. ad 3.*

(4) *Daniel 12. 3.*

(5) *Conc. Rom. Ben. XIII. tit. 1. cap. 4.*

bus per vias, pueros, & puellas (maribus ſemper a feminis ſeparatis) a ſeptennio, & ſupra uſque ad annum decimum quartum plano ſtylo, & familiari ſermone doceant per horæ dimidium Chriſtianæ Fidei rudimenta, juxta methodum a Ven. Card. Bellarmino juſſu Clem. VIII. conſcriptam, a qua ne latum quidem unguem diſcedant ob novitatis, aut ſingularitatis amorem; itidemque per aliam dimidiam horam curabunt, ut iidem pueri inter ſe interrogando, ac viciſſim reſpondendo repetant ea, quæ docti fuerint, eo prorſus modo, qui in Inſtructione a S. M. Benedicto XIII. in Appendice Concilii Romani præſcribitur; quam inſtructionem, ut ad amuſſim ſervetur, in calce damus in Appendice hujus Synodi Num. II. §. I.

XIV. Parochis manum adjutricem porrigent Sacerdotes omnes, quos vi Tridentinæ legis (1) idoneos ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, hortamur in Domino, ut in re tam ſalubri ſubſidiariam operam præſtent in Eccleſia Parochiali, intra cujus limites degent; Nos vero eorum dumtaxat, qui in hoc opere aſſidui fuerint, præcipuam habituros rationem pollicemur in collatione (2) Beneficiorum, literiſque commendatitiis; clericoſque in minoribus, & in Sacris Ordinibus conſtitutos nunquam ad ulteriores ordines provehemus, niſi juratum a proprio Parocho teſtimonium ferant de adjumento præſtito in erudiendis pueris.

XV. Expreſſe confirmamus, additiſque gravioribus pœnis mandamus, omnino ſervandam legem circa Ludimagiſtros jam a Leone X. in Lateranenſi Concil. promulgatam (3), & a Prædeceſſoribus noſtris ſæpius commendatam, quam ad perpetuam firmitatem duximus hìc repetendam. Sive gratis, ſive mercede conducti ſint Grammaticæ profeſſores, & Magiſtri, nec non Magiſtræ puellarum, antequam docendi munus aſſumant, examen coram Nobis, vel a Nobis electis Sacerdotibus ſubeant de eorum peritia in noſtræ Religionis myſteriis; tum poſt factam, ut in ſuperiori capite præmonuimus, Fidei profeſſionem, juramentum exhibeant in manibus Vicariorum noſtrorum de ſervanda prænunciata Leonis X. Conſtitutione, quam una cum juramenti formula dabimus Num. II. Appendicis noſtræ §. II. Cujus vigore juramenti teneantur ſemel ſaltem in hebdomada Doctrinam Chriſtianam ſuos diſcipulos docere; eique inſtructioni aſſignamus diem Sabbati, aut ſi feſtus ille fuerit, diem ferialem proxime præcedentem per totum ſcholæ tempus poſt meridiem. Iidem, ſi a Parochis requirantur, ad

(1) *Trident. ſeſſ. 23. de Ref. cap. 14.*
(2) *Syn. Abbati pag. 13.*
(3) *Conc. Later. V. can. 7., Bened. XIV. Conſt.* Etſi minime §. His accedit. *Syn. Sermonetæ pag. 159., Syn. Abbati pag. 13.*

ad Parochialem Eccleſiam accedere teneantur, ut adjumento iis ſint in Doctrina eadem tradenda. Poſtremo Parochi quicumque perſæpe eorum ſcholas inviſent, explorabuntque, an ſaluberrimum hoc decretum obſervetur, Noſque ſubinde certiores faciant. Parere recuſantes (1) illico pro qualibet tranſgreſſione multentur per Vicarios noſtros in aureo uno ejuſdem Parochialis Fabricæ applicando. Gliſcente vero contumacia, etiam docendi munere interdicentur.

XVI. Provide conſultum fuit pudori adultioris ætatis per Encyclicam fel. rec. Clementis XII. (2) jubentis, haberi per Parochos Catechiſmum, per quem clara, diſtincta, ac facili methodo explicentur, nedum arcana Fidei noſtræ myſteria, ſed & ſingula tum Divinæ, tum Eccleſiaſticæ legis præcepta, novi fœderis Sacramenta, cæteræque Chriſtiani populi obligationes, non declamatorie, ac parenetice, ut fieri ſolet in concionibus, ſed plano, atque inſtructivo ſtylo, capacitatique omnium accomodato, ut in agendo calleant etiam rudiores, quid licitum ſibi ſit, quidve fugiendum. Optaremus ſane, ut pietas Chriſtianorum reſponderet vigilantiæ, ac zelo Parochorum noſtrorum, qui per totam diem cuperent ſanctum hoc prædicationis miniſterium exercere. At quoniam humana imbecillitas eo devenit, ut temperandum ſit zelo, ne tepeſcentium animæ fatigentur, ac tædio affectæ prorſus retrahantur, ob eam rem ſancimus, omnino ſervandam ſuperioris Synodi ſanctionem, ut nempe bis in menſe habeatur hic Catechiſmus diebus Feſtis in Ordine Divini Officii quotannis indicatis, quos, quoad ejus fieri poteſt, jubemus eligi extra Dominicam diem; iiſque diebus omittent Parochi puerorum inſtructionem, ne populus diuturnitate moræ in faſtidium, oſcitantiam, aut ſomnum prolabatur; & per dimidiam circiter horam, vel ad ſummum per tres quadrantes modo ſupra expoſito adultiores inſtruant.

XVII. Utque hæc inſtructio ordinatim habita uberiorem gignat fructum, præcipimus, ut ea juxta ordinem in Catechiſmo Romano exaratum fiat gradatim, & non per ſaltum; incipiendo videlicet a primo ſymboli articulo, & deinde ſingulis eo, quo jacent, ordine percurſis, progrediendo ad Sacramenta, ad præcepta Decalogi, atque Orationis Dominicæ petitiones ita, ut quantum fieri poterit, ſingula Catechiſmi Romani capita ſingulis inſtructionibus reſpondeant; adlaborantibus Parochis, ut quæcumque ſalubris illius, Catholicæque Doctrinæ fundamenta minutim enucleentur,

(1) *Ex edict. Innoc. XII. 1699., & Bened. XIV. 1742. ap. Syn. Lanucci pag. 11., & ex edict. Ven. Innoc. XI. ap. eumd. pag. 309.*

(2) *Encycl. Clem. XII. 27. Jun. 1735. in Syn. Abbati pag. 13.*

tur, & rudiorum animis clare, & cum facilitate ſermonis tractata infigantur.

XVIII. Ideo autem Catechiſmi Romani ordinem, explanationemque mandavimus, ut morem geramus SS. D. N. Clementi XIII., qui in Encyclicis datis 14. Jun. 1761. „ Ad avertendum a Paſtorum animis novitatis „ amorem, per quem ex eorum manibus propemodum excuſſo hoc libro, „ omnium conſenſione probato, & ſummis laudibus excepto, alii, atque „ alii adlecti ſunt Catechiſmi nullo modo cum Romano comparandi, co- „ hortatus eſt Nos enixe in Domino, ut juberemus, ab omnibus, qui ani- „ marum curam gerunt, in informandis Catholica veritate populis adhi- „ beri prælaudatum Catechiſmi Codicem, quo tum eruditionis unitas, tum „ caritas, animorumque ſervetur concordia „. Quocirca mandamus, & diſtricte præcipimus, ſub pœna pecuniaria arbitrio noſtro abſque indulgentiæ ſpe imponenda, ut quilibet e Parochis infra labentem annum aureum hunc librum ſibi comparet, illumque diurna, nocturnaque verſet manu; & eo, quem præmonuimus, modo ad inſtruendas ſuas oves adhibeat, exordiendo in proximo Epiphaniæ Feſto a primo Symboli articulo.

XIX. Non vetamus tamen ad uberiorem dicendi copiam, ac locupletiorem eruditionem addi poſſe doctrinam aliorum probatiſſimorum auctorum, inter quos præcipuum indubitanter ſortitur locum peregregius Divi Auguſtini Liber *De catechizandis rudibus*; verum eam ſemper teneat Fidei doctrinam Parochus, quæ Romano Catechiſmo conformis ſit; ne novas, „ aut ultra auditorum captum ſubtiliores diſcutiat opiniones, quibus nec „ conſenſio, aut antiquitas ſuffragatur; neve tandem zelum amarum ha- „ beat; (verba hæc ſunt, quibus idem Sanctiſſimus D. N. ſuam explet hortatoriam Epiſtolam) „ quum quæ deſurſum eſt ſapientia, primum qui- „ dem pudica ſit, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, „ plena miſericordia, & fructibus bonis, non judicans, ſine æmulatione.

XX. Ab hac, quam præſcripſimus, ratione circa Doctrinæ Chriſtianæ, & Catechiſmi munus obeundum nequeant Parochi pro ſuo libito deflectere. Utrumque ſeorſim diebus ſupra indicatis præſtabunt ante horam vigeſimam, tum ut populus poſſit poſtea & Veſperis intereſſe, & piis aliis vacare exercitiis, quæ etiam alibi peraguntur; tum ut, maxime in Collegiatis Eccleſiis, hora Divinæ Pſalmodiæ aſſignata non protrahatur; cum liberum ſit Canonicis, aliiſque Choro addictis Presbyteris, dato ſigno, & elapſa, juxta hujus Diœceſis morem, horæ parte dimidia, nemine (1) expectato, etiamſi dignior fuerit, Officium inchoare.

XXI. Uti-

(1) *S.R.Congr. in Neritonen. 25.Febr.1606. Rot. in Alexanen. 28.Apr.1747. §.11. cor. Cortada ap.Ferrar. Bibliot. V.* Parochus *addit. poſt art. 2. num.* 8.

XXI. Utinam tamen docentium ſollicitudini, ac vigilantiæ reſponderet erudiendorum frequentia, & docilitas. Idcirco quæ ſæpius per plura hac ſuper re Edicta promulgavimus confirmantes, ac nova legis firmitate roborantes volumus, ac præcipimus, ut omnes ex adultis, tam mares, quam fœminæ ad binas has ſingulis menſibus inſtructiones accedant, præcipue vero ii, qui ex rudiore ſunt vulgi cœtu. Ultra pœnas in alia (1) Synodo comminatas, quas hac noſtra Conſtitutione confirmamus, adverſus contumaces Patres familias, qui ſuos pueros, ac puellas rudes non mittunt ad Catecheſim, expreſſe mandamus, ne quiſquam ad munus Patrini in Sacramentis Baptiſmatis, & Confirmationis admittatur, aut piis Confratrum ſodalitiis adſcribatur, aut puellæ in Monaſteriis, & Conſervatoriis recipiantur, aut ad ullam eleemoſynam, ſive ſubſidium dotale conſequendum adlegentur, aut paupertatis teſtimonium a Parocho expediatur, niſi conſtiterit per proprii Parochi atteſtationem, eos, vel eas Chriſtianam doctrinam, & Catechiſmum frequentaſſe, aut ſaltem (ſi non frequentarint) ſufficienter eſſe inſtructos principalibus ſanctæ Fidei rudimentis. Si ſecus fiat, Summorum (2) Pontificum edictis inhærendo edicimus, Rectores, & Officiales Confraternitatum, locorumve piorum, aut Capita familiarum etiam ſæcularium, qui ſine hujuſmodi atteſtatione eleemoſynam ullam, vel ſubſidium dotale diſtribuerint, teneri ad iteratam ſolutionem de proprio; perinde ac ſi contra Teſtatoris, aut Fundatoris voluntatem neglexiſſent aliquod requiſitum in ſtatutis, conſtitutionibus, aut Teſtamentariis diſpoſitionibus impoſitum.

XXII. Quantum autem eſſe cordi omnibus debeat ſalubre hoc, ac præ ceteris pietatis officiis neceſſarium Catecheſeos exercitium, vel ex eo intelligi poteſt, quod Apoſtolicæ Conſtitutiones (3) vigili Antiſtitum prudentiæ relictum volunt, ita dies feſtos ſollemni ritu, magnaque populi frequentia celebrari conſuetos, in Eccleſiis præſertim Regularium, componere cum hac Doctrinæ Chriſtianæ, & Catechiſmi explanatione, ut diei celebritas alteri impedimento non ſit. Quocirca ſicuti congruam Parochis horam ad hoc munus præſtandum præſcripſimus, ita quoque monemus, eadem hora nullas celebrari ſollemnitates, quæ populum a Parochiali inſtructione abducant. Si ſecus fiat, noſtrum erit pro loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum qualitate, additis etiam pœnis arbitrariis, providere; ſique Regulares monitis, juſſiſque noſtris contradixerint, & ſanctum hoc Doctrinæ

(1) *Syn. Abbati pag.* 14.
(2) *Clem. XI.* 1701., *Clem. XII.* 1730., *Bened. XIV.* 1742.
(3) *Conſtit. citat.* Etſi minime §. Præterea.

ctrinæ opus ſuis functionibus perturbare præſumpſerint, ſciant Nobis per Apoſtolicas eaſdem Sanctiones regulas fuiſſe præſcriptas ad perquirenda validiora, & etiam in exemptos efficacia remedia.

XXIII. Poſtremo ruricolarum, & maxime eorum, qui animalium cuſtodiæ addicti raro admodum ad Eccleſias Parochiales conveniunt, ſaluti proſpicere cupientes, ad tramites Concilii (1) Romani, & Conſtitutionis, atque Epiſtolæ S. M. Benedicti XIV. (2) diſtricte præcipimus, & mandamus, ut ſingulis diebus feſtis de præcepto „ Rectores animarum quicumque inter Miſſam Parochialem, poſt habitam S. Euangelii explicationem, in genua provoluti, clara, & intelligibili voce, vel cum cantu actus Fidei, Spei, Caritatis, & Contritionis eliciant, & præire ſatagant populo verba ab ipſis prolata devote reddituro „. In Collegiatis Eccleſiis cum in Miſſa Conventuali hæc fieri non conveniat, ne Horæ Canonicæ interrumpantur, curabunt iidem Rectores, ut in prima, & ultima Miſſis vel ipſimet, vel alius Sacerdos hoc pietatis officium expleat. In Eccleſiis Confraternitatum, aliiſque Oratoriis publicis ipſemet Cappellanus poſt lectum Euangelium id præſtet una cum Confratribus, ceteriſque adſtantibus. Maxime vero ubi vel ex legato, vel ex inſtituto, aut conſuetudine ſolet Miſſa in Aurora celebrari; itidemque in omnibus ruralibus Eccleſiis a quibuſcumque Sacerdotibus celebrantibus ſaltem ſequentia paulatim alta voce, vel cum cantu poſt Euangelium populus edoceatur; nempe Signum S. Crucis, Myſteria SS. Trinitatis, & Incarnationis, Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, ſeptem Sacramenta, & actus ſupradictarum Theologalium virtutum, ac Contritionis. Si ſecus fiat, Cappellanus celebrans hæc præſtare omittens, ipſo facto pœnam incurrat ſuſpenſionis a Divinis (3) per tres dies tantum. Officiales vero Confraternitatum, qui Cappellanos earum ad id præſtandum non adſtrinxerint multam ſubeant aurei unius pro qualibet omiſſione hujus ſaluberrimi mandati. Idem præſtari volumus per Rectores, ſeu Priores, alioſque, qui præſunt Hoſpitalibus infirmorum, ſeu peregrinorum quocumque die de ſero, ante dormitionis tempus.

XXIV. Ad eam rem opportunum duximus, imo & neceſſarium tradere in Appendice Num. II. §. 3. horum actuum formulam; eamdemque in volantibus pagellis imprimi curabimus, ne videlicet rudiores, ſi aliis, atque aliis diverſis verbis expreſſos eos virtutum actus audierint, difficilius eos

(1) *Conc. Rom. Bened. XIII. tit. 1. cap. 5.*
(2) *Conſt. cit.* Etſi minime *§. ult.*, *& Encycl. 26. Jun.* 1754. Cum Religioſi.
(3) *Conc. Rom. loc. cit.*

memoriæ tradere poſſint; quin etiam fortaſſe propter formularum varietatem confunderentur. Proinde omnino mandamus ſub præfatis pœnis, formulam a Nobis editam omnino adhibendam in omnibus Eccleſiis.

XXV. Præter has tamen diligentias, non gravabuntur Parochi etiam in proprias oves in campeſtribus diſperſas curam ſuam dirigere, illas identidem viſitando, & inſtruendo. Inſuper Urbani Parochi eos, qui per totam diem ab urbe, vel oppidis coguntur abeſſe, ut manuum labore victum comparent ſibi, advocent de ſero ad proprias domos (feminis excluſis); ibique eis doctrinæ pabulum præſtent; quum & id inter cetera Paſtoris munera Chriſtus Dominus factitandum & exemplo docuerit, & voce, cum ait *Matth.* 18. 12. *Vadit quærere eam, quæ erravit.*

CAPUT TERTIUM.

De Collatione Caſuum conſcientiæ, ac Sacrorum Rituum.

I. MOnet Dominus *labia Sacerdotis cuſtodire ſcientiam, & legem requirendam ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt* (1). Neceſſarium hoc ſtudium legis, ac diſciplinæ Sacerdotibus omnibus, ac præcipue Confeſſariis, nedum privata lectione, ſed & collatis inter ſe conſiliis, exercendum docet utilitas harum Collationum, quas paſſim etiam prioribus ſæculis, licet ſub alio nomine, in frequenti uſu habitas eſſe (2) nemo ignorat.

II. At enim dolemus, ſacra hæc comitia tantopere a Conc. Romano (3) commendata, & in hac noſtra Diœceſi ad exiguum numerum per ſummam moderationem redacta adeo a multis negligi, ut infrequens ſit, ac perpaucorum ad ea conventus. Cui quidem malo occurrere volentes, has, quæ ſequuntur, Conſtitutiones edicimus.

III. Primo quidem, quoniam ex relato Conc. Rom. præſcriptam in ſingulas hebdomadas harum Collationum frequentiam Prædeceſſores noſtri (4) ad unam in ſingulos menſes reduxerunt, Nos nihil ulterius addimus oneris; immo & vacationem a Feſto S. Joannis Baptiſtæ uſque ad diem quintam Novembris, antiquo S. C. C. decreto (5) inhærentes, facile indulgemus.

IV. Deinde ordo hactenus ſervatus retineatur; ut nempe duo caſus mora-

(1) *Malach.* 2. 7.
(2) *Hincmar. Rhemen. tom.* 1. *pag.* 714.
(3) *Conc. Rom. tit.* 15. *cap.* 9.
(4) *Synod. Abbati pag.* 22. §. Semel.
(5) *S. C. C. in Aſſiſien.* 24. *Jan.* 1626.

morales, & unus ritualis ſingulis vicibus proponantur, & reſolvantur. In ordine Divini Officii quolibet anno juſſu noſtro typis edi conſueto ii deſcribentur, una cum fixa die menſis ad has conferentias deſtinata, quam, abſque juſta cauſa a Vicariis noſtris approbanda, prævertere, aut poſtponere Prælectoribus Theologis liberum non ſit. Et quoniam relictum Nobis eſt pro Theologorum Canonicorum lectionibus decernere, & deſignare (1) quod maluerimus ex Scriptura, vel Morali argumentum, eorumdem Theologorum officium ad has collationes habendas arctamus in utraque noſtra Cathedrali; in aliis vero Diœceſeos locis eam curam Archipresbyteris demandamus, niſi alios arbitrio noſtro ad Prælectoris munus deſignaverimus. Certo ſcimus Canonicum Theologum noſtrum Viterbienſem muneri ſuo non deeſſe; at ſi forte quis eorum diem fixam harum collationum, ſine præfata juſtà cauſa, prævertere, aut poſtponere auſus fuerit, pœnam illico, abſque alia declaratione, ſubeat ſubtractionis fructuum præbendæ in ſumma juliorum quinque, quam earumdem Cathedralium Fabricæ applicamus. Sin autem & omittere hanc prælectionem pro ſuo libito ſine cauſa per Vicarios noſtros probanda non dubitaverit, eum ad multam juliorum quindecim pro qualibet omiſſione ſupradicto modo applicandam condemnamus. Deſignati vero per Diœceſim Prælectores, ſi pari modo huic noſtræ ſanctioni parere neglexerint, pœnam ſubibunt arbitrio noſtro pro modo defectionis imponendam.

V. Hiſce Congregationibus interſint Parochi omnes tam ſæculares, quam Regulares, cæterique, qui tum ordinaria, tum delegata facultate Confeſſiones excipiunt, ne Canonicis quidem (2) Pœnitentiariis exemptis, alias ultra pœnam pecuniariam in proxima (3) Synodo taxatam, ei, quam infra declaramus, legi ſubdentur. Quum enim Nobis liberum ſit Parochos omnes a Prædeceſſoribus noſtris probatos, ex officio, & etiam extra Viſitationem iterum examinare (4) pro libito, & pro ſola quiete conſcientiæ noſtræ; licet quoad eos Parochos, qui ſemel a Nobis probati ſunt, vehemens requiratur ſuſpicio de illorum imperitia; cumque eadem examinandi libertas Nobis competat tam in prima conceſſione delegatæ facultatis, quam in quacumque facultatis ejuſdem prorogatione in ſingulos annos a Confeſſariis non Parochis obtinenda, etiamſi (5) Regulares ſint; idcirco Nos omnibus, quos hactenus nominavimus, palam facimus, neminem amplius

C 2

(1) *S. C. C. in Urbinat.* 10. *Mar.* 1663., *in Ripan.* 12. *Jan.* 1692.

(2) *Card. Petra ap. Lambertin. Inſt.* 103. *n.* 12.

(3) *Syn. Abbati pag.* 23.

(4) *Ex S. C. C. decretis relat. a Lambertin. Inſt.* 9. *num.* 16.

(5) *Lambertini Inſt.* 86. *per totam*.

plius ad eamdem prorogationem obtinendam a Nobis admiſſum iri ſine novo examine, niſi juratum Canonici Theologi, ac reſpectivorum in Diœceſi Prælectorum teſtimonium attulerit in ſcriptis ſuper frequenti ad has collationes acceſſu; quod teſtimonium iis negandum decernimus, qui tribus vicibus in anno ſine legitima cauſa a Nobis, Vicariiſque noſtris probanda abſuerint; gravantes quoad hoc eorumdem Theologorum, Prælectorumve conſcientiam; ac ſtatuentes, vetitum eſſe Vicariis noſtris Generalibus quicquam poſſe hac in parte indulgere ſub pœna invaliditatis prorogationum; etiamſi ii Confeſſarii in Theologica facultate, aut in jure Canonico Doctores a quacumque Univerſitate renunciati exiſterent. Eos dumtaxat Regulares ab hac lege (1) eximimus, in quorum Conventibus Morales lectiones haberi ex jurato Superioris teſtimonio conſtiterit; circa quos tamen ſarta tecta perpetuo eſſe volumus jura noſtra pro libertate novi examinis (2) tam in prima facultatis conceſſione, quam in annualibus prorogationibus.

VI. Parochorum quidem noſtræ Diœceſeos, & maxime Civitatum noſtrarum perſpectum habemus zelum, doctrinam, prudentiam, ceteraſque virtutes animarum Paſtoribus apprime neceſſarias; attamen ne temporis injuria, aut animi ſocordia hæc decidant, eorumdem Theologorum, ac Prælectorum onus ſit circa Feſtum Nativitatis D. N. J. C. fidelem, & jurejurando firmatam pagellam ad Nos tranſmittere, in qua ſingulorum Parochorum abſentiæ a collationibus caſuum ſint exacte adnotatæ; quæ ſi ſupra tres ſingulis annis, abſque legitima cauſa per Nos, Vicarioſve noſtros probata, numerabuntur, illico ipſi abſentes novo coram Nobis examini ſubjicientur; cum hæc abſentia vehementem nobis tribuat occaſionem ſuſpicandi, detrectari ab iiſdem onus ſtudii, cujus defectum imperitia ut plurimum comitatur; experientia enim paſſim docet, eum, qui hodie idoneus eſt, fieri (3) poſtea ob defectum ſtudii ex oblivione doctrinæ ineptum.

VII. Reliquos autem Eccleſiaſticæ militiæ adſcriptos, Dignitates, Canonicos, Sacerdotes omnes, Clericoſque, qui ad Sacros Ordines aſcendere exoptant, quantum poſſumus, hortamur, ut interſint (4) quam frequentiſſime. Nullius rationem habebimus in collatione beneficiorum, ſeu in commendatitiis, teſtimonialibuſque litteris ad Datariam expediendis, niſi ejus comperta Nobis fuerit ad has collationes frequentia. Clerici vero ad Sacros Ordines non admittentur ſine teſtimoniali documento per Theologi, Præle-

(1) *Concil. Rom. tit.* 15. *cap.* 9.
(2) *Lambertin. cit. Inſt.* 86. *num.* 10.
(3) *Cit. Inſt.* 86. *num.* 1.
(4) *S. C. C. in Civit. Plebis* 15. *Mar.* 1692. & 18. *Jul.* 1696.

Prælectoriſve manus exarato. Porro ut oculis noſtris Cleri hujus frequentiam obſervemus, & ſcientiam dignoſcamus, non raro, monitis Sac. Conc. Congr. obſequentes (1), eaſdem collationes in Palatio noſtro habendas decernemus, ut ex noſtra ſaltem præſentia ſtimulus reluctantibus addatur.

VIII. Ad habendam autem frequentiæ, vel abſentiæ notitiam certam, inhærentes Inſtructioni per S. M. Benedictum XIII. emanatæ (2) jubemus, per Conferentiarum Secretarium (ad quod officium obeundum deputamus ultimum pro tempore inter Parochos adlectum, eoque impedito proximiorem in ordine) retineri ſuper Abaco, cui Theologus, prælectorve aſſidet, librum, in quo deſcripta ſint nomina ſingulorum Confeſſariorum, primum Ordinaria, deinde delegata facultate fruentium, & ſingulis collationum diebus compendiariis notis indicari, quinam ex iis interfuerint, abſuerintve.

IX. Quod attinet ad methodum in his comitiis ſervandam, aptiorem judicavimus eam, quam in ſua Archiepiſcopali Eccleſia ſtabilivit Card. Lambertini, tum S. M. Benedict. XIV., illamque ad amuſſim etiam in Diœceſi noſtra cuſtodiendam decernimus. Præſto ſit urna, in qua contineantur Parochorum, Confeſſariorumque omnium nomina. Poſt invocatum a Prælectore Divinum auxilium, primoque caſu propoſito, extrahatur unius nomen ad ejuſdem caſus deciſionem; tum propoſito ſecundo, extrahatur nomen alterius ad illius deciſionem; poſtremo tertium ad explanationem Ritualem. Ii autem, qui ſemel extracti ſunt, non ab urna (3) expungantur, ſed iterum in eam immittantur, quo ſcilicet ad ſingulas conferentias ſinguli præparati accedant. Ne autem nimis grave onus hoc videatur, volumus, & jubemus ad laborem minuendum, ut nemo ex memoria dicat, ſed reſolutiones ſuas ſcripto exaret legendas, ubi ſors tulerit. Hinc fiet, ut ſinguli ad diligens coacti ſtudium rerum, quæ tractabuntur, tenui admodum labore periti evadent quotannis in pluribus moralis Theologiæ tractatibus.

X. Poſtremum harum collationum locum (ut præmiſſum eſt) obtinebit diſcuſſio Ritualis, in qua ordinem hunc haberi volumus, ut nempe ſumpto initio a Ritibus in privata Miſſa ſervandis (4), progreſſus fiat ad Miſſam ſolemnem, ad Parochiales functiones, & ad Sacramentorum adminiſtrationem, atque omnia gradatim, & non per ſaltum; mature, diligenterque, & non curſim examinentur, ſervato (quantum fieri poteſt) ordine capitum, in quæ Rubricæ Generales Miſſalis, ac Ritualis Romani ſectæ ſunt.

CA-

(1) *Sac. Conc. Congr. in Foſſanen. Lectionis* 11. *Mart.* 1662. *ad* 1.

(2) *Append. Num. XVII. ad Conc. Rom. num.* 5. 13.

(3) *Citat. Appendic.*, *Lambertin. Inſt.* 32. *num.* 11., *Syn. Abbati pag.* 23.

(4) *Citat. Append. num.* 9.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPUT QUARTUM

De Blaſphemis, & Ebrioſis.

I. E*Xtenderunt* [1] *linguam ſuam, quaſi arcum*. Verba hæc Jeremiæ appoſite in blaſphemos intorquet S. Hieronymus, cum ait [2]: *Horribile ſcelus Blaſphemia; quaſi arcus in Deum intenditur lingua*. Idcirco operæ pretium duximus ad oſtendendam ſceleris hujus atrocitatem, peculiariter illud deteſtari, omnes Chriſtifideles hortando ad has procaces, Diabolicaſque linguas extirpandas.

II. Meminerint proinde omnes Chriſtiani, agi hic communem cauſam, cum de tam impiis Dei contemptoribus exſtirpandis agitur. Præcipua flagellorum a Deo inflictorum radix eſt [3] blaſphemiæ culpa, & quandoque Divina manus [4] in vindictam extenditur ob unius blaſphemam vocem. Id Parochi ſæpiſſime prædicabunt, Sanctorumque Doctorum teſtimonia etiam Scripturæ exemplis confirmabunt; cum inſtructiſſimus Sennacherib exercitus ad centum octogintaquinque millia virorum una nocte percuſſus legatur, & cæſus, propter ſolius [5] Ducis blaſphemiam.

III. Multa quidem Nobis eſt cauſſa lætandi, unaque Deo gratias agendi, qui religioſum priſcorum ſeculorum zelum noſtra hac tempeſtate excitavit in S. M. Benedicto XIV. Hic enim ea, qua pollebat, Religionis inſtaurandæ cupiditate flagrans, Sacrorum Canonum, ac Pii PP. IV., & Pii V. veſtigiis inhærens [6] decrevit, ut in quacumque Civitate, ac Diœceſi alicui Confraternitati jam erectæ, quæ Confratribus genere, pietate, ac doctrina præſtantibus conſtet, munus demandetur corrigendi deteſtabiles hujuſmodi blaſphemos; multas hiſce ſodalibus Indulgentias impertiendo, ac regulas ad tale munus peragendum accomodatas præſcribendo, quas regulas una cum Encyclica videre eſt in Appendice Num. III.

IV. Quantum utilitatis, ac emendationis ex hac correctionis ſodalitate manaverit in hac noſtra urbe, poſtquam Prædeceſſor noſter Pontificia hæc monita exſequutus eſt, nemo eſt, qui ignoret. Vix jam nefariæ blaſphemorum voces audiuntur; & ſi quis fortaſſe in tam execrabile ſcelus labatur, non diu redargutionis, aut punitionis pœnam evadit.

V. Ut autem hoc tam pium, Religioſumque munus alacrius ſervetur, & ſi-

(1) *Jerem.* 9. 3.
(2) *Hieron. in eum loc.*
(3) *Catech. Rom. par.* 3. *cap.* 3. *num.* 30
(4) *Ambroſ. in Pſ.* 118.
(5) *Tobiæ* 1. 21.
(6) *Bened. XIV. Encycl.* Ad execrabile 6. *Sept.* 1746.

& ſicubi forte inſtitutum non ſit, illico inſtituatur, mandamus Vicariis noſtris, Archipresbyteris, & Parochis, ut ſancto zelo ſuccenſi, intra terminum trium menſium, in omnibus Diœceſeos locis, ubi deficit hoc inſtitutum, Confraternitati alicui jam erectæ, & piis, doctiſque hominibus conflatæ munus hoc correctorum demandent ad formam in dicta Encyclica præſcriptam, Nobiſque in Sacra Viſitatione hujuſce mandati exſecutionis per ſingulas vices rationem exhibeant.

VI. Porro, quo certa dies pro concionibus habendis, ac pro Communione generali peragenda ſtatuatur, volumus, & mandamus, ut concionatoribus tempore Adventus, & Quadrageſimæ tam in noſtris Civitatibus, quam in quocumque Diœceſis loco deſignatis, feſto S. Thomæ Apoſtoli die, & Dominica Paſſionis, onus incumbat verba faciendi contra exſecrabile ſcelus, ac vitium hujuſmodi; ideoque tam in litteris Communitatum, quæ præſentandi jure gaudent, quam in noſtris patentalibus litteris, quibus Concionatores ad quæcumque noſtræ juriſdictionis loca deputantur, expreſſa fiat mentio hujuſce oneris, quod detrectare nemini Concionatori fas ſit ſub pœna ſuſpenſionis perpetuæ ab officio prædicandi in tota noſtra Diœceſi. Tertia vero dies ad hujuſmodi concionem in Cathedralibus, ſeu matricibus locorum Eccleſiis ſemper habendam deſtinata quotannis ſit dies Octava Septembris Nativitati B. M. Virginis ſacra, & prædictorum Confratrum munus ſit aliquem pium, & doctum Sacerdotem ſæcularem, ſive Regularem, de noſtrorum Vicariorum licentia, ac Benedictione nomine noſtro impartienda, ad hanc prædicationem obeundam ea die adſciſcere.

VII. Iiſdem etiam diebus peragatur Communio generalis in omnibus Eccleſiis Parochialibus, quas expreſſe pro perpetuis futuris temporibus deſignamus tam ad ſuſceptionem SS. Euchariſtiæ, quam ad devotam viſitationem, ac pias preces ad Deum effundendas pro Chriſtianorum Principum concordia, blaſphemiæ, & hæreſum extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ exaltatione; ita tamen, ut unuſquiſque ad propriam Parochialem accedat, tanquam ad Eccleſiam ſibi ſpecialiter deſignatam pro Indulgentiæ plenariæ conſecutione. Quarta vero generalis Communio fiat ſemper in Octava Pentecoſtes die SS. Trinitati ſacra, in Eccleſiis dumtaxat Cathedralibus, & Collegiatis Civitatum, & in Matricibus aliorum locorum, quas Eccleſias pro deſignatis ad lucrandam Indulgentiam ea die haberi perpetuo volumus.

VIII. Quindecim diebus ante horum Feſtorum adventum, tum Parochi inter Miſſarum ſolemnia, tum Confratres per ſchedulas publicis in locis affixas monebunt populum tam de concione habenda, quam de Sacra Communione cum Plenariæ Indulgentiæ beneficio.

IX. At

IX. At quoniam neceſſe eſt etiam adhibere punitionis zelum in eos, qui negligunt corrigentis charitatem, ob eam rem Nos obſequentes Leonis X., & S. Pii V. (1) Conſtitutionibus, pœnas contra blaſphemos fulminatas innovamus, & uſu recipi mandamus ad tramites Superioris (2) Diœceſanæ Synodi abſque ulla veniæ ſpe. Statuimus inſuper, in hujuſmodi crimine non ſolum per accuſationem, & inquiſitionem, ſed etiam ad ſimplicem, & ſecretam denunciationem poſſe procedi, etiam ſummarie, & judicii forma non ſervata. Quinimmo declaramus juxta eaſdem Pontificias Sanctiones, denunciatorem ipſum habendum eſſe loco unius teſtis, ſi medio juramento denunciationem faciat; reſervata tamen Nobis inſpectione qualitatis, integritatis, & fidei tam ipſius denunciantis, quam alterius teſtis. Quæ hactenus diximus in blaſphemos, ea etiam dicta intelligantur contra perjuros, & contra eos, qui temere, paſſim, vel jocoſe, vel ex ira, Dei, Sanctorumque nomine abutuntur; decernimuſque, neminem ebrietatis, iræ, vel joci excuſatione in foro externo eximendum (3) a tota pœna ſuo crimini debita.

X. Ad amputandam vero ſceleris hujus peſtiferam radicem, ebrietates, ac ludos in tabernis vinariis maximo cum ſcandalo exerceri conſuetos omnino prohibemus. Idcirco renovantes decreta ſuperioris (4) Synodi, eaque ad praxim deduci jubentes iterum denunciamus, excipiendas eſſe querelas contra hiſce vitiis deſervientes, & pœnas ſubinde infligendas pro qualitate perſonarum, aliarumque circumſtantiarum; præſertim ſi delinquentes fuerint capita familiarum, & pauperes; unde præter blaſphemiæ reatum non levia ex ebrietate damna imminent domeſticis. Parochi vero, & ſuperius memorati Confratres inveſtigent, an maxime diebus Feſtis contra ea, quæ infra (5) ſtatuemus circa Feſtorum obſervationem, habeantur ludi immodici, & horis indebitis, an (6) cauponæ pateant, & in eis luſibus, & compotationibus indulgeatur; Nobiſque ſtatim indicent, ut eo, quod opportunius judicabimus, remedio præcidamus duo hæc blaſphemarum execrabilia fomenta.

CA-

(1) *Leo X. Conſt.* Supernæ, *S. Pius V. Conſt.* Cumprimum.
(2) *Syn. Abbati pag.* 6.
(3) *Can.* inebriaverunt 15. *qu.* 1.
(4) *Syn. Abbati pag.* 21.
(5) *Infra tit.* 3. *cap.* 1.
(6) *Syn. Ravennat.* 1749. *par.* 1. *cap.* 3. §. Volentes.

CAPUT QUINTUM

De Concubinariis, Meretricibus, aliiſque id genus vitioſis.

I. N*Olite errare. Neque fornicarii ..., neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores .... Regnum* (1) *Dei poſſidebunt.* Quum fœtidiſſimum luxuriæ vitium præ ceteris ſequatur ſemper cœcitas intellectus, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, deſperatio futuri (2), hinc adeo difficilis ſperari poteſt emendatio in hominibus hac peſte infectis, ut merito a Divinis litteris adnumerentur iis, quorum (3) *pars erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.*

II. Quantum proinde in Nobis eſt Paſtoralis curæ in id conferemus, ut omnia tam a Sacris Conciliis, quam ab Apoſtolicis Conſtitutionibus tradita remedia adhibeamus, ne animæ Nobis creditæ exitiali hoc morbo corripiantur. Quamobrem pœnas omnes a Jure, a Summis Pontificibus, & ab aliis Diœceſanis Synodis indictas hic innovamus; ac præcipue eas, quæ a Sacr. Tridentina (4) Synodo fulminatæ ſunt, etiam per excommunicationis telum tradentes *hujuſmodi* (5) *Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri Jeſu Chriſti.*

III. Antequam vero ad excommunicationem deveniamus, quam nonniſi in præfractos, & contumaces concubinarios, & prævia (6) trina monitione intorquebimus, aliis pœnis nedum pecuniariis, ſed etiam corporalibus, nempe carceris, fuſtigationis, & hujuſmodi, etiam pro prima vice in fornicarios quoſcumque animadvertemus, etiam nulla monitione præmiſſa. Quod ſi alteruter ex complicibus conjugio adſtrictus fuerit, graviore adulterii pœna tenebitur, quam non a feminis tantum conjugatis, ſed & a viris uxoratis, quamquam cum ſoluta muliere rem habuerint, repetemus; quum leges Civiles (7) quoad hoc jure merito a Canonicis (8) legibus correctæ fuerint, ſtatuentibus eadem lege teneri tam virum, quam uxorem, quia utrobique idem ligat fidei conjugalis vinculum.

IV. Graviores dabunt pœnas inceſtuoſi (9), defloratores (10), raptores

(1) 1. *Cor.* 6. 9.
(2) *D. Th.* 2. 2. *qu.* 153. *art.* 5.
(3) *Apoc.* 21. 8.
(4) *Trident. ſeſſ.* 24. *de ref. Matr. cap.* 8. *Syn. Sermatthæi pag.* 117.
(5) 1. *Cor.* 5. 5.
(6) *S. C. C. ap. Barboſ. in cit. cap. Tridentin. num.* 4.
(7) *Leg.* 6. §. 1. *ff. de adulter.*, & *l.* 2. *Cod. eod. tit.*
(8) *Can.* Nemo 32. *qu.*4. *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *cap.* 38. *num.* 1.
(9) *Can.* de his, qui inceſt. 35. *qu.*2. *Clement. unic. de conſanguin.*, & *affinit.*
(10) *C.* ſi ſeduxerit *de adulter.*

res (1), & nefandi criminis (2) rei jandiu a Sacris Canonibus inflictas, quas hic pro expreſſis haberi volumus, eorumque criminum, utpote quæ graviora ſunt, abſolutionem Nobis reſervamus.

V. Quoniam vero frequentius eſt in noſtro foro deflorationis,ſeu ſtupri judicium, maxime cum promiſſione Matrimonii; cumque vehemens Nobis ſuſpicio ſit, puellas facile pati ſe decipi, quod nullas ipſæ pœnas dent, immo juxta Sacros Canones aut dotem, aut conjugium conſequantur; atque in eam rem manus adjutrices porrigere puellarum patres, matres, fratres, alioſque familiares, aut ſaltem per conniventiam cooperatores exſiſtere; idcirco, ut nedum deflorator, ſed etiam ſeductæ virgines, earumque parentes, & familiares, ſi aliquo modo vel lenocinii, vel conniventiæ rei fuerint, debitis afficiantur pœnis, hac noſtra Conſtitutione decernimus, in tota Diœceſi noſtra ad unguem ſervandum eſſe edictum, jandudum in Alma Urbe juſſu fel. rec. Clementis XII. per Cardinalem Vicarium die 13. Septembris 1736. editum; cujus proinde Synopſim damus in Appendice Num. IV.

VI. In mediatores autem, & mediatrices quaſcumque alienæ libidinis, quos vulgo lenones appellamus, rigoroſe procedat Vicarius noſter Generalis, ſervatis juris regulis, juxta Bullam Pauli IV., quæ incipit *Sanctiſſimus*; Parochorumque conſcientiam oneramus, ut ſi quos compererint nefariæ hujus artis Profeſſores, eos ad ejuſdem Vicarii notitiam deferant; quo prorſus e medio tollantur vel exilio, vel alio juris remedio infamia hæc Diaboli inſtrumenta.

VII. Iidem Parochi ex officio vigiles ſint, Nobiſque denuncient, ſi quæ publica ſcandala in Parochiis impudenter verſentur. Quoad occultos vero impudicitiæ reos, præſertim ſi cum bonæ famæ mulieribus res agatur, cautiores ſint in ſæpius præmittenda ſecretiſſima correctione fraterna, juxta Euangelii leges; ne videlicet imprudenti zelo honeſtarum familiarum famam peſſundent, unde plurima damna, & ſcandala facile proficiſcuntur.

VIII. Confeſſarios quoſcumque jubemus, maximeque Parochos curare, ne per genitores ſimul in eodem ſtrato dormire ſinantur filii diverſi ſexus ſupra quinque annorum ætatem; & multo magis ne ipſi conjuges ſimul cum his pueris decumbant. Si parentes, quive puerorum curam gerunt ſemel moniti obtemperare recuſaverint, aut neglexerint, Confeſſarii eos inabſolutos dimittant; Parochi vero rem ad Nos deferant, ut pœnis arbitra-

(1) *Can.* Raptor *c.* ſtatutum 27. *qu.*2.,*c.* eos, *c.* Raptores, *c.* de puellis, *c.* Nullus 36. *q.* 2. *Trident. ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 6.

(2) C. Clerici *de exceſſib. Prael.*, *can.* Infames 3. *qu.* 7.

bitrariis a Nobis compellantur. Nullam autem paupertatis, anguſtiæ domus, aut deficientiæ alterius ſtrati admittemus excuſationem; ſatius enim foret humi cubare vel genitores, vel filios, quam in culcitris, cum evidenti periculo diſcendæ iniquitatis, antequam peccati malitiam advertant tenella hæc Chriſtianæ Reip. germina.

IX. Meretrices publicæ nullatenus fixam apud Nos habeant [1] ſedem, niſi per unam noctem in Cauponis, hoſpitiis, aliiſve diverſoriis ſub pœna pecuniaria jam in aliis Synodis taxata contra exceptores, & ſub alia afflictiva fuſtigationis, & exilii contra eaſdem procaces feminas. Qui ædes locaverint mulieribus turpem ſui corporis quæſtum exercentibus, decem aureis multabuntur; quam pœnam duplicatam exigemus, ſi a Parochis moniti eaſdem e domibus locatis non expellant; & hujuſmodi locationum contractus initi [2] etiam anticipata ſolutione irriti ſint, & nulli. Caupones autem, & hoſpites eamdem multam ſubibunt, ſi permittant ad eas feminas viros ingredi, quum una nocte [ut ſupra præmiſſum eſt] eas hoſpitio receperint. Si vero in Cryptis prope urbem, aut in locorum ſuburbiis hæ diobolares & vagæ feminæ moram trahant ad nefandum de corpore quæſtum faciendum, illico a Satellitibus, etiam ſine mandato, rapiantur in carceres; implorato etiam ad hoc, quatenus opus ſit, Curiæ ſæcularis auxilio.

X. Pro exteris, qui ſedem figere volent in aliqua Parochia cum mulieribus, quas ſecum duxerunt, advertant Parochi, ne excipiantur, niſi eis [3] per teſtimoniales Ordinariorum, ſeu Parochorum litteras conſtiterit, connubii fœdere eſſe conjunctos. Iidem Parochi advertant, ne adoleſcentes, qui ſtudiorum cauſa in hac Civitate moram trahunt, excipiantur in domibus, ubi adoleſcentulæ virgines adſunt; præſertim ſi eæ ſint, quæ [4] non omnem fugiant ſuſpicionem.

XI. In Clericos autem, ſi [quod abſit] in impudicitiæ ſordibus, immundoque concubinatu verſentur, ad tramites Sacrorum Canonum, & præſertim Concilii [5] Tridentini, abſque ulla pœnarum imminutione, procedemus. Interim fideles monemus, ne interſint Sacrificiis [6], neu Sacramenta recipiant ab iſtiuſmodi ſpurciſſimis, ac nefariis Clericis; ut hinc ſaltem corrigendæ vitæ oriatur occaſio, cum perſpexerint ſe a fidelium grege haberi contemptui.

XII. Huc revocamus quæ alias a Prædeceſſoribus noſtris ſalubriter [7] ſanci-

(1) *Ex Syn. Montilj, Muti, Brancatii, & Sermatthæi pag.* 117.
(2) *Ex ead. Syn. Sermatth.*
(3) *Ex Syn.* 1. *Brancatii pag.* 18., *& Sermatth. pag.* 118.
(4) *Can.* Interdixit *diſt.* 33.
(5) *Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 14. *de Ref.*
(6) *Can.* nullus, *& c.* præter *diſt.* 32.
(7) *Syn. Sermatth. pag.* 119.

ſancita ſunt circa comoedias. Earum repræſentationes omnino vetamus tam publicas, quam privatas, niſi prius obtenta ab iis, quos imprimendorum, librorumque cenſores in hac noſtra Synodo deputabimus, licentia, & approbatione, quæ in ſcriptis detur, nihil prorſus in iis adeſſe, quod caſtas audientium aures, ſpectatorumque oculos offendat; ſuper quo eorumdem cenſorum conſcientiam oneramus, ut nonniſi licitas, caſtigataſque approbent; approbationemque eorum manu ſubſcriptam ad Vicarium noſtrum Generalem tranſmittant, ut & ipſe ſubſcribat. Si abſque ea approbatione exhibebuntur comœdiæ, aut ſi quid addatur, quod probatum non ſit, tam Actores, quam Curatores, vulgo *Impreſarj* quinquaginta aureorum multam ſubibunt. Eamdem multam repetemus ab iis actoribus, qui nutu, geſtu, aut mimica arte aliquid inhoneſtum præſeferent.

XIII. Severe etiam, ac rigoroſiſſime Nos proceſſuros pollicemur contra effrœnatam obſcœnorum verborum, ac cantionum licentiam. Proh ſcelus! Nihil jam propemodum pudoris, nihil modeſtiæ in officinis, & compitis. Adſint pueri, adſint honeſtæ Matronæ, innuptæve puellæ, adſint ipſi etiam Altaris miniſtri, neſciunt hæc fæculenta ora, quæ ſepulchrum patens (1) vocavit Scriptura, ſibi temperare. Contra has putentes linguas zelum armabunt Parochi, cum publicis hortationibus, tum privatis correctionibus; & ſi quos publice nefariis, laſciviſque cantionibus, aut verbis debacchantes compererint, eos ad Nos deferant, ut pro qualitate perſonarum, pecuniariam, vel afflictivam pœnam imponamus, quæ gravior erit in Patres-familias, qui natos ſuos eam impure loquendi formam exemplo docent.

CAPUT SEXTUM

De uſuris, & illicitis contractibus.

I. D*Omine, quis habitabit in tabernaculo tuo?... qui pecuniam ſuam non dedit* (2) *ad uſuram*. Deteſtabile uſuræ vitium, quod noſtra tempeſtate nonnulli (ut monuit S. M. Benedict. (3) XIV.) ſub diverſis fucatis rationibus cohoneſtare aggreſſi ſunt, quodque in dies ſerpere ſub velato aliorum contractuum nomine paſſim videtur, adigit Nos, ut hic pœnas a jure Canonico contra uſurarios ſancitas enumeremus; tum vero, ut poſita ſana uſuræ explicatione varios ex innumerabilibus contractus recenſeamus,

---

(1) *Pſ.* 5. 11.
(2) *Pſ.* 14. 1., & 5.
(3) *Bened. XIV. Conſt.* Vix pervenit 1. *Novembr.* 1745.

ſeamus, qui uſuræ labe immunes vix, ac ne vix quidem cenſeri poſſunt.

II. Has primum indicimus pœnas contra uſurarios. I. Infamiam (1), quæ tamen ex uſu, & æquitate canonica ceſſat, ſi uſurarius reſipiſcat. II. Satisfacere nolentibus neganda eſt abſolutio Sacramentalis, & Eccleſiaſtica (2) ſepultura; clericuſque eos ſepeliens (3) ipſo facto excommunicatur. III. propter infamiam fiunt (4) irregulares. IV. fiunt (5) active inteſtabiles. V. ſi clerici ſint, & moniti non deſiſtant, ſuſpendi debent; ſi vero laici, excommunicari (6), uſque ad dignam ſatisfactionem. His pœnis ſubjacent uſurarii manifeſti poſt declaratoriam criminis (7) ſententiam.

III. Ut autem, quod ſecundo loco propoſuimus, certa habeatur doctrina, per quam dignoſci poſſit, in quo ſita ſit hæc labes, aptiſſimum judicavimus exſcribere ipſamet verba S. M. Benedicti XIV., qui hæc, quæ ſequuntur, tamquam omnium plane Scriptorum tum Theologiæ, tum Canonum peritorum ſententiæ, & pluribus ſacrarum literarum teſtimoniis, Pontificumque Decretis, & Conciliorum, Patrumque auctoritati conſentanea, Apoſtolica (8) Conſtitutione comprobavit, & confirmavit.

IV. „ Peccati genus illud, quod uſura vocatur, quodque in contractu „ mutui propriam ſuam ſedem, & locum habet, in eo eſt repoſitum, quod „ quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantumdem dumtaxat reddi „ poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt rece- „ ptum; ideoque ultra ſortem lucrum aliquod, ipſius ratione mutui, ſibi „ deberi contendat. Omne propterea hujuſmodi lucrum, quod ſortem „ ſuperet, illicitum, & uſurarium eſt.

V. „ Neque vero ad iſtam labem purgandam, ullum accerſiri ſubſidium „ poterit, vel ex eo quod id lucrum non excedens, & nimium, ſed mo- „ deratum; non magnum, ſed exiguum ſit; vel ex eo quod is, a quo „ id lucrum ſolius cauſſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives exiſtat, „ nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad ſortes ſuas „ amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis ne- „ gotiis, utiliſſime ſit impenſurus. Contra mutui ſiquidem legem, quæ „ neceſſario in dati, atque redditi æqualitate verſatur, agere ille convin- „ citur, quiſquis, eadem qualitate ſemel poſita, plus aliquid a quolibet, „ vi mutui ipſius, cui per æquale jam ſatis eſt factum, exigere adhuc non „ vere-

(1) *L. 20. Cod. ex quib. cauſ. infam. irrog.*, *& can.* infames §. porro 3. *qu.* 7.

(2) *C.* quia in omnibus *hoc tit.*, *& c.* quamquam *eod. tit.*

(3) *Clement.* 1. *de ſepult.*

(4) *Can.* maritum *diſt.* 33.

(5) *Eod. c.* quamquam.

(6) *C.* præterea *h. tit.*

(7) *C.* cum in diœceſ. *h. tit. L.* 5. *C. de probat. Clem. un.* §. ceterum *h. tit.*

(8) *Cit. Conſt.* Vix pervenit.

„ veretur; proindeque ſi acceperit, reſtituendo erit obnoxius ex ejus obli-
„ gatione juſtitiæ, quam commutativam appellant, & cujus eſt in huma-
„ nis contractibus æqualitatem cujuſquè propriam & ſancte ſervare, & non
„ ſervatam exacte reparare:

VI. „ Per hæc autem nequaquam negatur, poſſe quandoque una cum
„ mutui contractu quoſdam alios (ut ajunt) titulos, eoſdemque ipſimet
„ univerſim naturæ mutui minime innatos, & intrinſecos forte concurre-
„ re, ex quibus juſta omnino, legitimaque cauſſa conſurgat quiddam am-
„ plius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item nega-
„ tur, poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam, per alios diverſæ
„ prorſus naturæ a mutui natura contractus, recte collocari, & impendi,
„ ſive ad proventus ſibi annuos conquirendos, ſive etiam ad licitam mer-
„ caturam, & negociationem exercendam, honeſtaque indidem lucra
„ percipienda.

VII. „ Sed illud diligenter animadvertendum eſt, falſo ſibi quemquam,
„ & non niſi temere perſuaſurum, reperiri ſemper, ac præſto ubique eſſe,
„ vel una cum mutuo titulos alienos legitimos, vel ſecluſo etiam mutuo
„ contractus alios juſtos, quorum vel titulorum, vel contractuum præſi-
„ dio, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cui-
„ cumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum ultra ſor-
„ tem integram, ſalvamque recipere. Ita ſi quis ſenſerit, non modo Di-
„ vinis documentis, & Catholicæ Eccleſiæ de uſura judicio, ſed ipſi etiam
„ humano communi ſenſui, ac naturali rationi procul dubio adverſabitur.
„ Neminem enim id ſaltem latere poteſt, quod multis in caſibns tenetur
„ homo, ſimplici, ac nudo mutuo alteri ſuccurrere, ipſo præſertim Chriſto
„ Domino edocente: *Volenti mutuari a te, ne avertaris*: & quod ſimili-
„ ter multis in circumſtantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero ju-
„ ſtoque contractui locus eſſe poſſit. Quiſquis igitur ſuæ conſcientiæ con-
„ ſultum velit, inquirat prius diligenter oportet, verene cum mutuo juſtus
„ alius titulus, verene juſtus alter a mutuo contractus occurrat, quorum be-
„ neficio, quod quærit lucrum, omnis labis expers, & immune reddatur.

VIII. Hæc ad literam referre placuit, tum ut Apoſtolica, eaque vera, & inconcuſſa doctrina ſuper hac materia a Confeſſariis habeatur ad licitos, vel illicitos pronunciandos contractus; in quo tamen judicio ferendo, (ſi ii admodum dubii, & implicati ſint) non ſolum proprium ſenſum multo impenſo labore, ſed & peritiorum conſilium exquirere ſemper debeant; tum etiam ut (juxta ejuſdem Pontificis (1) monitum) poſſint Parochi populis

(1) *Ead. Conſt.* Vix pervenit §. 6.

pulis oſtendere, uſuræ labem a Divinis literis improbari, eamque varias formas, atque ſpecies induere ad illaqueandas animas; ideoque ab unoquoque diligenter cavendum, ne cupiditate omnium malorum fonte rapiatur; ſed potius eorum, qui doctrina, ac virtute præſtant, conſilium expoſcendum, declaratis, & expoſitis contractuum inſtituendorum conditionibus, ut percipi poſſit, an pecunia, quæ rite data alteri eſſe videtur, revera tamen palliatam uſuram contineat.

IX. Quoad peculiares contractus, qui vel palliatam uſuram continent, vel ſaltem injuſti, ſuſpectique ſunt, hæc ſtatuimus. Uſura infectas declaramus eas pactiones, quibus mutuum datur frumentum ea lege, ut in meſſe (1) cum quodam auctario recipiatur; vel ſi dentur menſuræ abraſæ, ut exigantur cumulatiores; vel ſi frumentum mutuo datum, ſit conditionis deterioris propter pravorum ſeminum admixtionem, ut deinde reddatur optimæ, & melioris qualitatis; vel ſi poſtremo pecunia inferioris ponderis mutua tradatur, ut juſti ponderis reſtituatur in eadem quantitate. Hæ omnes, ſimileſque pactiones, per quas lucrum ex mutuo percipitur, prorſus uſurariæ ſunt, ac nefariæ.

X. Frequentiores autem ſunt uſuræ aliæ, nomine diverſorum contractuum, iniri ſolitæ. Ac primo prohibemus contractum illum, quem dicunt *a godere*, in quo quis mutuam dat certam pecuniæ ſummam, & pignus (2) accipit frugiferum, quo uti poſſit citra ſortis diminutionem, donec eadem pecunia ſibi reddatur; quum enim in hoc contractu ſit mera fundi fructiferi oppignoratio, fructus, qui inde percipiuntur, detractis expenſis, in diminutionem ſortis computandi ſunt, & ſubducendi ſummæ pecuniæ mutuo traditæ, ubi fiet reſtitutio. Vetamus item, & injuſtum declaramus (3) pactum legis commiſſoriæ in pignoribus, quandoque apponi conſuetum, quo fit, ut quamvis pignoris pretium excedat mutuum, vel creditum, emptum maneat mutuanti, vel creditori, ſi deſtinato tempore non fiat ſolutio.

XI. In contractu venditionis cum pacto redimendi hæc monet advertenda præfatus (4) ſapientiſſimus Pontifex. „ I. Si in illius ſtipulatione facultas, quæ datur venditori rem venditam, quandocumque voluerit, „ redimendi, gravetur onere eam redimendi majori pretio, quam ipſe „ vendidit, contractus erit injuſtus, & uſurarius præſumendus. II. Si venditio fiat cum pacto redimendi intra certum tempus, quo elapſo non ſit „ am-

(1) *Can.* Uſura 14. *qu.* 3.

(2) C. Plures *c.* Conqueſtus *de uſuris c.* cum contra *de Pignorib.*

(3) C. Significante *de Pignorib.*

(4) *Bened. XIV. de Synod. Diœc. lib.* 7. *cap.* 51. *num.* 4. *edit. Rom.* 1748.

„ amplius locus retrovenditioni, manifeſtam redolet uſuram, & a juſtitia „ deficit, ſi obtentu pacti redimendi venditio fieret infra limites juſti „ pretii, neque haberetur ratio oneris impoſiti venditori fundum redi- „ mendi intra certum tempus, quo elapſo nequeat illum pro ſuo libito, „ eodemque pretio recuperare. III. Si pactum redimendi hac lege ineatur, „ ut non liceat venditori fundum redimere, niſi poſt præfiniti temporis, „ puta duorum, aut decem annorum intervallum, non carebit ſuſpicione „ uſuræ; quoniam ex ea temporis præfinitione fas eſt conjicere, interim vo- „ luiſſe emptorem lucrari ex mutuo, & uſuram ficta fundi emptione palliare.

XII. Ex his, ſimilibuſque conditionibus, quæ præfatum venditionis contractum cum pacto redimendi contaminant, jure merito reprobatus fuit Bononiæ uſque ab anno 1587. frequentiſſimus inibi contractus, qui (1) dicitur *Pactum francandi*, quem nos haud ita pridem ſenſimus etiam in noſtram Diœceſim irrepſiſſe hoc pacto; ut quis vendat domum, ſeu prædium emptori cum pacto redimendi rem venditam, quam tamen emptori non tradit, ſed ſibi retinet tamquam ejuſdem conductor, ſolvitque propterea emptori mercedem conventam, donec illam redimat. Contractum hunc tamquam uſuræ ſuſpectum Nos quoque reprobamus; & ſi in ſacramentali Confeſſione Confeſſario conſtiterit, emptorem revera ſerium animum non habuiſſe fundum emendi, ejuſque dominium acquirendi, ſed potius voluiſſe mutuam dare pecuniam, & uſque ad ejus reſtitutionem conſequi fructus ex prædio, quod cum *Pacto francandi* emere ſimulavit, tunc indubitanter uſurarius pronunciandus eſt contractus, ſimulata ſpecie venditionis, & locationis obtectus.

XIII. Ne in cenſuum impoſitione aliqua uſuræ labes ſubrepat, ſerventur quæ a S. Pio V. (2) præſcripta ſunt; nempe ut ſuper re immobili, ac de natura ſua frugifera imponantur; ut vere in pecunia numerata, præſentibus teſtibus, & Notario, in actu celebrationis Inſtrumenti, dotium aſſignationibus dumtaxat exceptis, ſchedulíſque (3) bancariis; ut anticipatæ ſolutiones, pacta obligantia ad caſus fortuitos, conventiones aliquid in pœnam moræ ſolvendi, rem cenſui obnoxiam non alienandi, aut alia onera ſubeundi ad contractus naturam non pertinentia minime apponantur; utque venditori afferatur jus reddendi pecuniam, repetendi autem emptori interdicatur; ac præ ceteris cavendum, ne novus cenſus creetur, aut antiquus augeatur ex fructibus præteritis, aut futuris in favorem ejuſdem emptoris, vel perſonæ per eum ſuppoſitæ; hac etiam adjecta lege, ut pereunte re, cui

(1) *Bened. XIV. de Syn. Diœc. l. cit. n.3., & 5.*
(2) *S. Pius V. Conſt.* Cum onus *19. Jan. 1569.*
(3) *S. Pius V. Conſtit. declaratoria* Etſi *10. Jun. 1570.*

cui cenſus eſt impoſitus, aut in totum, vel ex parte reddita perpetuo infructuoſa, ad ratam etiam cenſus pereat. Si ſub alia forma cenſus celebrentur, fœneratitii ſunt.

XIV. Contractum quoque Societatis ineundum mandamus ad formam Xyſtinæ (1) Conſtitutionis, ut ſcilicet pure, ſincere, abſque ulla prorſus fraudis, uſuræve labe, vel ſuſpicione alter operam, ſeu induſtriam conferat, alter pecuniam, animalia, aliave bona; neque alter e ſociis ad certam ſummam ab omni periculo immunem lucri nomine pendendam, aut ad capitale, ſi fortuito perit, reſtituendum teneatur; ſed finita ſocietate, capitale, ſi extet, ei reſtituatur, qui contulit; fructus vero, & expenſæ æqualiter dividantur. Societates ſecus, ac præſcriptum eſt, celebratæ, & in quibus vel de integro capitali reddendo, vel de certo lucro in annos, ſeu menſes ſingulos ſolvendo pactio interceſſerit, pœnis in fœneratores editis ſubjiciuntur. Has regulas reſpiciant, oportet, ii, qui ſocietatem animalium, ut vocant *a Collatica*, ineunt hac lege, quæ in Diœceſi noſtra multum invaluit, ut nempe quis Boves e. gr. juſto pretio æſtimatos conferat cum pacto, ut ſocietate finita Boves in eodemmet pretio, ſeu æſtimatione reddantur, & inſuper certa annua ſumma octo, aut decem aureorum in ſingulos centenos capitalis perſolvatur. Satis veremur, ne in hac ſocietate, ubi ſalvum eſt capitale, expenſæ nullæ, fructuſque immodici, non ſervetur æqualitas. A trino contractu, quem vocant, auctore eodem Sapientiſſimo Bened. XIV. (2) omnes dehortamur, quum etiam ejuſdem contractus patroni periculoſum eum fateantur, & minus congruere videatur Xyſtinæ Conſtitutioni.

XV. Cambiis denique nulla ſubſit uſura; licet enim vera cambia lucrum licitum germinent; attamen cambia ſicca, & quæ vocant *obliqua*, quamvis verborum ambagibus involuta, veram ſapiunt uſuram. Dolentes ſcimus, hos quoque contractus in hac Civitate, & Diœceſi crebro fieri; quamquam vera uſuræ tegumenta eſſe dignoſcantur, & perjuriis, quibus veſtiuntur, undequaque redundent. Ab his etiam ut omnes omnino abſtineant, hortamur, freti auctoritate, & juſſu ejuſdem (3) Sapientiſſimi Pontificis, qui afferens exemplum cl. mem. Marcelli Card. de Aſte olim Anconitani Epiſcopi, perſuaſum voluit cunctis Epiſcopis aliis, ut eradicarent in Synodalibus Conſtitutionibus e quacumque Diœceſi talium cambiorum abuſum, in hæc verba ſcribens: „ Quidquid ſit de foro externo, in quo fortaſſe ita res geſta præ-
„ ſumitur, ſicuti in contractus ſtipulatione deſcribitur, in foro tamen inter-
„ no, ubi ſola ſpectatur veritas, ſi pecunia accepto mutuo reſpondens neque

 „ a mu-

(1) *Xyſt. V. Conſt.* Deteſtabilis 21. *Oct.* 1586. (3) *Bened. XIV. de Synod. lib. cit. cap.* 48. *n.* 10.
(2) *Bened. XIV. de Synod. Diœc. l.* 7. *c.* 50. *n.* 6.

„ a mutuante, neque a mutuatario, juxta pactiones, fuerit ad nundinas „ tranſmiſſa, ſeu in cambia activa erogata, nec umquam in alterutrius animo fuit, eam ad nundinas tranſmittere, ſeu in cambia erogare, *minime „ dubitandum eſt*, *cambium eſſe illicitum*, *turpe*, *& uſurarium*, ac propterea e Chriſtiana Republica prorſus eliminandum. Non enimvero negamus, poſſe mutuantem, qui ſolet pecuniam ſuam negociatione augere, „ aliquid percipere a mutuatario titulo *ejus*, *quod intereſt*, hoc eſt lucri ceſſantis, aut damni emergentis; ſed cum hic legitimus adeſt titulus aliquid „ ultra mutuatam ſortem augendi, is erit ingenue adducendus, neque recurrendum ad prædictos cambii obliqui anfractus.... Quamobrem non „ inopportunum exiſtimamus, ut quilibet Epiſcopus ad eradicandum e ſua „ Diœceſi eorumdem cambiorum abuſum, ſimile monitum formet, ſuiſque inſerat Synodalibus Conſtitutionibus.

XVI. Innumera propemodum ſunt uſuræ involucra, quæ recenſere immodici eſſet laboris. Hæc autem ideo ſelegimus, ut morem gereremus monitis ejuſdem S. M. Bened. XIV., qui Epiſcopis ſuaſit, ut cum *peculiarem quemdam contractum nova*, *atque inſueta veſte circumveſtitum in Diœceſim irrepere adverterent*, *hunc illico*, *aut ſaltem in Synodo ſolerter expenderent*, *nec ſinerent*, *ut communi uſu recipiatur*, *niſi ab omni uſuræ periculo quam longe abeſſe compererint* (1). Parochis noſtris interim ob oculos verſentur præfatæ Conſtitutiones, cum de uſuris verba faciunt; Confeſſariis itidem eæ ſint præ manibus, ut Pœnitentes abſtrahant ab illicitis negotiis; nefarios contractus reſcindi, & male parta reſtitui procurent; nec illos abſolvant, qui in ſimilitudinem aſpidis ſurdæ (2), & obturantis aures ſuas vocem non exaudiunt incantantis ſapienter. Præcipimus demum Notariis quibuſcumque ſub pœnis per Sacros (3) Canones latis, aliiſque arbitrio noſtro infligendis, ne fœneratitios contractus, ſive manifeſti ſint, ſive palliati, ſtipulari præſumant; nec ullus Teſtis audeat accedere, ubi de eorum (4) pravitate legitimam concipiet ſuſpicionem.

TITU-

(1) *Bened. XIV. de Synod. lib. cit. cap. 51. num. 6.*

(2) *Pſ. 57. v. 5.*

(3) *Conc. Ravennat. IV. ſub Joan. XXII. c. 15. & L. Jubemus 14. §. 3. de Sacroſan. Eccleſ*

(4) *Ex Syn. Montisfaliſc. an. 1710. hoc tit. n. 5.*

TITULUS SECUNDUS

De Sacramentis, Sacramentalibus, & Sacris.

CAPUT PRIMUM

De Sacramentis; tum de Baptiſmo, & Confirmatione.

H*Aurietis aquas in gaudio* (1) *de fontibus Salvatoris*. Per Sacramenta novæ legis, per quæ Divinarum gratiarum fluenta ex vulneribus Chriſti Domini ſugimus, vere aquam ſalutis de fontibus Salvatoris haurimus. Ex hoc facile liquet, quanta in Miniſtro vitæ integritas, & Sanctitas, quanta in ſuſcipiente diſpoſitio, ac devotio ſint neceſſariæ.

I. Commendamus proinde quantum poſſumus, & memoriæ Sacerdotum inſculptum volumus Apoſtoli monitum, oportere eos (2) ſemper ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatores, ut omni temporis momento caſte, & religioſe Sancta miniſteria poſſint obire. Sed & eos habere volumus neceſſariam ſcientiam nedum eorum, quæ ad Sacramenti ſubſtantiam pertinent, ita ut nemini liceat in iis, quæ ad valorem Sacramenti ſpectant, ſequi opinionem probabilem relicta tutiore (3); verum etiam rituum, & cæremoniarum, quarum uſum Apoſtolica diſciplina, & traditione inductum religioſiſſime ſervandum mandamus juxta Rituale Romanum, quod præ oculis, & præ manibus habeant ſemper.

II. Volumus idcirco, & diſtricte jubemus, nemini fas eſſe abſque præſcriptis ab Eccleſia Sacris veſtibus Sacramenta miniſtrare; cumque Sac. Rit. Congr. (4) interdixerit habentibus uſum Cappæ adminiſtrare cum ea Sacramenta, ſed induere debere ſuperpelliceum cum Stola, Nos hanc ſan-

(1) *Iſa.* 11. 3.
(2) *Tit.* 17.
(3) *Propoſ.* 1. *damn. a Ven. Innoc. XI.*
(4) *S. R. C.* 12. *Jul.* 1628. *in una Urbis.*

ctionem in Eccleſiis omnibus etiam Cathedralibus exacte obſervari præcipimus. Multo magis tamquam religionis legibus abſonum vetamus morem alicubi receptum audiendi confeſſiones ſæcularium in Sacrariis, & quandoque in Eccleſia cum pallio, & pileo, ac ſi non ſacra, ſed profana res ageretur. Proinde memores præcepti a Deo indicti Aaroni, & filiis ejus ſemper accedendi ad ſacra miniſteria (1) cum ſacris veſtibus, ne iniquitatis rei morerentur, in hos parum devotos Sacerdotes etiam pœna ſuſpenſionis animadvertemus; cum ſacra ſupellex etiam ad eum finem ab Eccleſia præſcripta ſit, quod plurimum conferat ad excitandam, & promovendam populorum pietatem, & venerationem. Caſum neceſſitatis excipimus in Sacramentis Baptiſmi, ac Pœnitentiæ; & ſi quando domi Confeſſiones infirmorum, aut in Sacrario Sacerdotum mox celebraturorum confeſſiones excipere Confeſſarius deberet.

III. Extra eoſdem exceptos caſus, renovamus Canonum (2) decreta, ſummorumque Pontificum Sanctiones de non adminiſtrandis Sacramentis quibuſcumque in viis, aut in officinis, aut in domibus, domorumve Oratoriis ſine noſtra, vel Apoſtolicæ Sedis licentia, ſub pœnis ibidem expreſſis.

IV. Ab hac norma non deflectant Regulares, ad quos etiam leges de Sacramentorum adminiſtratione ab Epiſcopis editæ (3) protenduntur; ac propterea nedum circa locum, ſed & circa ſtolæ delationem ſupra Religioſum habitum, cum confeſſiones in Eccleſia excipiunt, proviſum eſſe meminerint etiam pro ipſiſmet Regularibus (4) a Sac. Rit. Congr.; quod decretum in alma urbe viridem adhuc obtinet obſervantiam.

V. Tempus etiam nocturnum (neceſſitate ſemper excepta) minus aptum denunciamus ad Sacramenta miniſtranda; quippe eadem Sac. Rit. Congr. tam ſæculares, quam Regulares Sacerdotes (5) juſſit abſtinere ab adminiſtratione Communionis etiam in nocte Nativitatis Domini, & ab excipiendis confeſſionibus, maxime mulierum, in Eccleſia, durante tempore nocturno, ſed expectandum eſſe, donec illuceſcat. Hinc Nos tum hæc ſupra recenſita Sacramenta, tum Baptiſmum, & Matrimonia diu, non de nocte ſine expreſſa noſtra licentia, quam haud facile indulgebimus, adminiſtrari, celebrarive mandamus, ſub pœna in contravenientes arbitrio noſtro infligenda.

VI. Ad

(1) *Exod.* 28. 43.

(2) *Can.* non oportet, *can.* unicuique, *can.* Clericos *de conſecr. diſt.* 1. *Lambertini Inſt.* 34. *num.* 11., *&* 12. *Bened. XIV. Epiſt. ad Primat. Polon.* 2. *Jun.* 1751. *a* §. 20. *ad* 26.

(3) *Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de Regul.*, *& Bened. XIV. de Syn. lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 5.

(4) *S. R. C.* 28. *Aug. in Caſertan.* 1628., *& ap. Pignatelli tom.* 10. *conſult.* 71.

(5) *S. R. C.* 20. *Apr.* 1641. *in Piſauren.*, 7. *Dec.* 1641. *&* 15. *Sept.* 1668. *in Januen.*, 23. *Mar.* 1685. *in Senen.*, 15. *Sept.* 1686. *in Calaguritan.*, *& Edict. Clem. XI.* 18. *Dec.* 1702.

VI. Ad accipienda Sacra Olea recens conſecrata omnino Parochi, aliique Eccleſiarum etiam Regularium Superiores, vel ipſimet accedant, vel mittant aliquem, qui ſaltem in Sacro Subdiaconatus ordine ſit conſtitutus; quum, quoad hoc, nihil prorſus imminuere Nobis integrum ſit de ſacrorum Canonum (1) diſciplina, aliarumque (2) Synodorum ſanctionibus. Quocirca cum hac ſuper re ſæpius peccetur, præcipimus ei Sacerdoti, qui Sacris Oleis in Cathedrali noſtra diſtribuendis præficitur, ne urbanis ea tradat tam ſæcularibus, quam Regularibus, ſi præfato ſaltem ordine non ſint initiati. Quoad exteros vero, rem illico deferat ad Nos, qui utique temporis anguſtia coacti tradi permittemus ſacra nova Olea, ut fontium Baptiſmalium benedictio perfici poſſit in Sabbato Sancto, conſcripta, ut moris eſt, per accipientem, traditionis Syngrapha in libro ad hoc quotannis compacto; at pecuniariam, eamque gravem arbitrio noſtro pœnam repetemus a mittente. Si ſecus fiat a diſtributore, ille hanc pœnam ſubibit.

VII. Monitos volumus Sacerdotes omnes, Parochos præſertim, qui ex juſtitia tenentur, ut piis fidelibus Sacramenta petentibus ſemper ſe exhibeant paratos ad ea adminiſtranda; neque intempeſtive vocati aut mœreant, aut querantur; multo minus cunctentur, aut moras ducant, aut ad alios Sacerdotes dirigant (3); indecorum eſt enim, & ab inſtituto Sacerdotalis vocationis abhorrens, ut quis appetat dignitatem, & profectum (4), dein vitet laborem; ac maxime eſt verendum, ne, ſi Sacerdotes, aut Parochi ſe difficiles oſtendant, rationem Deo ſint reddituri earum animarum, quæ ob eam rem a pietate exercenda retardarentur.

VIII. Ne tamen iidem Sacerdotes Sancta canibus præbeant, decretum Tridentini (5) Concilii innovamus, præcipientes, ut ante Sacramentorum adminiſtrationem, ſi opus ſit, & commode fieri poſſit, prius illorum dignitatem, vim, inſtitutionem, uſum, ac præcipuas rituum ſignificationes pro ſuſcipientium captu explicent. Id potiſſimum a Parochis præſtetur, ut fidelium mentibus alte infigatur Sacramentorum veneratio, & in cordibus ardens excitetur deſiderium. Internæ ſuſcipientium diſpoſitioni etiam externus modeſtiæ, atque humilitatis decor eſt addendus. Proinde procul arceantur viri, niſi inermes accedant, etiam enſe depoſito; procul feminæ, niſi ſepoſita omni vanitate, ac fuco; & velato (6) capite, ac modeſtia compoſitæ. *De*

(1) *Concil. Carthagin. IV. can.* 36. *Toletan. I. can.* 20. *can.* omni tempore *de conſecr. diſt.* 4. *Lambertin. Inſtit.* 81. *num.* 8.

(2) *Syn. Montilj pag.* 171. *Syn.* 1. *Muti p.* 28. *Syn. Sermatth. pag.* 51.

(3) *Can.* quicumque *de conſecr. diſt.* 4., *Tridentin. ſeſſ.* 23. *de ref. cap.* 1.

(4) *S. Proſper de Vit. Contempl. cap.* 21.

(5) *Tridentin. ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 7.

(6) 1. *Cor.* 11. 5., *& ex Edict. Urbis juſſu Ven. Innoc. XI.* 30. *Nov.* 1683.

IX. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum* (1) *Dei*. Ex hac Chriſti ſententia neceſſitatem Baptiſmi ſemper agnovit Eccleſia Catholica, & quamquam priſcis ſæculis, ſolis dumtaxat Paſchatis, & Pentecoſtes pervigiliis (extra neceſſitatis caſum) publice (2) miniſtraretur; attamen poſteriore ætate, ut infantium ſaluti æternæ conſultum eſſet, *quamprimum commode* (3) *fieri poſſet*, juſſum eſt, pueros ſacro fonte abluendos. Quocirca (4) terminum jam in aliis Synodis præfinitum omnino indicta excommunicationis pœna ſervari mandamus; ut nempe infra octo dies a nativitate numerandos, curent (5) Parentes, ut baptizentur infantes. Infra idem tempus ad ſupplendos Sacros ritus devehantur in Eccleſiam, qui poſt receptum domi, inſtante neceſſitate, Baptiſmum ſuperſtites vixerint.

X. Secluſo dicto veræ, non fictæ neceſſitatis periculo, a legibus Eccleſiaſticis prorſus alienum eſt, ſalutares undas domi (6) cuiquam conferre. Si quis vero Sacerdos parentum nobilitate, aut alia quacumque cauſſa permotus puerum quempiam, extra neceſſitatis caſum, domi, aut in privato Oratorio baptizaverit, tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu Nobis videbitur.

XI. Neceſſitate autem inſtante quilibet poteſt (7) Baptiſmum conferre, modo ad id muneris Sacerdos Clerico, Clericus laico, vir feminis præferantur; niſi forte perſona minus digna promptior eſſet in periculo, aut melius calleret formam Baptiſmi, aut potius modeſtiæ cauſſa ad ſervandum matris pudorem neceſſe eſſet, ut femina baptizaret. Quo etiam caſu, ſi parentes ipſi morituri infantis, deficientibus extraneis, baptizarent, (quod ſine mora facere debent) ſciant ſe nullam contrahere ſpiritualem (8) cognationem, quæ Matrimonii uſum impediat. Hinc fit, ut cum crebrius obſtetrices, mortis inſtante periculo, Baptiſmum conferant, velimus eas ad id officium non aſſumi, niſi de licentia Vicariorum noſtrorum in ſcriptis, & gratis habita. Ea autem licentia non concedatur, niſi prævio Medici teſtimonio ſuper idoneitate obſtetricandi, & prævio Parochi examine, ac probatione ſuper ſufficienti ſcientia eorum, quæ ad Baptiſmi valorem pertinent;

(1) *Jo.* 3. 5.
(2) *Siric. Pp. Epiſt. ad Hincmar. Ep.*, *Leo Magn. Epiſt.* 4. & 80. *can.* duo tempora, & *can.* Venerabilis *de conſecr. diſt.* 4.
(3) *Eugen. IV. conſt.* 23. §. 13.
(4) *Syn. Montilj pag.*61. *Syn.* 1. *Muti pag.*37. *Syn. Sermatth. pag.* 55.
(5) *Lambertin. Inſt.* 88.
(6) *Clement. un. de Baptiſ.*, & *Conc. Rom. Bened. XIII. tit.* 26. *cap.* 3.
(7) *Can.* in neceſſitate *cum ſeqq. de conſecrat. diſt.* 4.
(8) *Can.* ad limina 30. *qu.* 1.

tinent; quod Parochi examen, ac teſtimonium renovetur quotannis, ſub pœna inhabilitationis ab obſtetricandi munere exercendo.

XII. Quum domi ablutus eſt infans, advertat Sacerdos Baptiſmi Miniſter, ne iterum infantem baptizet etiam ſub conditione, niſi probabile habeatur dubium de prioris Baptiſmi validitate. Hoc autem probabile dubium tunc emergit, cum certo conſtat collatum fuiſſe cum materia dubia, vel cum dubia forma, vel ſi, non in capite, ſed in alio membro infantis nondum integre ab utero egreſſi, fuſa ſit aqua. Proinde idem Miniſter ſedulo examinet eum, eamve, qui puerum domi baptizavit; & ſi deprehenderit adhibitam fuiſſe debitam materiam, & formam cum intentione debita, abſtineat ab iterum baptizando etiam ſub conditione; alias ſciat ſe irregularitatis (1) vinculo innodari, præter ſacrilegam Sacramenti reiterationem.

XIII. Excipimus expoſitos, quibus ſaltem ſub conditione (2) conferendum Baptiſma decernimus, etiamſi collo appenſam geſtent ſchedulam collati Bapriſmatis, dummodo per ipſius baptizantis atteſtationem non conſtet de Sacramento rite collato.

XIV. In iis Eccleſiis, ubi plures Parochi jure baptizandi potiuntur, omnes (3) ad Benedictionem Fontis in eam Eccleſiam conveniant; iiſque nefas eſſe denunciamus, alienum ſubditum, aqua ſalutis, ſecluſa impendentis periculi neceſſitate, conſpergere; ſed quilibet infans a Parocho proprio baptizetur; Ideoque Baptiſterii, ac Sacrorum Oleorum clavem habeat apud ſe quilibet jure baptizandi gaudens, in loco abdito caute cuſtodiendam. Qui ſecus, ac ſancitum eſt, fecerit, & vel alienum ſubditum baptizaverit invito Parocho proprio, vel prohibeat, aliam clavem haberi a ceteris ſingulis jus baptizandi habentibus, præter culpæ reatum ob gravem alienæ juriſdictionis uſurpationem, multam pecuniariam non levem arbitrio noſtro ſubibit.

XV. Ad Patrinorum officium aſſumi non poſſint minores annis quatuordecim, notorie criminoſi, excommunicati, non Confirmati, rudimentorum Fidei ignari, infideles, hæretici, interdicti, infames, quique in Paſchate Sacramentum Euchariſtiæ non ſuſceperunt; inſuper (4) Regulares, Moniales, & Clerici in Sacris conſtituti. Hos omnes etiam per ſuffectas perſonas ab hoc munere excludant Parochi, aliive Baptizantes; quos

(1) *Catech. Roman. par. 2. de Bapt. num. 57. & Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 6., & Lambertin. Inſt.* 88.

(2) *S. C. C. 15. Jan. 1724. ap. Bened. XIV. de Syn. loc. cit.*

(3) *1. Syn. Muti pag. 36. §. Sabbato.*

(4) *Can.* non licet *can.* Monachi *can.* in Baptiſmate, *& ſeqq. de conſecr. diſt.* 4., *Ritual. Rom. tit. de Patrinis, can.* Placuit 16. *qu.* 2., *can.* pervenit 18. *qu.* 2., *& S. C. C. in Mediolanen.* 3. *Oct.* 1671. *ad* 3. *dub.*

quos præterea obligatos volumus ad monendos patrinos de Spirituali cognatione contracta, & de officio iiſdem Patrinis injuncto per Sacros Canones, dirigendi ſuos ſpirituales filios in viam æternæ ſalutis, ſaltem in carnalium parentum ſubſidium.

XVI. Statim a collato Baptiſmo, antequam baptizati ab Eccleſia abducantur, deſcribat Parochus in proprio Codice, juxta formam in Rituali præſcriptam, nomina, & cognomina baptizatorum, Patris, Matris, ac Patrinorum una cum anni, diei, menſiſque adnotatione, non compendiariis, aut arithmeticis notis, ſed per extenſum ſignata. Hujus codicis, quem diligentiſſime ſub clavi ſervandum mandamus, quinto quoque anno (1) fiat alterum exemplar ab eodem Parocho, & ad publicum Cleri Archivum, de quo infra, in utraque Cathedrali deferatur, ut Parochiali libro, ſi forte periret, (ſicut dolentes aliquando uſuveniſſe accepimus) ſubrogari poſſit. At Baptiſmi teſtimonia non niſi e Parochialibus libris extrahantur, & Parochiæ ſigillo munita indubiam fidei obtineant firmitatem. In reliquis vero Diœceſeos locis hujus Codicis exemplar ad Cancellarias Foraneas ſub Clavi cuſtodiendum deferatur. Vetamus tamen teſtimonium ullum deſumi a Codicis exemplari ſupradicto, indicta in tranſgreſſores aureorum trium pœna, præterquam in caſu deperditionis Parochialium librorum (2); omnino hac in parte noſtratium etiam Synodorum decreta renovantes, & exſecutionem pleniſſimam imperantes ſub pœna in ſingulos Parochos, qui illud baptizatorum exemplar non detulerint, decem aureorum ſingulis quinquenniis, quos Bibliothecæ Cathedralis noſtræ applicamus. Volumus etiam ſub præfatis pœnis, ut tam exemplum hoc, quam quicumque Parochiales libri Indiculum Alphabetico ordine diſpoſitum habeant in calce, in quo ſingula nomina ſub propria initiali littera deſcribantur una cum paginæ, ſeu chartæ numero, ſingulis nominum in libro exaratorum partitionibus reſpondente.

XVII. Ad hæc Parochi omnes meminerint ſæpe plebem ſuam commonere, quam grave (3) piaculum ſit infantem in lecto detinere abſque repagulo, cum probabili periculo, immo cum frequenti eventu ſuffocationis. Si qua vero mater, vel nutrix ultra dimidiam horam ſecum in lecto infantem ante decimum menſem expletum detinuerit inter dormiendum, Nos peccati hujus abſolutionem (4) Nobis ſervamus; & ſi ſuffocatio ſequatur, illico incurrat etiam excommunicationem Nobis pariter reſervatam, a qua abſol-

(1) *Ex Syn. Ravennat. an.* 1749. *hoc tit.* §. *Denique*.

(2) *Ex Syn. Sacchetti pag.* 30. §. *Et quia*.

(3) C. de infantibus *de iis, qui filios occid.*

(4) *Syn. Montilj pag.*69. *Syn.* 1. *Muti pag.*38.

abſolvi nequeat niſi poſt ſalutarem quidem, ſed inſignem, & publicam aliquam pœnitentiam, ut ceteris ſit exemplo. Idem ſancimus de marito, ſi cum uxore dormiens hujuſce vetitæ detentioni conſentiat. Et ut impiæ huic neci etiam (1) per temporales pœnas occurratur, interdicimus Parochis, ut ſi quem ſuffocatum, vel eo nomine ſuſpectum obiiſſe infantem repererint, aut noverint, ne ante ſepeliant, quam ad Nos, vel Vicarios noſtros infantis, parentumque nomina detulerint, ſepeliendique facultatem impetrarint.

XVIII. Quæ hactenus de Baptiſmo dicta ſunt, quæque in Superioribus Synodis ſancita, ea extendi volumus etiam (2) ad Patres Carmelitas Congregationis Mantuanæ, qui ex aſſerto privilegio fontem Baptiſmatis aſſervant in propria Eccleſia. Qui autem pro ejus adminiſtratione a Priore deputabitur, is prævio, ſi videbitur, examine, approbationem noſtram habeat.

XIX. Opportunum judicamus hic monere Regulares omnes, ut abſtineant a benedictione puerperarum, quam ad ſolos Parochos privative ſpectare non ſemel cenſuere Sacræ Urbis Congregationes (3).

De Confirmatione.

XX. His, quæ ſapienter a Prædeceſſoribus noſtris in Synodalibus Conſtitutionibus ſancita ſunt ſuper hoc Confirmationis Sacramento, pauca ſunt, quæ addamus. Volumus tamen Parochos ſæpe docere, gravi crimine ſe inquinare eos, qui (4) ob contemptum, vel oſcitantem ſocordiam illud omittunt ſuſcipere, vel per notabile tempus differunt. Ejuſdem criminis rei ſunt Parentes, Tutores, Domini, & Parochi ipſi, ſi data occaſione non urgent pueros ſibi ſubjectos, ut hoc Sacramento initientur. Porro minores (5) ſeptennio Nobis non offerantur Sacro Chriſmate liniendi. Si qui vero poſt duodecimum ætatis annum nondum ſuſceperint, eorum nomina ad Nos deferant Parochi, ut officio noſtro fungamur.

XXI. Ab hac regula, auctore Sapientiſſimo Pontifice (6) S. M. Bened. XIV. excipimus pueros baptizatos, & in periculo mortis conſtitutos.

F His

(1) *Ex iiſd. Syn.*

(2) *Syn. Montilj. p. 69., Syn. 1. Brancat. p. 11., Syn. Sermattb., & Abbati h. tit.*

(3) *S. C. C. ap. Pignatelli tom. 5. conſ. 76. in Antuerpien. 19. Nov. 1662., & Sac. Congr. Viſit. in Roman. Jur. Parochial. 15. Sept. 1695., & 23. Jan. 1698. ap. Monacell. tom. 1. tit. 10. form. 18., Sac. Cong. Rit. 10. Dec. 1703. ad 6. approban. Clem. XI. 12. Jan. 1704., & Lambertin. Inſt. 105. ſparſim.*

(4) *Lambertin. Inſt. 6. num. 10.*

(5) *Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 10.*

(6) *Id. de Syn. l. cit. num. 6.*

His etiam ante uſum rationis, ut majore gratia ditati majorem conſequantur & gloriam, paratos Nos ſemper exhibemus ad tantum Sacramentum miniſtrandum, modo a parentibus requiſiti fuerimus, & ea dignitate, quæ congrua eſt, juxta noſtrum arbitrium, poſſit ſacra unctio perfici.

XXII. De patrinis eadem repetimus, quæ de Baptiſmi patrinis diximus. Morem reprobamus in noſtra Diœceſi vigentem, nempe pluribus confirmandis adeſſe Patrinum eumdem. Quocirca juxta (1) ſacros Canones præcipimus, ne unus pluſquam pro duobus officio Patrini fungatur, niſi ex noſtra expreſſa facultate; qua ſuper re etiam Parochi advigilabunt. Hanc Canonum legem a Synodis prioribus editam renovamus, & ad praxim deduci mandamus. Moneantur iidem patrini a Parochis de cognatione contracta, & de obligatione erudiendi in Fide, boniſque moribus pueros a ſe ſuſceptos.

CAPUT SECUNDUM

De SS. Euchariſtiæ Sacramento, ac Miſſæ Sacrificio.

I. P*anis, quem ego dabo, caro* (2) *mea eſt.* Quum Catholica Eccleſia ſemper docuerit, in almo Sanctæ Euchariſtiæ Sacramento ſub panis, & vini ſpecie Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum verum Deum, atque hominem (3) vere, realiter, ac ſubſtantialiter contineri, profecto hinc ſolum ſatis dignoſcitur, quantum reverentiæ, cultus, diſpoſitionis, & ſanctitatis tam in eo adorando, quam in manducando ſit afferendum. Eum ad finem, quæ ſequuntur, ſervanda præcipimus.

II. Antiquam Euchariſtiæ aſſervandæ conſuetudinem in Tabernaculo mandamus in omnibus Parochialibus Eccleſiis cuſtodiendam, a qua ſub cujuſvis (4) paupertatis excuſatione ſe eximere non valeat quilibet Parochus, Rectorve, etiam ruralis. Eadem cuſtodia Regularibus, ac Monialibus in clauſura viventibus demandatur. Conſervatoriis (5) vero, ac quibuſque aliis Eccleſiis etiam Confraternitatum aſſervatio SS. Sacramenti interdicitur, non ſecus ac Oratoriis privatis, niſi accedente ſpeciali Sedis Apoſtolicæ privilegio. Quocirca diſtricte præcipimus, ut ſi quo die in Eccleſiis non Parochialibus, etiamſi Collegiatæ forent, ratione ſolemnitatis, ſeu Feſti

(1) *Can.* in Catechiſmo *de conſecr. diſt.* 4. *Pontific. Roman., Syn.* 1. *Muti p.*40. §. Compater, *Syn. Sacchetti pag.*33., *Syn. Sermatth. pag.* 62., *Syn. Abbati pag.* 30.

(2) *Jo.* 6. 52.

(3) *Trident. ſeſſ.* 13. *cap.* 1.

(4) *S. C. C. in Urbinat.* 22. *Mar.* 1594., & *S. C. Ep. in Aſſiſien.* 14. *Mar.* 1614.

(5) *S. C. Ep.* 20. *Dec.* 1626., & *S. R. C. in Lyſulan.* 10. *Jun.* 1604., *in Aſculan.* 3. *Apr.* 1632., *in Cortonen.* 9. *Maii* 1699., & *in decret. gen.* 10. *Dec.* 1703. *ad dub.* 26.

Feſti ad ſacram Euchariſtiam populo miniſtrandam aſſervaretur Sacramentum in Pyxide, omnino ab ultimo Sacerdote ea die celebrante formulæ minores, ſeu particulæ ſumantur, ſub pœna arbitriaria in Officiales, ſeu Eccleſiarum adminiſtratores. Indulgemus tantum, ut, quoties, juxta turnum quotannis typis edi conſuetum, facienda eſt etiam in his minoribus Eccleſiis expoſitio SS. Sacramenti, tunc per eos dies conſervetur major Hoſtia conſecrata in Oſtenſorio, donec peracta præſcriptis diebus expoſitione, die proxima ſequente, a Sacerdote ibi celebrante eadem conſumatur.

III. Clavis Sacri Tabernaculi ſub alia clavi caute cuſtodiatur a Parochis, aliiſve Sacerdotibus, ſub gravibus pœnis etiam ſuſpenſionis ab officio (1) arbitrio noſtro infligendis, nedum ſi abſque oſtioli violenta fractura ſacrilegum furtum ſequatur, ſed etiam ſi vel ſemel incuria, ſeu negligentia eorum, quibus ſacri Tabernaculi cuſtodia incumbit, aut incaute illud relinquatur apertum, aut cum clavi in oſtiolo, vel alibi, ubi facile ſubripi poſſit a temeraria, & impia manu. Qua in re ſi delinquens fuerit Regularis, noverit Nos tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatos (2) ad pœnas a Summis Pontificibus indictas progreſſuros.

IV. Duas Pyxides habeant Parochi, majorem unam pro conſervatione SS. Sacramenti, minorem (3) alteram in Sacrario, adhibendam pro delatione Sanctiſſimi Viatici ad ægrotos. Attamen advertant (4), ut quum Viaticum deferunt, relinquant ſemper in Repoſitorio, ſeu Tabernaculo conſecratas formulas in majore Pyxide incluſas, ne videlicet ii, qui tunc Eccleſiam ingredientur adoraturi, decipiantur. Hæ autem particulæ octavo (5) quoque die, aut ad ſummum, hyemis tempore, quintodecimo die integre renoventur, veteribus per aliquem Sacerdotem abſumptis, ſub gravibus pœnis contra inobedientes, aut negligentes Parochos, qui in prædictis deliquerint.

V. Ante Altare majus, in quo (Cathedralibus (6) dumtaxat exceptis) aſſervanda eſt Sanctiſſima Euchariſtia, diu, noctuque colluceat lampas ardens ſaltem una, etiam in Regularium Eccleſiis. Ea lampas non ſupra valvas (7) templi, non in choro, non a latere, ſed coram, e regione

 reti-

(1) *C.* Statuimus *de cuſtod. Euchar.*, *Innoc. XIII. Encycl.* 8. *Jan.* 1724.

(2) *Bened. XIV. in Encycl.* 9. *Febr.* 1751.

(3) *Syn. Montilj, Muti, Brancacci &c. hoc tit.*

(4) *Syn.* 1. *Muti pag.* 44.

(5) *Conſt. Innoc. IV.* Sub Catholicæ 6. *Mar.* 1254. *Clem. VIII. Conſt.* Sanctiſſimus 31. *Aug.* 1595. *Bened. XIV. Conſt.* Et ſi Paſtoralis 6. *Maii* 1742., *c.* permittimus *de ſent. excom.*

(6) *S. C. Ep. in Lucen.* 10. *Febr.* 1579. *& in Carſertan.* 29. *Novemb.* 1594. *ap. Nicol. in Floſ. V.* Euchariſt. *num.*20.

(7) *S. R. C.* 22. *Aug.*1699. *in una Ord. Capuc. & Syn. Montilj pag.* 80.

retinenda eſt. Si extincta ſæpe inveniatur, unius aurei pœna multabitur, qui hujus lampadis cuſtodiæ eſt addictus; & ſi ſemel monitus, aut multatus iterum in eo negligens fuerit, graviorem arbitrio noſtro multam ſubibit.

VI. Opportunum cenſemus hic monere omnes, qui aſſervandæ Euchariſtiæ jure gaudent, ne quovis prætextu omittant Feria V. in Cœna Domini Myſterium reponendi in ſepulcrali capſa ſtatutis precibus benedicta Sacroſanctam Hoſtiam abſumendam ſequenti Paraſceves die. Si copia Miniſtrorum, & cantorum ad eas functiones non ſuppetat, remedium attulit S. M. Bened. XIII. in parvo Cæremoniali in lucem edito pro minoribus Eccleſiis, cujus ſynopſim damus in Appendice Num. V., ut Parochis omnibus præſto ſit. Eos omnes ritus, Clericoſque inibi præſcriptos in defectum Miniſtrorum omnino adhibendos Parochis ſub præcepto formali injungimus, obedientiam gravibus pœnis, & etiam cenſuris exacturi, ſi ſecus fiat. Interim eoſdem monemus, licitum nemini eſſe in quacumque Eccleſia (1) privatam Miſſam in Sabbato Sancto loco ſollemnis celebrare, etiam ob benedictionem luminis, cerei, aut aquæ Baptiſmalis, quum per Sac. Rit. Congr. fuerit id non ſemel vetitum; tantumque nunc permiſſum eſſe, loco ſolemnis, Miſſam celebrare, juxta præfati parvi Cæremonialis ritum ad amuſſim ſervandum. Clavis autem Tabernaculi, aut Sancti ſepulchri non apud moniales (2), aut laicas (3) perſonas, ſed ſolum a Sacerdote, ad quem pertinet Euchariſtiæ miniſtrandæ, aut abſumendæ cura, omnino detineatur, conſuetudine in contrarium non obſtante.

VII. Optaret quidem (4) ſancta mater Eccleſia, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent; ideoque acriter increpamus eos (5) Sacerdotes, qui vel tædio, vel ignavia, vel celeritatis amore affecti renuunt ſatisfacere pietati, & juſtæ eorum petitioni, qui Miſſæ adſtantes ad conſortium admitti poſtulant ejuſdem Sacrificii, quod & ipſi pariter offerunt ea ratione, quæ ipſos decere poteſt. Verum hi fideles caveant, ne ſibi injuriam factam (6) querantur, ſi quandoque pro tempore, loco, & perſonis minime opportunum cenſeatur, a Sacerdote celebrante Euchariſtiam diſtribui iis, qui adſtant; quandoquidem, cum ex Eccleſiæ diſciplina modo vigente pateat pluribus in locis cuilibet facile parabilis, & inſtructa ſacra menſa, & ad ſacrum convivium admiſſio, facilis etiam, & obvius eſt

(1) *S. R. C.* 11. *Febr.*, & 11. *Mar.* 1690., & 13. *Jun.* 1697. *in Januen.*

(2) *S. C. Ep.* 12. *Jan.* 1604. *in Valliſoletan. ap. Nicol. in Floſc. v.* Clavis *num.*2.

(3) *S. R. C. pluries ap. Ferraris in Biblioth. v.* Euchariſtia *num.* 49.

(4) *Tridentin. ſeſſ.* 22. *cap.* 6. *de Sacrif. Miſſæ*

(5) *Benedict. XIV. Conſt.* Certiores 1742. §. Utinam.

(6) *Ibid.* §. At quoniam.

eſt cuilibet ad eamdem menſam acceſſus. Interim tamen monemus etiam in paramentis nigris (1) adminiſtrari poſſe Euchariſtiam per modum Sacrificii, hoc eſt cum particulis intra Miſſam conſecratis; licet vetitum ſit per modum Sacramenti, ſcilicet cum præconſecratis particulis. Feria ſexta Paraſceves (2) nefas eſt alicui ſacram Synaxim præbere, præterquam ægrotis (3) Viaticum, cum Stola, ac Pluviali albo privatim, ſubmiſſiſſima voce recitatis Pſalmis conſuetis.

VIII. Hortamur in Domino fideles noſtros, ut ad tam ſalubre convivium frequenter accedant de ſuorum conſilio Confeſſariorum, quibus præſcribimus exactam obſervantiam decreti circa quotidianam Communionem (4) juſſu Ven. Servi Dei Innoc. XI. editi, quod damus in Appendice Num. V. Ad tramites ejuſdem decreti advertant Confeſſarii, quid agendum ſit circa conjugatos, qui continentiæ vacare monentur ob Sacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam. Advertant inſuper, vetitum eſſe eamdem adminiſtrare vel in Oratoriis privatis ſine noſtra ſaltem (5) licentia, vel ſub pluribus formis, ſeu particulis, vel ſub grandioribus; cujus decreti vis etiam Regulares comprehendit, tributa Nobis, ſi ſecus egerint, facultate ſpeciali per Sedem Apoſtolicam juſte, & rigoroſe animadvertendi in contrafacientes quomodolibet exemptos. Advertant poſtremo, ne frequentem (6) ad Euchariſtiam acceſſum iis aut ſuadeant, aut permittant, qui in gravia peccata ſæpe labuntur, nec de pœnitentia peragenda, ſuaque vita emendanda ſunt ſolliciti; itidem nec illis, qui etſi gravia evitent crimina, voluntatem tamen habent venialibus inhærentem.

IX. Non niſi a Parocho pueri, puellæve ad primam Communionem admittantur, adhibita præcedenter (7) ſedula cura in iis inſtruendis, juxta normam in calce Conc. Romani a S. M. Benedicto XIII. traditam. Hinc ineunte Quadrageſima Parochus mares, & feminas, qui ad annos (8) diſcretionis pervenerint, convocatos diligentiſſime inſtruat, ac præparet ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuſcipienda. Non tamen omnes ad ſacram menſam admittet; ſed eos tantum, quos (9) ſufficiente judicii maturitate ad divini Sacramenti excellentiam ſatis agnoſcendam, ut debita religione, ac reverentia illud percipiant, inſtructos noverit. Qui enim ita ſunt comparati, & diſpoſiti, abſque ulla dubitatione Eccleſiaſtico præcepto communicandi ſemel in anno ſubjiciuntur. Ætas quidem, qua hæc maturitas

(1) *Sac. Rit. Cong. 2. Sept.* 1741. *in Aquen.*
(2) *Ex ſequ. decr. Ven. Innoc. XI.*
(3) *Ead. S. R. C.* 15. *Maii* 1745. *in Lucana.*
(4) *Decr. Ven. Innoc. XI.* 12. *Febr.* 1679.
(5) *Bened. XIV. Encycl.* Magno 1751. §. 23.
(6) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 9.
(7) *Conc. Rom. Bened. XIII. tit.* 32. *cap.* 3.
(8) C. Omnis utriuſque *de pœnit., & remiſs.*
(9) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 2.

ritas præſumatur, non poteſt (1) certa regula præfiniri; quum alii citius, alii tardius rerum ſpiritualium intelligentiam aſſequantur. Regulariter tamen volumus non præveniendum decimum ætatis annum, nec decimum quartum excedendum. Si genitores, aliique puerorum curam gerentes ab aliis, quam a proprio Parocho permittent pueros ad primam Communionem admitti, multam ſubibunt pecuniariam arbitrio noſtro, ipſimet Parochiali Eccleſiæ, cui injuriam fecerunt, applicandam.

X. Communionem Paſchalem de manu (2) proprii dumtaxat Parochi ſumendam jam definivit Conc. Lateranenſe IV., aſſignatis poſtmodum ad eam rem peragendam quindecim diebus, nempe a Dominica Palmarum incluſive (3), uſque ad totam Dominicam in Albis. Qui hoc tempore in alia quacumque Eccleſia communicaret, præcepto (4) non ſatisfaceret, etiamſi ad Cathedralem (5) communicaturus accederet, quacumque conſuetudine etiam immemorabili non obſtante. Firmam tamen volumus, & inconcuſſam noſtri Epiſcopatus conſuetudinem (6) pluribus in Synodis ſtabilitam, ut peregrini, advenæ, certumque domicilium non habentes in matrice Eccleſia communicent, quam expreſſe deſignatam volumus pro hujuſmodi hominibus ad implendum Paſchale præceptum. Sancto autem Paſchatis die nequeunt Regulares Euchariſtiam ſæcularibus (7) adminiſtrare, etiamſi hi ſæculares alia die ſatisfeciſſent (8) præcepto in propria Parochia.

XI. Ad proprium etiam Parochum Paſchali eſca reficiendi (9) ſemper accedant Fratres, & Sorores tertii Ordinis, tum Mantellati, tum Corrigiati, Pinzocheræ, Cordellati, aliique omnes quocumque nomine vocentur, in propriis domibus habitantes. Item ſæculares famuli, qui alicui (10) Monaſterio inſerviunt, ſi in eo non ſint continui commenſales, atque adeo etiam advenæ, qui (11) in Monaſteriis Regularium infirmantur. Quod multo magis ſancimus circa inſervientes Hoſpitali magno hujus noſtræ Viterbienſis civitatis, quibus nefas eſſe declaramus, Paſchalem Communionem percipere a Vicario Curato ejuſdem Hoſpitalis ad nutum amovibili; quum

(1) *Id. ibid.*
(1) *Cit. c.* Omnis utriuſque.
(3) *Conſt. Eugen. IV.* Fide digna.
(4) *S. C. C.* 23. *Jan.* 1588.
(5) *S. C. C. in Limana, in Sutrin., in Peruſin. menſ. Sept.* 1649., *& Ven. Innoc. XI.* 5. *Febr.* 1682. *ap. Pignatelli tom.* 7. *conſ.* 89., *Lambertin. Inſt.* 18. *num.* 11.
(6) *Syn. Montilj pag.* 87., *Syn.* 1. *Muti pag.* 48., *Syn. Sermatth. pag.* 65. *Syn. Abbati pag.* 31.
(7) *S. C. C.* 2. *Mar.* 1699. *& in Sveſſan. jur. Paroch.* 14. *Jan.* 1730. *ad* 1.
(8) *S. C. C. in Burdigalen.* 9. *Jun.* 1644., *in Senonen.* 11. *Jun.* 1650., *& in Mechlinen.* 31. *Ian.* 1582.
(9) *Leo X. Conſt.* Dum intra §. 19. *S. C. Ep.* 11. *Sept.* 1574., *&* 20. *Dec.* 1616., *& Clem. XII. Conſt.* Romanus Pontifex.
(10) *Loc. mox citat.*
(11) *S. C. C. in Monopolit.* 27. *Sept.* 1670. *lib.* 26. *Decret. pag.* 444.

quum hic revera Parochus proprie non ſit, ſed tantum Vicarius nudum habens exercitium adminiſtrationis Sacramentorum reſpectu infirmorum; unde nec (1) gaudet facultate benedicendi mulieres poſt partum, aut ova tempore Paſchali, aut aſſociandi cadavera alibi tumulanda cum Cruce, impediendique Parochos, ne accedant ad ipſum Hoſpitale pro iis cadaveribus ad ſepulturam deducendis.

XII. Qui poſt quindenam Paſchalem aliunde huc rediret, afferat proprio Parocho certum documentum de præcepti ſatisfactione; alias intra octo dies in Parochiali communicet: quod ni fecerit, contra ipſum, tamquam contra inobedientem præcepto, decernimus procedendum.

XIII. A Paſchali Communione (2) arcendi ſunt excommunicati, interdicti, meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi, aliique id generis peccatores publici, & notorii, niſi de eorum pœnitentia, & emendatione certo conſtet, & publico prius ſcandalo ſatisfecerint. Eadem etiam priventur conjuges, ſine legitima, & a Nobis probata cauſſa a toro, & domeſtica conſuetudine divertentes. Si tamen non publici, ſed occulti forent hi peccatores, & publice ſacram Euchariſtiam petant, caveat Parochus (3) a repellendo, memor documenti a Chriſto traditi, qui „ ſicut ſe permiſit manibus malignorum ſemel crucifigi, ita ſe „ permittit ſceleratorum manibus tractari, & inimicorum dentibus in Sa„ cramento lacerari. Hinc hoſti, & traditori ſuo Judæ in Cœna cum aliis „ dicitur corpus ſuum dediſſe; ut daret Eccleſiæ documentum, ut dum „ eſſet occultus peccator non prohiberetur a receptione hujus Sacramenti; „ homines enim non habent judicare de occultis „ Verba hæc ſunt D. Thomæ Angelici Doctoris.

XIV. Quos autem cenſere debeat Parochus publicis peccatis irretitos, ideoque a ſacra menſa arcendos, conjicere facile poterit ex ea, quam in Appendice Num. VI. ſtrictim tradimus, regula a S. M. Bened. XIV. præſcipta (4) Clero Gallicano, qua definitur, an, & quando denegari debeat SS. Corporis Chriſti Viaticum refractariis Conſtitutioni *Unigenitus*. Ex ea dignoſcet, quinam dicantur publici, & notorii peccatores; quidve agendum, ſi crimen innitatur conjecturis, præſumptionibus, incertiſque vocibus, quæ originem ſuam plerumque debent hominibus aut malo animo affectis, aut qui præjudicatis opinionibus, vel partium ſtudiis ducuntur.

Ad

(1) *S. Con. Viſit. Apoſt.* 15. *Sept.* 1695. *ad inſtant. Parochi S. Nicolai in Carc. contr. Archiboſp. Conſolat. de Urbe, confirm. ab A. C.* 23. *Dec.* 1695.

(2) *Ritual. Rom. hoc tit.* §. Fideles omnes.

(3) *Q. Q. vet. Teſt. q.* 102., *& S. Th. op.* 58. *cap.* 5. *poſt. med.*, *& cap.* 18., *&* 3. *par. qu.* 80. *ar.* 6., *&* 81. *art.* 2.

(4) *Bened. XIV. Conſt.* Ex omnibus 16. Oct. 1756.

Ad hanc normam, quam Sapientiſſimus Pontifex Eccleſiaſticis regulis, Conciliorum decretis, graviumque Theologorum ſententiis fulcitam pronunciavit, aptare, & conformare teneantur Parochi zelum ſuum in negando Viatici, & Paſchalis Communionis Sacramento, ut æmulationem Dei habeant (1) ſecundum ſcientiam.

XV. Curet Parochus diligentiſſime inveſtigare, an ab omnibus, & ſingulis ſuæ curæ ſubjectis præceptum hoc Paſchale impleatur. Monemus, & mandamus, ne quis pro ſuo libito immutet conſuetudinem in hac Diœceſi per omnes prope (2) Synodos firmatam, tradendi ſingulis ſacra jam eſca refectis ſchedulam typis impreſſam, quam poſt quindenam Paſchalem ab omnibus repetet, ſingulas domos circumeundo, facto calculo ex chartularum numero, & ſtatu animarum, quem ante Paſcha deſcriptum habebit, ad Curiam noſtram (ut moris eſt) ſub gravibus pœnis allaturus.

XVI. Si quem autem (3) deprehenderit Parochus, qui a Paſchali menſa ſe ſubtraxerit, nil intentatum relinquet ad eam animam lucrandam. Caveat, ne ſtatim objurgationibus, minis, aſperiſque verbis deterreat, unde ut plurimum profluit, contumaces exaſperatos, aut in deterius abire, aut minarum metu adactos ſine ulla prorſus diſpoſitione ad ſacrilegam Dominici Corporis manducationem accedere. Si unquam alias, hic profecto viſcera caritatis dilatet Parochus. Refractarium quæritet, humaniſſime alloquatur, cauſſas exquirat, prætextus diſſolvat, alliciat, deprecetur terque, quaterque, paratumque ſe exhibeat ad animæ vulnera curanda, amantiſſima cordis expanſione ovem errantem in ſinum recipiens, & ad vitæ paſcua paterno, quantum fieri poteſt, amore perducens.

XVII. Paternam hanc dulcedinem in caritate Dei, & patientia (4) Chriſti adhibebit Parochus uſque ad Dominicæ Aſcenſionis Feſtum, quo die inter Miſſarum ſollemnia refractariorum nomina publice denuncians, noſtro nomine edicat, decem proximos dies iiſdem aſſignari pro primo termino, antequam ad canonicas pœnas contra ipſos procedatur. Feria ſecunda Pentecoſtes, iterum eorum nomina recitando, alios decem dies denunciabit pro ſecundo termino. Dominica infra Octavam Ss. Corporis Chriſti tertium, & ultimum decem aliorum dierum terminum proclamabit ad Ss. Euchariſtiam ſuſcipiendam; quo elapſo ad pœnam canonicam declarandam nomine noſtro ſe deſcenſurum ſpondebit, per quam, publice ad valvas Eccleſiæ eorum nominibus affixis, viventes ab ingreſſu Eccleſiæ erunt arcendi, & mortui Eccleſiaſtica ſepultura privandi.

XVIII. In-

(1) *Rom.* 10. 2.

(2) *Syn. Montilj pag.* 87., *Syn.* 1. *Muti p.* 48., *Syn.* 5. *Brancacc. p.*11.. *Syn. Sermatth. p.*63., *Syn. Abbati pag.* 32.

(3) *Ex Syn. Ravennat. an.* 1749. *h. tit.*

(4) 2. *Theſſalon.* 3. 5.

XVIII. Inter hæc tamen haud relinquet Parochus paternæ caritatis dulcedinem, ſed illam augebit, qua privatis, qua publicis hortationibus, deprecationibus, monitis. Si quis interim ex his refractariis ad Communionem ſuſcipiendam paratum ſe offerat, ne illum ſtatim admittat; ſed ſi præter inobedientiam Eccleſiæ factam norit, eum eſſe depravatis moribus ita conſtitutum, ut prudenter dubitari poſſit, ficto animo, ſine prævia peccatorum expiatione accedere, exigat ab eo ſcriptum manu probati Confeſſarii teſtimonium (1) Confeſſionis exceptæ, abſolutioniſque impertitæ. Extra hos raros caſus, in quibus duo hæc concurrant, videlicet (2) contumax inobedientia præcepto Eccleſiæ, & ex depravatis moribus prudens ſuſpicio, jubemus tale teſtimonium non exigendum ab aliis, qui ſanctæ Matris Eccleſiæ præcepto ſollicite obtemperant; ſuadente (3) D. Thoma, credendum eſſe aſſerenti, ſe per Pœnitentiæ Sacramentum peccata expiaſſe.

XIX. Trina tandem hac monitione præmiſſa, trinoque elapſo termino, ut præſcriptum eſt, præcipimus, ut Parochus Dominica quarta poſt Pentecoſten, publice iterum recitatis inter Miſſarum ſolemnia refractariorum nominibus, noſtro nomine declaret, eos incidiſſe in pœnam a canone indictam; ideoque vivos deinceps ab Eccleſia arcendos, mortuoſque Eccleſiaſtica ſepultura privandos denunciabit; ſtatimque eorum nomina, & cognomina litteris perſpicuis deſcripta affigat valvis Eccleſiæ Cathedralis ſimul, & Parochialis; aliudve exemplar ad Curiam noſtram tranſmittat, ut & Nos hortationibus, monitis, & pœnis, vel pecuniariis (4) pio loco applicandis, vel excommunicationis majoris, juris ordine ſervato, vel tandem carceris formalis tamquam (5) de hæreſi ſuſpectos eos habendo, pervicaciam eorum confringere poſſimus.

XX. Si hac cenſura conterriti, & peccata ſua ipſimet Parocho confeſſi, ab eoque abſoluti (facta ſemper cuilibet Parocho cenſuram hanc abſolvendi poteſtate) de manu ejuſdem Parochi ſacram Communionem ſumpſerint, ac mandatis Eccleſiæ vere obtemperaverint, quamprimum ipſe Parochus populo intra Miſſarum ſolemnia (6), quos jam interdictos denunciarat, eo vinculo abſolutos, & in ſanctæ Matris Eccleſiæ gremium reſtitutos eſſe ſignificet. Idem quoque præſtabit, ſi poſt primam, alteramve publicam monitionem, eos pœnitentes noverit Communionem poſtulare; ut nempe eorum pœnitentia omnibus patefacta partum ſcandalum reparet,

 bonam-

---

(1) *Ex Syn. Montilj pag.* 87.
(2) *Lambertin. Inſtit.* 45. *num.* 15.
(3) *D. Th. quodl.* 1. *art.* 12.
(4) *S. C. C.* 28. *Jan.* 1587. *ad* 1., & 2. *dub.*
(5) *Fagnan. in c.* omnis utriuſque *de pœnit.*, & *remiſ. num.* 44.
(6) *Syn. Montilj pag.* 109.

bonamque eorum famam reſarciat. Quicumque Parochus hanc a Nobis præſcriptam methodum non ſervabit, vel contumacium denunciationem omiſerit, multam luet quinque aureorum, aliaſque pro qualitate tranſgreſſionis pœnas arbitrio noſtro infligendas.

XXI. Nonnulla circa delationem Viatici ad ægrotos hic duximus advertenda. Ac primo quidem improbamus morem in hac Civitate, ac Diœceſi inductum, quo Parochi ſacram Euchariſtiam paſſim deferunt induti tantum ſuperpelliceo, & ſtola; quum eo, quo fieri poſſet, majore ſplendore, frequentia, devotione, & illuſtriore apparatu deducendus eſſet Rex Regum, & Dominus dominantium. Exceptis igitur minoribus oppidulis, Eccleſiiſque ruralibus, vel cum ad ægrotos ruri degentes deferenda eſt ſacra Communio, volumus, & expreſſe mandamus, omnes Parochos tam Civitatum, quam Oppidorum non niſi Pluviali albo indutos ſuper ſtolam, ac ſuperpelliceum in veſte talari procedere in poſterum poſſe ad delationem viatici ſub pecuniaria pœna in ſingulas tranſgreſſiones gradatim augenda, donec tædio affecti hanc minus congruentem apparatus inopiam dediſcant. Quocirca Ritualis Romani præſcriptum, ac ſuperiorum (1) Synodorum decreta renovantes jubemus, Parochum quemlibet infra ſex menſium ſpatium Pluviale ſericum albi prorſus coloris comparare, quo ſemper utatur, excepto nocturnæ neceſſitatis caſu, in delatione Ss. Viatici, ſub pœna aureorum viginti illico exſolvenda, quam Nos ipſi in emptionem hujus ſacri indumenti ſtatim inſumendam curabimus, beneficio Parochialis ejuſdem.

XXII. Excipimus tantum, ut diximus, minora Oppidula, Parochoſque rurales, qui tamen ſemper talari veſte induti ſuperpelliceum, & ſtolam induant ſub præfatis pœnis. Meminerint tamen hi, ſemper vetitum eſſe uſum parvi pileoli (2) in delatione Ss. Sacramenti tam de die, quam de nocte, etiamſi prætextus adeſſet alicujus infirmitatis, abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia intra Civitatem, vel oppidum; extra civitatem vero, ſi Parochus infirmitate aliqua laborat, noſtro arbitrio indulgeri poſſe decrevit S. Rit. Congr. (3); quo arbitrio raro admodum, & non niſi cauſſa diligenter perſpecta, utemur.

XXIII. Ad amputandam autem litium radicem, quæ perſæpe non ſine magno populi Chriſtiani ſcandalo inter ipſas Eccleſiaſticas perſonas ſuboriuntur, ſtatuimus tamquam rationi, ac juri congruum, ut in comparatione, & manutentione hujus Pluvialis in Collegiatis Eccleſiis, in quibus

(1) *Syn. Montilj pag.81. Syn. 1. Muti pag.51. Syn. 1. Brancacc. pag. 14.*

(2) *S. R. Congr. 13. Aug. 1695. in Jannen.*

(3) *Ead. S. R. C. 10. Jan. 1693. in Treviren.*

bus Capitulum, vel Sacriſtia de obventionibus funeralibus, & de quarta Parochiali participant, dimidium pretii ſolvat Parochus, dimidium autem ipſum Capitulum, vel Sacriſtia, ſub pœna ſupra indicata reſpective luenda. Ubi vero Parochus ſolus eſt, hortamur fideles omnes, ut Eccleſiam, Rectoremve proprium, maxime ſi pauper ſit, liberalibus oblationibus adjuvent, ſancta æmulatione invicem certantes pro ſua quiſque conditione, ut inſignior, quantum fieri poteſt, ſplendidiorque apparatus exornetur Jesu Domino, qui cruore ſuo nos redemit, ac ſuis nutrit carnibus.

XXIV. Eadem prorſus pretii contributione, & infra idem temporis ſpatium ſub pœna pecuniaria arbitrio noſtro, mandamus confici in quacumque Parochiali Eccleſia quatuor ſaltem laternas leviores cum ſuis haſtis haud multum oblongis, quo & ab adoleſcentulis in defectum virorum commode geſtari poſſint, quæ hinc, & inde (1) circa umbellam, vel Baldachinum deferentur cum clauſis luminibus, ut hæc ſaltem luceant, ſi forte pluvia, vel vento alia lumina extinguantur. Et quoniam ad eum ſplendorem, decuſque mirifice confert eorum pietas, qui Ss. Sacramenti Societati nomen dederunt; proinde ſi qua in Parochia hæc Confraternitas erecta non fuiſſet unquam, vel aliquo Parochum inter, & Confratres diſſidio diſſoluta, quantocyus inſtauretur, aut erigatur; reſervata Nobis facultate præſcribendi, probandique ſtatuta, per quæ tum Parochorum juri, tum Sodalium juſtæ adminiſtrationis libertati conſulatur. Ubi vero Sodalitium hoc erectum reperitur, omnino conſervetur; omnique ſtudio conentur Confratres laudabile, piumque hoc ſervitium certatim exhibere Auguſtiſſimo Sacramento, cujus ſplendidus cultus teſſera eſt Catholici nominis, & illuſtriorum urbium illuſtrius decus; quod ſodalitium apprime, meritoque gloriabatur alter (2) e Prædeceſſoribus noſtris, in unaquaque Parochia jam erectum fuiſſe, & ampliſſimis Indulgentiarum theſauris pro noſtra ſpecifice Diœceſi ditatum fuiſſe a fel. recor. Gregorio XIII.

XXV. Non niſi urgente neceſſitate (3) deferatur noctu, aut inclareſcente aurora; unde maxime reprobamus morem haud ita pridem inductum, ut ad miniſtrandum ægrotis Viaticum, data opera, expectetur hora veſpertina, aut primum mane, ut aſportari poſſit, ut ajunt, privato modo; quum contra, tam Rituale Romanum, quam Ven. Innocentii XI. Decretum (4) mandet, *publice, & cum pompa*, ſecluſo vero nocturno periculo, deferendum. Ut huic malo occurratur, jubemus (5) Parochos

G 2 omnes,

(1) *Syn. Sermatth. pag.* 70., *Syn. Abbati p.*32.
(2) *Syn. Montilj pag.* 82.
(3) *Syn. Montilj p.* 84., *& Syn.* 1. *Muti p.*52.
(4) *Decret. V. Innoc.XI. in Append. Num.VII.*
(5) *Ex Syn. Montisfaliſci* 1710. *pag.* 139.

omnes, ubi primum ſenſerint aliquem e ſua Parochia graviter decumbere, etiam non accerſitos, & vocatos accedere debere domum ægroti, eumque crebro inviſere, & efficaciter monere, ut expiata tempeſtive per Sacramentalem Confeſſionem conſcientia, ſacram Communionem percipiat: Hac Parochorum vigilanti diligentia, nedum privata illa, ac minus congrua Sacramenti delatio eliminabitur; ſed etiam fiet, ut opportune miniſtretur ægrotis, dum ſibi conſtant, & pleno, quantum per morbum licet, ſenſuum, & rationis uſu pollentibus, non deſtitutis jam mente, ac prope animam exhalantibus. Si culpa Parochi, ſeu negligentia, aliquis non communicatus deceſſerit, Rector idem abſque ulla indulgentia multam illico ſubibit viginti aureorum.

XXVI. Sacramentum præcedant intorticia ſaltem quatuor, præter ſupradictas laternas circumcirca geſtandas; ex quibus intorticiis duo tantum intra cubiculum ægroti introducantur, reliquis luminibus ante fores domus conſiſtentibus. Si forte ante aliquam Eccleſiam proceſſio tranſeat, jubemus ſub arbitrariis pœnis campanarum omnium feſtivum ſonitum edi ad tanti Sacramenti reverentiam. Artifices ad Sacramenti conſpectum, illico ab opere, ac labore manus abſtrahant, & in limine officinæ in genua provoluti detecto capite adorent; tum ſurgentes, in ejus comitatu eſſe ne negligant (1). Idem præſtetur ab omnibus occurrentibus, qui ſi equo inſideant, aut curru vehantur, monendi ſunt, ut ſtatim equo, curruve deſcendant, caput aperiant, genuflectant, & ipſi quoque reverenter adorent (2). Si quis equo inſiliens, aut currum ducens non ſubſtiterit, & Proceſſionem, aut comitatum interſecuerit, ſecretiore carcere in eum animadvertemus per octo dies.

XXVII. Ubi domum ægroti Proceſſio pervenit, non decet domeſticos domi (3) Ss. Sacramentum expectare; at ad ædis oſtium ſaltem, accenſis cereis, ei per quam religioſiſſime obviam ire, & tota antea purgata domo, & ornata, ac menſa ad pixidem collocandam decenter parata, excipere debent. Qua ſuper re invigilabunt Parochi, hæc frequenter populum monentes; & antequam Sacramentum ad ægrotum deferant, ejus adeant domum, ut omnia diligenter, & religioſe parentur.

XXVIII. Frequenter etiam Parochi verba facient ad perducendum populum, ut candelis accenſis, aut ſaltem frequenti agmine Auguſtiſſimo Sacramento cultum debitum exhibeant comitantes; utque alacrius hoc Religionis officium exhibeatur, in ſolemnioribus anni Feſtivitatibus annun- cient

(1) *Syn. Montilj pag.* 83.
(2) *Lambertini Inſt.* 5. *a num.* 11.
(3) *Syn. Montilj pag.* 83.

cient Indulgentias a Summis Pontificibus elargitas, quarum Summarium damus in Appendice Num. VIII.

XXIX. Si quando Parochus, vel aliis curis diſtentus, vel infirma valetudine, aut alias, juſtis de cauſſis impeditus foret, quo minus ipſemet ad ægrotum ſacram Communionem deferre queat, poterit alium Sacerdotem ad id muneris eligere, attamen non niſi ad audiendas Confeſſiones (1) approbatum; ut ſi quando (quod haud raro accidit) ægrotus aliquid oblitum meminerit Confeſſione expiandum, poſſit Sacerdos ante Communionem ei abſolutionem impendere. Monendos cenſemus (2) Parochos omnes, ipſos poſſe, & debere Ss. Viaticum adminiſtrare pueris mox deceſſuris, ſi eos compererint tantam aſſecutos judicii maturitatem, ut cibum illum cœleſtem, & ſupernum a communi, & materiali cibo diſcernant. Illa enim ætas, quæ ut plurimum expectari conſuevit ad præbendam primam ſanis pueris Communionem, neutiquam requiritur ad muniendos ſacro Viatico eoſdem ad mortem properantes; neque leviter deliquiſſe credendi ſunt ii, qui pueros etiam duodennes, & perſpicacis ingenii ſinunt ex hac vita migrare ſine tanti Sacramenti perceptione. Idem Viaticum jubemus iterum, & tertio (3) in eadem infirmitate adminiſtrandum, ſi ipſimet ægrotantes cœleſtem illum panem eſuriant, & devote efflagitent. Si quis autem ex Parochis, falſis quibuſdam, & emendicatis ratiunculis in alterutro ex his monitis deerit, pœnas arbitrio noſtro ferendas ſubibit.

XXX. De alia Religioſi cultus ratione, quem tanto Sacramento publice in Eccleſia expoſito exhibere debemus, hæc duximus ſtatuenda (4). Æris campani feſtivus pulſus præcedat: Templi parietes aulæis ornentur: feneſtræ Altari propiores linteis obſcurentur; & altaris Icon velo omnino obtegatur. Ab altari abſint ſtatuæ quælibet, (exceptis Angelorum ſimulacris, quæ vices candelabrorum ſuppleant) aut Oſtenſoria cum Sanctorum Reliquiis, & multo magis purgantium animarum ſigna ex quacumque materie conflata. Viginti quatuor ſaltem lumina ſemper in altari colluceant; quorum quatuor prope Sacramentum, aliaque duo cum facibus ſaltem trium librarum in majoribus ceroferariis hinc, & inde. Latum velamen oſtio Eccleſiæ apponatur, ne Divina majeſtas pateat irreverentiæ tranſeuntium. Nullus laicus, etſi Confraternitatis ſacco indutus, audeat propius accedere ad Altare, cum Sacramentum eſt expoſitum, ad lumina aptanda, ſeu aliud faciendum; verum omnino in qualibet Eccleſia præſto ſit unus ſaltem Clericus

(1) *Ead. Syn. pag. 84., & Syn. 3. Brancatii pag. 6.*

(2) *Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib. 7. cap. 12. num. 1., Syn. 1. Brancat. pag. 15.*

(3) *Bened. XIV. loc. cit. a num. 4.*

(4) *Inſtruct. juſſu Clem. XII. 1. Sept. 1730.*

ricus ſuperpelliceo indutus, qui hæc peragat, quique Sacerdoti Thuribulum, & Naviculam porrigat. Duo, aut unus (1) ſaltem e Sacerdotibus cum cotta, & ſtola genibus flexis orent ante Sacramentum; & in Collegiatis Eccleſiis æque, ac in noſtris Cathedralibus fiat per Chori Præfectum horarum diſtributio per vices ab omnibus Choro addictis ſucceſſive adimplenda, quam nemini immutare, aut negligere pro libito fas ſit ſub pœna librarum trium ceræ albæ ipſius Eccleſiæ Sacriſtiæ illico perſolvenda. In Eccleſiis autem Confraternitatum duo ſaltem ex Confratribus per vices ab Officialibus deputandi, remotius ab Altari prope ſcamnum tapete coopertum genuflexi orabunt ſub pœna abraſionis ab albo Confratrum. Interim (2) nemini permittatur ex Laicis, & præſertim mulieribus intra Presbyterium, ſeu Altaris ambitum (qui idcirco, ſi opus ſit, ſcamnis circumcirca ſepiatur) ingredi; neque ſedes poſſit ulla in Eccleſiam inferri pro uſu cujuſcumque perſonæ, cujuſvis ſexus, gradus, aut conditionis, ſed omnia prorſus ſedilia procul abſint.

XXXI. Quotidianæ expoſitiones in Civitate Viterbii juxta ordinem deſcriptum in Tabella juſſu noſtro quotannis imprimi ſolita omnino habeantur in omnibus Eccleſiis ſine ulla omiſſione, aut immutatione; & ab hora vigeſima ſecunda circiter inchoetur expoſitio uſque ad ſolis occaſum, quem ſequetur, cantatis de more Litaniis B.M.V., Benedictio ſuper populum cum Sacramento (adhibito ſemper pluviali) a Sacerdote impertienda. Ultra eas, nullæ aliæ fiant novæ expoſitiones, ſine noſtra, aut Vicarii Generalis licentia in ſcriptis tradenda, etiam in Regularium Eccleſiis; quam licentiam non niſi ob publicam cauſſam (3) impertiemur. Monitos hic volumus quoſcumque, haud decere, Sacramentum (4) exponi iis diebus, quibus in eadem Eccleſia feſtivitates Sanctorum ſolemniter celebrantur; *quum præſente Domino omnium ſummo, ceſſare debeat cultus Sanctorum.*

XXXII. Si matutinis horis ſit Sacramentum expoſitum, omnino prohibentur (5) Miſſæ nigri coloris in ea Eccleſia, etiam cantatæ pro adimplenda mente Teſtatoris, ſive anniverſario faciendo; eaque expoſitione durante in quibuſcumque Miſſis etiam ad alia Altaria celebrandis fiat commemoratio de Ss. Sacramento, quæ omittatur in Feſtis primæ, & ſecundæ claſſis in Miſſis (6) privatis, & ſolum iis feſtis addenda eſt orationi principali

(1) *Syn.* 2. *Brancat. pag.* 5., *& ex ejus Edict. in calc. ejus Syn.* 2. *pag.* 35.

(2) *Syn.* 5. *Brancat. pag.* 5.

(3) *Lambert. Inſt.* 30. *num.* 9., *& Bened.XIV. Conſt.* Accepimus 1746. §. Illud.

(4) *Lambert. l. c. num.* 15.

(5) *S. R. C. in una Can. Reg.* 2. *Dec.* 1684., *&* 7. *Maii* 1746. *in Varſavien.*

(6) *Ead.* 2. *Sept.* 1741. *in Aquen.*

cipali Miſſæ ſolemnis ſub unica concluſione; ad elevationem autem (1) Sacramenti in privatis Miſſis ne pulſetur campanula. Quæ omnia ſub infraſcriptis pœnis ſervanda mandamus præcipue in Eccleſiis Confraternitatum, quæ per octo dies poſt commemorationem omnium Fidelium defunctorum aſſolent expoſitionem hanc habere matutinis horis.

XXXIII. Pro privata (2) cauſſa, exempli gr., pro infirmi ſanitate petenda, non vetamus fieri privatas Sacramenti expoſitiones; at alterutro ex his modis dumtaxat; videlicet: aut aperto Tabernaculo, accenſiſque ſaltem ſex candelis, apponendo in oſtiolo ſacram Pyxidem clauſam, ſolitoque conopeo ornatam, ut adoretur, quin tamen (3) illa vel extrahatur, vel ſub Baldachino collocetur: aut Sacram Hoſtiam in ſolito Oſtenſorio clauſam ſub Baldachino cum viginti quatuor luminibus, ut ſupra, collocando; dummodo tamen ipſum Oſtenſorium aliquo albo, pretioſoque velo obducatur, ut ſacra Hoſtia non appareat intuentibus. Utrovis tamen modo exponatur, ſemper adſit ſaltem unus Sacerdos, qui cotta, & ſtola indutus ante Sacramentum aſſidue oret; alias omnino has expoſitiones prohibemus.

XXXIV. Majus his conſtitutionibus robur accedit ex Conſtitutione (4) S. Mem. Benedicti XIV., in qua improbatur mos extrahendi ſacram Pyxidem, Sanctiſſimum Sacramentum intercludentem, eaque ſuper populum, & ad nimbos, procellaſque arcendas, aut ad incendium compeſcendum benedicendi; quum Eccleſiæ ritibus, & praxi illud ſolum conveniat, ut etiam in hiſce graviſſimis cauſſis, modo tantum ſupra expoſito, Tabernaculum oranti populo aperiatur, Pyxide non extracta.

XXXV. Laudabile foret, ut dum Ss. Sacramentum eſt venerationi expoſitum, aliquis Sacerdos, prævia noſtra licentia, fervidum ad populum ſermonem haberet. At certe ferendum non eſt, prominere ſuggeſtum ab aliquo Eccleſiæ latere, quod in cauſſa eſt, ut nonnulli ex auditoribus terga vertant Sacramento, dum Oratorem audiunt. Proinde mandamus, ut vel ſermo habeatur a Sacerdote cotta, ſtolaque induto, ad Altare in cornu Euangelii ſtante; aut ſuggeſtus aptetur prope ipſum Euangelii cornu, oblique tamen, ut ipſe Orator faciem ſemper ad Altare vertat. Interim Concionatoribus hiſce præcipimus, ut omnino non niſi (5) capite detecto ſermonem habeant, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, quam Sac.

(1) *Ex cit. Inſtruct.* §. x., & *S. R. C.* 23. *Jun.* 1736. *in Burgen.*
(2) *Lambert. Inſt.* 30. *num.* 16.
(3) *S.C. Ep.* 9. *Dec.* 1692. *ap. Nicol. in Floſcul.* v. Euchariſtia *num.* 23.
(4) *Bened. XIV. Conſt.* Cum, ut recte 1756.
(5) *S. R. C.* 16. *Febr.* 1630. *in Belgica.*

Sac. Congregatio abuſum eſſe declaravit. Qui, ſecus ac præſcriptum eſt, capite cooperto verba faciet, is illico prædicandi munere in tota Diœceſi noſtra interdicetur.

XXXVI. Poſtremo Rectores, Officiales, cuſtodeſque Eccleſiarum, in quibus habebitur hæc expoſitio, ſedulo caveant, & toto conatu curent, ne prope Eccleſiam eo tempore ullus (1) ſtrepitus fiat, per quem mentes fidelium ab Oratione abſtrahantur. Si quis autem a ſupradictis cuſtodibus monitus non deſiſtet, ad eorumdem delationem carceri mancipabitur. Neque hic omittendum, vetitam eſſe a Sac. Tridentina Synodo conſervationem Euchariſtiæ intra chorum, vel ſepta Monialium, non obſtante quocumque indulto, aut privilegio (2). Proinde non reprobare non poſſumus, & non prohibere uſum, neſcimus quo jure, introductum in nonnullis Monaſteriis noſtris aſſervandi Sanctiſſimum Sepulchrum Fer. V. in Cœna Domini, & etiam Ss. Sacramentum exponendi intra clauſuram; innovantes quoad hoc pœnas a ſacris Canonibus ſtatutas.

XXXVII. Quæ hactenus duximus decernenda circa harum expoſitionum numerum, ordinem, ritum, ac cæremonias, omnino obſerventur ſub pœna ſcuti unius auri in ſingulas tranſgreſſiones perſolvenda a Rectoribus, Officialibus, Sacriſtis, aliiſque, quocumque nomine vocentur, quibus Eccleſiæ cura demandata eſt. Eam autem pœnam pro duabus partibus Monaſterio Convertitarum applicamus; tertia vero pars reſervetur Magiſtro Cæremoniarum Cathedralis noſtræ S. Laurentii, cui impoſitum volumus onus vigilandi ſuper horum decretorum obſervantia, deferendi ad Curiam noſtram transgreſſorum nomina, & exactionem pœnæ, ut ſupra, taxatæ procurandi. In Regulares autem tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati animadvertemus aliis pœnis reſpective, prout Sacrarum Congregationum decretis ſtatutum eſt.

XXXVIII. Quum jam a centum, & octoginta annis laudabilis mos inoleverit, ut ad expoſitionem in noſtra Cathedrali S. Laurentii triduo Paſchatis haberi conſuetam Confraternitates (3) omnes per vices ad orandum accedant, Nos omnino mandamus ſub infraſcriptis pœnis, conſuetudinem hanc retinendam; præcipientes, ut per Magiſtrum Cæremoniarum affigatur valvis Sacriſtiæ ejuſdem Eccleſiæ diſtributio duarum horarum in ſingulas Confraternitates, quæ in numero ſaltem octo Confratrum accedent hora aſſignata; genibuſque flexis orabunt quatuor in horas ſingulas ad ſcamnum a tergo orantium Sacerdotum paratum. Quia vero Feria ſecunda Paſcha-

(1) *Syn. 1. Muti p. 47., Syn. Sermatth. p. 68.* (3) *Syn. Montilj pag. 41. §.* & quia.
(2) *Trident. ſeſſ. 25. de Reg. cap. 10.*

Paſchatis Confraternitates omnes ſolemni ad B. Virginem ſupra Quercum ſupplicatione impediuntur, mandamus, ea die pomeridianis horis, ab hora viceſima uſque ad vigeſimam quartam, adorationis hujuſce munus obeundum ab Oratorio, ſeu Sodalitio S.Mariæ de Roſis, quod ſicut perinde ac cæteræ Confraternitates privilegiis, & mortuariorum obventionibus fruitur, ita æquum eſt, ut & æqualia onera ſupportet. Hoc autem Sodalitium ſexdecim ſaltem Confratres deſtinabit, ut nempe quatuor iis horis quaterni orantes reſpondeant. Si qua Confraternitas ſuo muneri deerit, aut tempeſtive non aderit, illico pœna librarum ſex ceræ albæ Officiales multabuntur; aſſignamuſque tertiam hujus multæ partem ſupradicto Cæremoniarum Magiſtro, cui onus vigilandi, exigendique imponimus; reliquas vero partes ejuſdem Cathedralis Sacriſtiæ.

XXXIX. Sub pœna itidem (1) trium ceræ librarum per Officiales exſolvenda, & pari modo applicanda, jubemus ſervari antiquam, laudabilemque, at nonnihil neglectam conſuetudinem adveniendi ad Cathedralem eamdem ſingulis tertiis Dominicis uniuſcujuſque menſis, quum de more habetur Ss. Sacramenti Proceſſio. Ad eam proinde ſub præfata pœna accedant ex qualibet ſocietate ſaltem quatuor Confratres cum ſaccis ſui ſodalitii, ut dignoſci poſſint, ſecum geſtantes intorticia, vel cereos ad aſſociandum Sacramentum. Prædicta vero Proceſſio omnino fiat circa plateam ante Eccleſiam, exceptis tantum diebus pluviis, aut ſi vehemens ventus extingueret lumina, qua ſuper re Magiſter Cæremoniarum, cui quoad hoc omnes debent obtemperare, provide invigilabit.

§. Alter

De Sacrificio Miſſæ.

XL. Sacroſanctum, tremendumque Miſſæ Sacrificium, quo idem ille (2) Chriſtus continetur, & immolatur, qui in Ara Crucis ſemel ſeipſum cruente obtulit, quanto Religionis cultu, ac veneratione celebrandum ſit, quivis facile æſtimare poterit, qui fidem, ac ſpiritum Dei habeat. Non niſi igitur in Eccleſiis, vel Oratoriis publicis tantum per Nos deſignatis, & viſitatis, tamquam in locis Deo dicatis, Sanctum hoc ſacrificium peragi mandamus a Sacerdotibus (3) tam ſæcularibus, quam Regularibus; qui

 vero

(1) *S. C. Ep. in Viterbien. 9. Dec. 1586., in Turritan. 16. Oct. 1600., in Nolan. 2. Maii* 1601. *In Florentin. 2. Febr. 1692., & S.C.C. in Nucerin. Paganor. 15. Apr. 1690., & in Novarien. Proceſſion. 16. Apr. 1692.*

(2) *Trident. ſeſſ. 22. cap. 2.*

(3) *Ibid. decret. de obſerv., & evitan. in Sacrif. Miſſ.*

vero extra Eccleſiam, aut in privatis domibus, aut in templis pollutis, interdictis, vel ſaltem non benedictis ſacrum egerint, pœnam ſuſpenſionis a Divinis illico incurrant.

XLI. In Oratoriis autem privatis omnino ſerventur conditiones in Indulto appoſitæ; videlicet, ut una tantum Miſſa, non in ſolemnioribus diebus, qui Indulto excipiuntur, & non niſi (1) præſente eo, cujus favore privilegium eſt conceſſum, celebretur. Quocirca qui in privatis hiſce Oratoriis ſacrum facturus eſt, ſive ſæcularis ſit, ſive Regularis, tenorem indulti exquirat, & calleat; alias ſciat, ſe eadem ſuſpenſionis pœna ipſo facto innodatum, ſi facultatis Pontificiæ limites prætergrediatur. Uſum aræ geſtatoriæ, ſeu altaris viatici ab Honorio III. (2) jamdudum conceſſum, atque a (3) Tridentino ſublatum, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati omnino vetamus, ſub pœnis etiam cenſurarum in inobedientes quomodolibet exemptos infligendis..

XLII. Nemini fas eſſe volumus, qui Confeſſarius, aut Cappellanus Monialium non ſit, in earumdem Eccleſiis ſacrum peragere (4) abſque noſtra licentia, etiamſi Moniales forent Regularibus ſubjectæ. Licentia autem hæc in ſcriptis habenda Confeſſario Monaſterii oſtendatur, ejuſque cura ſit, eam etiam a Regularibus celebraturis exigere; ſecus faciens a Confeſſarii munere amovebitur. Excipimus dies, quibus Sanctorum Monaſterii Titularium, aut Patronorum ſolemnitates celebrantur; itemque dies Veſtitionis, Profeſſionis, aut obitus Monialium. Excipimus etiam Monaſterium S. Roſæ propter frequentes ex devotione Miſſas ibi conſuetas; in qua tamen S. Roſæ Eccleſia, ſi eleemoſynæ pro Miſſis tradantur Monialibus, præſto ſit liber (5) ad eas adnotandas, fideliter conſervandus a Confeſſario; atque in eo ſingularum eleemoſynarum ſatisfactio deſcribatur manu alicujus Sacerdotis ſæcularis (6) tantum, quem veluti alterum Cappellanum a Nobis approbandum eligi volumus ad has adventitias Miſſas celebrandas, & ad Miſſas triginta in obitu cujuſque Monialis juxta morem adimplendas.

XLIII. Tempus etiam ab Eccleſia præfinitum ſervetur, ut nempe ab aurora ad meridiem (7) uſque celebretur; permiſſa etiam tertia horæ parte,

---

(1) *Decret. edit. juſſu Bened. XIV. 7. Jan.* 1741., *& Conſt. ejuſd.* Magno cum animi 1751. §. 12.

(2) *Cap.* in his *de privileg.*

(3) *Conc. Rom. 1725. tit. 15. c.2. Bened.XIV. Conſt. cit.* §. 29.

(4) *S. C. C. in Hieracen. Viſitationis 26. Jan. 1692. ad VII. Syn. 1. Maii pag.* 55.

(5) *Edict., & Inſtruct. Clem. XI. 1.Oct.* 1704.

(6) *S. C. Ep. Patriarch. Veneto 15. Jun., & 8. Aug. 1592., & S. C. C. in Placentin. 9. Dec.* 1651.

(7) *Rubr. Miſſal. XV., & tit. de defect. X. n.1.*

te, ſeu viginti minutis (1) ante auroram, totidemque poſt meridiem. Hos limites nullus excedat, niſi accedente aliquo Sedis Apoſtolicæ privilegio, ſeu Indulto, quo tamen parce utendum monuit (2) fel. rec. Paulus III. Ideoque Eccleſiarum cuſtodes, Sacerdotes omnes, ac Nobiles viros, qui domeſtici Oratorii jus habent, hortamur, atque admonemus, ne umquam extra præfatum tempus celebrationes Miſſarum vel permittant, vel peragant, vel jubeant; ſecus in Sacerdotes ſuſpenſione; in laicos vero præfiniti temporis anticipationem, ſeu tranſgreſſionem præcipientes, quacumque dignitate præfulgeant, gravi alia arbitrio noſtro pœna animadvertemus. Si qua vero Confraternitas Privilegium aliquod jactet, illud in forma ſpecifica obtentum authentice exhibeat Nobis recognoſcendum; alias Officiales, Cappellanoſque eo prætextu taxatum tempus prævertentes, aut excedentes, pecuniaria, vel etiam carceris pœna puniemus.

XLIV. Nocte ſancta (3) ſolum Nativitatis Dominicæ priorem tantummodo Miſſam, elapſa media nocte, celebrare licebit, exceptis Monialium Eccleſiis; reſervatis tamen in craſtinum (4) duabus reliquis, vetitaque, ea etiam nocte, Euchariſtiæ adminiſtratione in Eccleſiis quibuſcumque, non obſtante quovis privilegio.

XLV. Apprime commendamus munditiem, nitorem, ſplendoremque ſacrarum veſtium, & mapparum Altaris, quarum Benedictio (5) non niſi a Nobis, aut a delegatis noſtris exquirenda eſt, reſervata Abbatibus (6), aliiſque Prælatis Regularibus facultate ſacra indumenta benedicendi pro ſuis dumtaxat Eccleſiis. Inter hæc monemus, Pyxidem etiam, Pluviale, & Cingulum (7) eſſe benedicenda; Cingulum autem (8) congruentius eſſe, ſi lineum ſit potius, quam ſericum; & pallam adhibendam non (9) eſſe drappo ſerico ex parte ſuperiori coopertam. Super calicem tam eundo, quam redeundo ab Altare non eſt deferendum (10) a Sacerdotibus manutergium, neque ad celebrationem adhibendus eſt uſus (11) candelæ, vulgo *bugia*, a Superioribus Ordinum Mendicantium, aut a quibuſcumque ſæcularibus Sacerdotibus etiam Canonicis, (12) ſeu Parochis. Prohibemus etiam anulorum delationem in celebratione Miſſæ, etiamſi Proto-

(1) *Append. ad Conc. Rom.* 1725. *XVIII.* §. 9., & 19., *innovat. a Bened. XIV.* 31. *Mar.* 1741. & *Lambertin. Inſt.* 12. *num.* 3., & *Inſt.* 34. §. 3.
(2) *Paul. III. Conſt.* 22. *tom.* 1. *Bullar.*
(3) *Can.* Nocte ſancta *de conſecrat. diſt.* 1.
(4) *S. R. C.* 7. *Sept.* 1641., & 20. *Apr.* 1654.
(5) *Lambertin. Inſt.* 21. *num.* 9.
(6) *Decr. Alex. VII.* 27. *Sept.* 1659. §. 18., & 19., *innovat. a Bened. XIV.* 31. *Mar.* 1741.
(7) *Lambertin. Inſt.* 21. *num.* 12.
(8) *S. R. C.* 2. *Jan.* 1701. *in una Camald.*
(9) *Ead.* 2. *Jan.* 1701. *in Montis Coron.*
(10) *Ead.* 1. *Sept.* 1703. *in Piſauren.*
(11) *S. R. C.* 22. *Aug.* 1734. *ap. Lambertin. Inſt.* 34. §. 4. *num.* 16.
(12) *Ead.* 11. *Jul.* 1699. *in Vicentin.*

tonotarii ſint (1), aut Doctores quicumque, & Cathedralium Canonici; ſed ſi aliquibus ex hujuſmodi Sacerdotibus ratione Dignitatis anulus competat, omnino in Miſſæ celebratione deponatur, ex præſcripto Concilii Rom. ſub S. Mem. Benedicto XIII. tit. 16. cap. 3., cujus accuratam obſervantiam omnino jubemus ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis (2) ipſo facto incurrenda per octo dies Nobis reſervata. Volumus hic autem præſervatum favore Cathedralis noſtræ Viterbienſis indultum ab eodem Ss. Pontifice Bened. XIII. conceſſum circa uſum Mitræ, Anuli, Inſtrumenti cum candela, Pelvis &c. At meminerint hi privilegiati anulum deferendum Epiſcopali more cum unica tantum gemma in anulari dexteræ digito; proptereaque anulos pluribus gemmis intertextos, aut cum ſcalpturatis imaginibus perſæpe profanis, & indecoris, inſtar laicorum, ſub præfata pœna omnino prohibemus.

XLVI. Panis, & vinum, cum non corporis alimenta, ſed ſpiritus deliciæ eſſe debeant per tranſubſtantiationem in Corpus, & Sanguinem Chriſti, ea eſſe oportet, quæ deceant oblationem tam mundam, utque nedum valide, ſed & licite ex iis ſacrificium conficiatur. Quare propter (3) reverentiam tanto Sacramento debitam, cum piaculum ſit vinum ſemicorruptum apponere, expreſſe prohibemus in ſacris Myſteriis uſum vappæ ſeu medii vini; item vini acidi, ſubacidi, mucidi, aut muſti fæculenti recens ex uvis expreſſi; at omnino ſit ſemper purum, defæcatum, abſque ullo vitio, & ſemper albi coloris. Qui vinum aliquo ex ſupradictis, aut quocumque alio modo in corruptionem vergens adhibere ſcienter præſumpſerit, ſuſpenſionis pœnam (4) a divinis ſubibit. Rectores autem, aut Sacriſtæ, qui conſulto vinum interdictum parare, & apponere ad ſacrificium non veriti fuerint (ultra ſuſpenſionem, ſi Sacerdotes forent) decem aureorum pœna multabuntur; cujus tertiam partem delatori, reliquas piis uſibus applicabimus. Sin vero laici forent Eccleſiarum cuſtodes, ſeu Sacriſtæ vinum interdictum apponentes, prædictam pecuniariam pœnam illico luent, ut ſupra applicandam.

XLVII. Adſit ſemper miniſter, qui ſacro inſerviat, iſque ſit, qui nec moribus, nec ore, nec habitu ſacrum miniſterium inhonoret. Procul ergo a Miniſtri officio (5) publice, & notorie criminoſi; viles, aut ſordidi homines, aut levis animi pueri nondum plene inſtructi. Cura (6) ſit Sacerdotis

(1) *Ead. 3. Mar. 1674. in Baren: & pluries.*

(2) *Ex edict. Curd. Vicar. in Append. ad Conc. Rom. ſub Bened. XIII. num. 18. §. 5.*

(3) *D. Th. 3. par. qu. 74. art. 5. ad 3., ex can.* cum omne crimen *de conſecrat. diſt. 2., & Rubr. Miſſal. Rom. de defect. vini num. 2.*

(4) *Lambertin. Inſt. 77.*

(5) *Conc. Trident. decret. cit. de obſervan. &c. ſeſſ. 22.*

(6) *Syn. Sacchetti pag. 46.*

dotis cujuſque, ut hi qui Miſſæ inſerviunt, non per Eccleſiam eo tempore huc, illucque diſcurrant, aut aliena, vel incompoſita operentur; ſed pia, ac Religioſa, tum animi, tum corporis compoſitione ſacro, & celebranti aſſiſtant; iique in Cathedralibus Collegiatis, Parochialibuſque Eccleſiis, (1) ſaltem feſtis diebus, ſint ſuper talarem veſtem ſuperpelliceo induti.

XLVIII. In altari, in quo Nos ſacrum peregimus, nemini (2) liceat eodem die Miſſam celebrare ſine noſtra expreſſa licentia; firmam ſemper decernendo quoad hoc, perpetuoque obſervandam hanc legem a Prædeceſſoribus (3) noſtris ſæpius indictam. Neque item in Eccleſia, ubi Nos ſollemniter, vel privatim Miſſam celebramus, ulli fas ſit interim Sacrum operari ſub pœna (4) juliorum ſex. In noſtra tantum Cathedrali, cum Pontificalia obibimus, permittimus Miſſam aliquam privatam ad populi commoditatem, poſtquam tamen Nos conſecrationem perfecerimus. Eadem etiam regula, ne populus ab auditione ſolemnis Sacrificii avocetur, vetamus privatas Miſſas tempore Miſſæ cantatæ (5) in Cathedralibus, & Collegiatis ſub pœna punctaturæ conſuetæ, ſi privatim celebrans ſit Choro adſtrictus; ſolumque permittimus, ut Chori (6) Præfectus ad populi, ſi frequens fuerit, commoditatem, uni, aut alteri ex Canonicis Præsbyteralis ordinis facultatem impertiatur celebrandi feſtis diebus inter Officiorum Divinorum, aut Miſſæ decantationem, modo tamen pluſquam duo non abſint a Choro.

XLIX. Ubi celebratur Miſſa, adſit ſemper in medio Altari Crux, & hinc inde in utroque latere (7) candelabra ſaltem duo cum candelis accenſis. Porro Crux ita ſit (8) præalta, ut ipſa tota candelabris ſuperemineat. Quocirca tamquam ſacræ antiquitati contrarium improbamus morem præfigendi exiguam Crucifixi imaginem minori tabulæ, vel ſtatuæ ſancti, qui inter candelabra perſæpe ſuperadditur. Si vero in majore tabula Altaris pictus, vel cælatus Salvator Noſter Crucifixus appareat, primumque locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem tabula exprimuntur, tunc haud neceſſe (9) eſt aliam Crucem apponere. Si publicæ ſit venerationi expoſitum Ss. Sacramentum ſuper Altare, ibique ſit Miſſa celebranda, unaquæque (10) Eccleſia ſuum morem retineat collocandi, vel amovendi Crucifi-

xum

(1) *Syn. Montilj pag. 92.*
(2) *Conc. Antiſiodoren. can. 10., & can. fin. de conſecrat. diſt. 2.*
(3) *Syn. 1. Muti pag. 57. Syn. Sermatth. p. 75.*
(4) *Syn. Montilj pag. 94., Syn. 1. Brancat. pag. 29., Syn Sermatth. pag. 74.*
(5) *S. C. C. pluries in Syn. Sermatth. pag. 75.*
(6) *Syn. 5. Brancat. pag. 6.*
(7) *Bened. XIV. Conſt.* Accepimus 1746.
(8) *Cærem. Ep. lib. 1. cap. 12.*
(9) *Ead. Conſt.* §. ſecundo, & *S. C. R. in Roſſanen. 16. Jun. 1663.*
(10) *Ead. Conſtit.* §. quarto, & *S. R. C. 2. Sept. in Aquen. 1741.*

xum in medio; quæ omnia etiam pro Regularibus monita ſint a Nobis (1) tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis.

L. Exteri Sacerdotes, vagi, & ignoti, etiam in Eccleſiis Regularium haud prius ad ſacrum faciendum (2) admittantur, quam exhibuerint litteras teſtimoniales ſuorum Ordinariorum a Nobis, vel Vicario noſtro (3) recognitas, & approbatas; quæ quidem litteræ (4) pro iis, qui de regionibus ultra montes veniunt, a Nunciis Apoſtolicis ſubſignatæ eſſe debent. Regulares (5) etiam a celebratione arcendi, niſi obedientiales litteras a Nobis, vel Vicario noſtro probatas exhibeant. Rectores, Sacriſtæ, aliique, quibus Eccleſiarum cura innixa eſt, ſi ſecus, ac juſſimus, ad celebrandum vagos, & ignotos admiſerint, decem ſcutorum pœnam, aliaſque etiam corporis afflictivas, ſicut gravitas exigit, ſubibunt, ſi laici ſint; ſi vero Sacerdotes, ultra præfatam pecuniariam pœnam piis ſemper uſibus applicandam, ipſo facto ſuſpenſionem etiam a Divinis incurrant, a qua abſolvi non poſſint, niſi eadem pecuniaria pœna ſoluta. Eamdem ſuſpenſionem latæ ſententiæ incurrant Regulares etiam, ſi quempiam exterum in ſuis Eccleſiis (6) celebrare permittant ſine prævia noſtra licentia.

LI. Novis etiam Sacerdotibus tam hujus Urbis, quam Diœceſis, interdictum volumus (7) primam Miſſam celebrare, niſi obtenta prius a Nobis facultate, quam non tribuemus, niſi exhibito jurato teſtimonio Magiſtri Cæremoniarum, aut alterius Sacerdotis a Nobis ſpecialiter deputati, circa ſacrorum rituum peritiam, ſub pœna ſuſpenſionis arbitrio Noſtro. Qua in re cum priorum Synodorum ſimilia decreta compererimus effectum non obtinuiſſe, mandamus, non admittendos a Cancellario noſtro in Catalogum Ordinandorum eos Diaconos, qui inter cætera teſtimonia hujuſmodi fidem a Magiſtro Cæremoniarum Cathedralis Noſtræ exaratam non detulerint. Primæ hujuſce Miſſæ occaſione ſub pœna decem aureorum vetamus munerum oblationes (8) tam in Eccleſia, quam in Sacrario; pravam, ineptamque cæremoniam compatris, & commatris ad turpem quæſtum excogitatam; ac demum convivia, & commeſſationes ita publicas, ut profanam potius ſapiant ſolemnitatem. Duplum autem exigemus ab his Neomyſtis, qui ea occaſione domi ſuæ ludos, choreaſque agitari permittent.

LII. Ta-

(1) *Ex ead. Conſtit.* §. Itaque.
(2) C. tua nos *de cler. peregr.*, *can.* Primatus *diſt.* 71.
(3) *Trident. ſeſſ.* 23. *de ref. cap.* 16.
(4) *Urb. VIII. Conſt.* Secretis §. 3.
(5) *Encycl. S. C. Ep. & Reg.* 11. *Oct.* 1709. *Lambertin. Inſt.* 34. §. 1., *& ibi S.C. Inquiſ.* 26. *Jan.* 1692.
(6) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *cap.* 41. *num.* 5.
(7) *Syn. Montilj pag.* 92. *&* 100., *Syn.* 1. *Muti pag.* 58., *Syn. Sermatth. pag.* 78., *Syn. Abbati pag.* 33.
(8) *Trident. ſeſſ.* 22. *decret. de obſervan. &c.*

LII. Talarem veſtem, & coronam clericalem in celebratione Miſſæ (1) indiſpenſabilem denunciamus. Ea veſtis non dimidiata, aut abſque manicis, ſed integra, globuliſque ab imo ad ſummum more regionis adſtricta, non in ſacrario, aut prope Eccleſiam induatur, ſed domo afferatur induta a quocumque Sacerdote ſacrum facturo. Sine hac veſte, & ſine Clericali corona nullus a Rectoribus, Sacriſtis, aliiſque Eccleſiarum cuſtodibus admittatur ad celebrandum ſub pœna (2) juliorum quinque pro qualibet vice ab ipſis admittentibus perſolvenda favore Monaſterii Convertitarum. Sacerdos vero ſine præmiſſis veſte talari, & corona celebrare præſumens, (3) illico incidat in reſervatam Nobis ſuſpenſionem a Divinis per tres dies. Excipimus tantum Sacerdotes per loca noſtra tranſeuntes, aut in Eccleſiis ruralibus celebrantes, pro quibus permittimus, & jubemus uſum talaris veſtis ſine manicis, aut lateri præcinctæ in ſacrario induendæ; ſemper ſub præfatis pœnis vetantes Miſſæ celebrationem ſine aliquo talari habitu etiam ratione itineris, aut rure.

LIII. Quoniam vero frequentior hac noſtra tempeſtate ficti capillitii uſus invaluit etiam in Clericis, hæc duximus decernenda. Nemo in Sacris conſtitutus, aut etiam prima tonſura initiatus, ſi Eccleſiaſticum Beneficium obtineat, (4) ſine noſtra in ſcriptis licentia fictam comam extra Altaris miniſterium geſtare præſumat ſub excommunicationis pœna. Eam autem licentiam ad tempus duraturam non impertiemur, niſi prius medici teſtimonio Nobis conſtiterit (5) juſta indulgendi cauſſa; dummodo ea ficta cæſaries ita ſit concinnata, ut & color ætati congruat, & pateant aures, & clericalis corona appareat, & in omnibus Eccleſiaſticam modeſtiam ſapiat; quum (6) noſtrum ſit, præter cauſſam, etiam comam ipſam examinare, ut nullam præſeferat vanitatem. Pro ſacrificio autem celebrando cum ficto capillitio, omnino neceſſarium pronunciamus indultum Apoſtolicum, ſine quo ſi quis Sacerdos noſtræ Diœceſeos, aut exterus in noſtra Diœceſi commorans (7) celebrare fuerit auſus comam geſtans ſuppoſititiam, etiam pro unica vice, ipſo facto incidat in ſuſpenſionem a celebratione Miſſæ Nobis reſervatam. Obtento autem indulto, noſtrum eſt inquirere ſuper veritate cauſſæ in precibus expoſitæ, & ſuper qualitate comæ adſcititiæ, an Sacerdoti conveniat.

LIV. Opta-

(1) *Can.* Non liceat 32. *diſt.* 23. *Lambertin. Inſt.* 34. §. 4. & *Inſt.* 71. *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *cap.* 59. *num.* 4.

(2) *Syn.* 1. *Brancat. pag.* 21., *Syn. Abbati p.* 34.

(3) *Append. ad Conc. Rom.* 1725. *num.* 18. §. 5., *Syn. Sacchet. pag.* 48., *Syn. Sermatth. p.* 72.

(4) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *cap.* 60. *num.* 1., & *Lambertin. Inſt.* 96. *num.* 7.

(5) *Ibid. num.* 5.

(6) *Ibid.*

(7) *Lambertin. Inſt. cit. num.* 9.

LIV. Optaremus quidem, ut ſinguli Sacerdotes ſingulis diebus ſacrum operarentur, ita ſemper viventes, ut quotidie mererentur ad ſacrum Altare accedere. Si quis tamen uno, vel altero die abſtinendum cenſuerit, ſacro ſaltem interſit; memineritque, frequentem (1) ceſſationem a Divinis haud levi culpa non carere. Præcipimus autem, ut ii (2) ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus Miſſas celebrent, maxime ſi Parochi ſint, quibus, ſingulis feſtis, onus incumbit Miſſæ pro populo. Qua in re ſi quis Sacerdos negligens fuerit, pœnas dabit arbitrio noſtro pro modo culpæ, & contumaciæ.

LV. Inter celebrandum ſemper fixum habeat in animo Sacerdos, quam tremendum Myſterium Deo Patri ipſe offerat, manibus pertractet, & ore percipiat. Quocirca damnamus, ac deteſtamur eam præfeſtinam brevitatem, per quam nonnulli id temporis piis circumſtantibus ſcandalum afferunt; & expreſſe jubemus, Miſſam (3) ad tertiam horæ partem ſaltem debere pertingere. Sacræ cæremoniæ, genuflexiones, Crucis ſigna cum debita gravitate peragantur, & verba omnia, quæ ſive elata, ſive ſubmiſſa voce proferuntur, clare, diſtincte, ferventer, & abſque ulla feſtinatione (4) pronuntientur. Quæ ſecreto dicenda non ſunt, neque voce ita nimis elata proferantur, ut alios tunc forte celebrantes perturbet, neque tam ſubmiſſa, ut a circumſtantibus audiri non poſſit. Contra vero præcipimus, ut dimidium horæ non excedatur, ne Sacerdos ita ſit tardus, & moroſus, ut audientes tædio afficiat. Rectores, aut Sacriſtæ ad Nos deferant nomina eorum, qui circa hæc deliquerint, ut corrigere, & emendare poſſimus.

LVI. Sub pœnis arbitrio noſtro infligendis nemo audeat poſtremo majoris hebdomadæ triduo privatam Miſſam celebrare. Excepta unica Miſſa in Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, aliiſque Eccleſiis, quibus Euchariſticum Sacramentum perpetuo ſervare permiſſum eſt, aliis (5) in Oratoriis, ſeu Eccleſiis omnes Miſſæ prohibentur. Si quando vero Fer. VI., vel Sabbato ejuſdem hebdomadæ incidat Annunciationis feſtum, tam præceptum audiendi Miſſam, & vacandi a ſervilibus, quam Feſtum ipſum (6) in Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis eſt transferendum. Sin autem idem Feſtum Annunciationis, vel Sancti Joſeph Feria V. in Cœna Domini

(1) *Id. de Sacrif. Miſſ. par. 4. ſect. 2. num. 6.*
(2) *Trident. ſeſſ. 23. de ref. cap. 14.*
(3) *Lambertin. Inſt. 34. §. 6.*
(4) *Rubric. Miſſal. cap. 16. num. 2., Card. Bona tract. aſcet. §. 3.*
(5) *Can.* Sabbato *de Conſecrat. diſt. 3., S. R. C. 1653. in Fiorentin., & 14. Jun. 1659. in Neapolitan.*
(6) *Ead. 11. Febr. 1690. approban. Alex. VIII.*

mini occurrerit, noſtrum (1) erit providere, ut eo die aliquot Miſſæ privatæ ante ſolemnem celebrentur; ita tamen, ut Communio Cleri in ſolemni Miſſa non prætermittatur.

LVII. De Altaribus Privilegiatis, quoniam ex benigniſſima Ss. D. N. Clementis XIII. largitate facta fuit Nobis facultas ad ſeptennium in qualibet Parochiali Eccleſia unum Altare deſignare, quod pro Defunctis quotidie privilegiatum exiſtat, hæc duximus monenda. Ac primo quidem privilegium non ſuffragari, niſi (2) Miſſa celebretur de *Requiem*; ſi vero ea die (3) occurrat Feſtum duplex, aut alias (4) vetitum ſit, juxta Miſſalis Rubricas, Miſſam legere Defunctorum, ut contingit per totas Octavas Paſchatis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, aliiſque diebus, tunc Miſſa celebranda eſt omnino juxta Rubricas, firmo remanente privilegio, perinde ac ſi Miſſæ Defunctorum celebratæ fuiſſent. Hæc eadem ſtatuta cenſeantur etiam pro Altaribus, vel in perpetuum, vel certis hebdomadæ diebus, (5) privilegiatis.

LVIII. Curandum tamen, ut tot Miſſæ in ea Eccleſia celebrentur, quot aliquando Indultum præfinit. Enimvero licet privilegium minime ceſſet, ſi aliquot e Sacerdotibus illi Eccleſiæ addictis, ægritudine, vel abſentia per aliquot dies impediti ibi non celebrent, aut quando occaſione Feſtivitatum, vel funerum a Superioribus alio ad celebrandum (6) tranſmittuntur, ſi id raro contingat; nihilominus ſuſpenſum remanet, ſi præfinitus in indulto numerus Miſſarum deſit ex occaſione abſentiæ Sacerdotum ob prædicationem tempore Adventus, vel Quadrageſimæ. Omnibus igitur Eccleſiarum præfectis diſtricte prohibemus, ne eo ſuſpenſionis privilegii tempore, eleemoſynas pro Miſſis ad Altare privilegiatum celebrandis accipiant, ut Defunctorum ſuffragia, & viventium vota non fraudentur; niſi forte eleemoſynam tribuens conſentiret, differendam celebrationem ad illud tempus, quo privilegium reviviſceret, inſtaurato Sacerdotum præfinito numero. Cavendum eſt etiam, ne prætergrediantur tempus conceſſionis, quæ non a die publicationis indulti, ſed a die datæ Brevis (7) eſt computanda.

LIX. Taxam eleemoſynæ manualis jandiu in hac noſtra Diœceſi (8) ſtatutam, nempe julii unius monetæ Romanæ confirmamus. Majorem hac eleemoſynam exigere, niſi ſponte plus offeratur, nemini (9) liceat. Illam autem

(1) *Ead.* 12. *Sept.* 1716., & 13. *Sept.* 1692.
(2) *Lambertin. Inſt.* 34. *num.* 27.
(3) *Alex. VII. Conſt.* Creditæ 22. *Jan.* 1667.
(4) *Innoc. XI. Conſt.* Alias 4. *Maii* 1688.
(5) *Clem. IX. Conſt.* Cum fœlic. record. 23. *Sept.* 1669.
(6) *S. C. C.* 30. *Jul.* 1706.
(7) *S. C. Indulg.* 20. *Maii* 1711. *approban. Clem. XI.*
(8) *Syn.* 1. *Muti pag.* 57.
(8) *S. C. C. in Teramen.* 15. *Nov.* 1698., & 13. *Apr.* 1726. *Bened. XIV. de Syn. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 2.

autem minuere omnino prohibentur (1) Sacerdotes omnes, ita ut ne quid minus recipiant eleemoſyna taxata; alias graves arbitrio noſtro pœnas dabunt, quod id in cauſſa ſit, cur Sacroſanctum Sacrificium quodammodo vileſcat. Mercimonia ſuper eleemoſynis Miſſarum jam a Sede Apoſtolica (2) ſub pœna excommunicationis reſervatæ in Laicos, ac ſuſpenſionis itidem reſervatæ in Clericos damnata: item prohibitionem ſatisfaciendi duobus oneribus una, eademque Miſſa; aut applicandi pro eo, qui primus largiturus erit eleemoſynam; aut ſuſcipiendi Miſſarum nova onera, quando infra menſem non poſſit quis antecedentibus oneribus ſatisfacere, haud neceſſe ducimus repetere; cum jam hæc omnia in Superiore Synodo (3) ſint ſatis expreſſa.

LX. Quod autem ſpectat ad taxam Miſſæ quotidianæ perpetuæ, eam ad ſexaginta aureos (4) annuos decernimus. Neque umquam de cetero ad minorem dicta taxa rationem permittimus acceptari poſſe nova Miſſarum onera perpetua, prævia tamen ſemper noſtra licentia, ſub (5) pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ eo ipſo incurrenda; quam pariter incurrent ii, ad quos pertinet, ſi pecuniæ, ac bona mobilia cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum relicta (6) non ſtatim a die realis acquiſitionis depoſuerint penes ædem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, ſeu illorum pretium quamprimum inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expreſſa, & individua mentione oneris, quod illis adnexum reperitur.

LXI. Supereſt, ut aliqua mandemus circa Parochialem Miſſam, ad quam audiendam feſtis diebus licet populum (7) cogere non poſſimus, cum libere poſſint ſæculares univerſi diebus Dominicis, aliiſque (8) majoribus Feſtis in Eccleſiis Mendicantium licite Miſſas audire, dummodo id in contemptum Parochialium non faciant; attamen, quia Tridentina Synodus (9) jubet per Nos monendum eſſe populum, ut „ frequenter ad ſuas Parochias „ accedat præfatis diebus, idcirco univerſos, & ſingulos cohortamur, ac „ per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti obſecramus, atque obteſtamur, ut „ ad ſuam quique Parochialem Eccleſiam conveniant, ubi a Parocho, cui „ eorum

(1) *S. C. C. 16. Jul. 1689. ap. Lambertin. Inſt. 56. num. 11. & in Alexanen. 26. Jan. 1743. & Bened. XIV. de Syn. loc. cit.*

(2) *Benedict. XIV. Conſt.* Quanta cura *30. Jun. 1741.*

(3) *Syn. Abbati pag. 34.*

(4) *Conſt. Innoc. XIII. & Concil. Rom. 1725. ap. Lambertin. Inſt. 56. num. 19. & ſeqq.*

(5) *Ex decr. S.C.C. juſſu Urbani VIII. 21. Jun. 1625. confirmat. ab Innoc. XII. Conſt.* Nuper *23. Dec. 1697.*

(6) *Ex eod decr. §. 6.*

(7) *S. C. C. 10. Oct. 1581. ap. Ferrar. Bibliothec. V.* Miſſæ *art. 16. num. 10.*

(8) *Clem. VIII. Conſt.* Significatum *1592.*

(9) *Trident. ſeſſ. 22. decret. de obſervand. &c.*

„ eorum cura commiſſa eſt, verbo Dei paſcantur, Fidei Chriſtianæ rudi„ mentis, aliiſque animarum ſaluti neceſſariis præceptis erudiantur, & ad „ Sanctiſſima Sacramenta religioſe percipienda (1) inſtruantur „. Quapropter ne populus ab auditione Parochialis Miſſæ ad alias Eccleſias avocetur, ſicubi in noſtra Diœceſi conſuetudine introductum ſit, ut in Oratoriis ſæcularibus Miſſa diebus Feſtis non celebretur ante Miſſam Parochialem, mandamus eam conſuetudinem (2) accurate ſervandam, dummodo Parochialis Miſſa hora opportuna celebretur.

LXII. In hac autem Civitate Viterbii, quæ magis populoſa eſt, inhærentes (3) pluribus Sacrarum Congregationum decretis, permittimus liberam in omnibus Eccleſiis, Oratoriiſve celebrationem; modo tamen, ut ſupra ſanximus, quum de Doctrina Chriſtiana ſermonem habebamus, Sacerdos quilibet tam ſæcularis, quam Regularis celebrans in Eccleſiis, Oratoriiſve ſæcularibus, poſt lectum Euangelium, actus Fidei, Spei, Caritatis, & Contritionis intelligibili voce recitet genuflexus, omnibus adſtantibus verba ſingula repetentibus; qua in re ſi deerint ii Sacerdotes, ultra pœnas jam ſtatutas, ad relationem Parochorum Miſſas omnes ante Parochialem interdicemus juxta priorum Synodorum (4) noſtrarum conſtitutiones. Non dubitamus, quin hiſce ſanctionibus ſe conforment reſpective etiam Regulares, qui ex Tridentino ſubſunt (5) correctioni, & punitioni Epiſcopi, ſi commiſerint prohibita, vel indecentia in Eccleſiis etiam ſuorum Ordinum circa Miſſæ ſacrificium, prout alias a Sacr. Conc. Congregat. declaratum fuit. Diligenter proinde caveant eorum Ordinum Superiores, ne hujuſmodi poteſtate Nobis competente uti cogamur in ſibi ſubjectos Sacerdotes.

CAPUT TERTIUM

De Pœnitentiæ Sacramento, & Caſibus reſervatis.

I. QUorum *remiſeritis* (6) *peccata*, *remittuntur eis*. Ampliſſima hac poteſtate dimittendi peccata per Pœnitentiæ Sacramentum, tam perſpicuis verbis a Chriſto Domino Apoſtolis tradita, & in Sacra Ordinatione Sacerdotibus omnibus collata, uti profecto debent Chriſti mini-

(1) *S. Car. Conc. Prov. VI. ap. Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 64. num. 10.*

(2) *S. C. C. in un. S. Agath. Gotor. 25. Maii 1652. ap. Lambertin. Inſt. 44.*

(3) *S. C. Ep. ap. Nicol. in Floſc. V.* Miſſa *n. 30.* §. Contrarium *S. C. C. in Urbinaten. 27. Jun. 1641. lib. 16. decretor. pag. 543. a terg.*

(4) *Syn. Gamb. pag. 17., Syn. 1. Brancat. p. 19., Syn. Sermatth. pag. 73.*

(5) *Trident. ſeſſ. 22. citat. decret., Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 41. num. 5.*

(6) *Jo. 20. 23.*

miniſtri ad Eccleſiæ ædificationem, non ad animarum perniciem. Ob eam rem Sancta Mater Eccleſia conſuevit nonnullas ponere leges, & conditiones, ut tanta poteſtatis auctoritas rite exerceatur; quarum præcipuas his noſtris Conſtitutionibus inſerendas judicavimus.

II. Cum Sacerdos, ſive ſæcularis ſit, ſive Regularis, abſolutionem Sacramentalem impendere non poſſit, niſi in eum, quem abſolvit, ordinariam, aut ſubdelegatam habeat (1) poteſtatem, hinc invalidam prorſus denunciamus abſolutionem a quocumque Sacerdote impertitam, ſi hic Parochus non ſit, vel a Nobis approbatus; etiamſi venialium tantum confeſſio (2) haberetur. Proinde quicumque Sacerdos etiam Regularis, qui utraque poteſtate carens auſu temerario Confeſſiones excipere (3), etiam in vim privilegiorum, ſeu Bullæ Cruciatæ, præſumpſerit, excommunicationem ſubeat ipſo facto (4) Nobis reſervatam, præter alias pœnas arbitrarias etiam corporis afflictivas. Eamdem excommunicationem ſubeat & ille tam ſæcularis, quam Regularis, qui in alia Diœceſi (5) Parochus, vel approbatus auſus fuerit in Diœceſi noſtra ſine noſtra approbatione (etiam Tertiariarum (6) ſui Ordinis) Confeſſiones audire. Parochos Nobis ſubjectos, licet ordinariam in ſuos (7) dumtaxat Parochianos facultatem habeant, approbatos denunciamus ad Confeſſiones quorumcumque fidelium per totam noſtram Diœceſim excipiendas; petita tamen ab Eccleſiæ Rectoribus licentia.

III. Ad hanc approbationem concedendam nonnullas præfinire judicavimus regulas, ut in re tanti momenti cautius in poſterum procedatur. Ac primo quidem, cum ex ſupremæ Inquiſitionis (8) Encyclica juſſu fel. recor. Innoc. XII. moniti fuerint Epiſcopi omnes, ut ad id muneris non eligerent juvenes, ſed ætate, & ſcientia provectos, declaramus, Nos repulſuros quoſcumque ab hac approbatione, qui triceſimum ſaltem ætatis annum non exceſſerint; & ſi quis in minori ætate conſtitutus licentiam a Nobis jam obtinuiſſet, eam præſenti Conſtitutione annullamus, & revocamus; vetantes, ne in poſterum quiſquam pro examine ſubeundo ſe ſiſtat coram Nobis, niſi antea per Baptiſmi fidem docuerit de præfata ætate. Caſum urgentis neceſſitatis excipimus, & ſi quando in viridi ætate canos hominis ſenſus dignoſceremus. Repulſam etiam patietur, qui ſecum teſtimonium non attulerit ſuper frequenti ad collationes caſuum acceſſu.

IV. Re-

(1) *Trid. ſeſs.* 23. *de ref. cap.* 15.
(2) *Decret. Ven. Innoc. XI. Append. Num. VI.*
(3) *Innoc. XII. Conſt.* Cum ſicut 1700., & *Bened. XIV. Conſt.* Apoſtolica 1744.
(4) *Greg. XV. Conſt.* Inſcrutabili, & *S. C. C. in Neapolitan.* 14. *Apr.* 1646.
(5) *Innoc. X. Conſt.* Cum ſicut 14. *Maii* 1648. *ad IX. Lambertin. Inſt.* 84.
(6) *S. C. C. ap. Nicol. verb.* Tertiariæ *num.* 2.
(7) *S. C. C. ap. Lambertin. Inſt.* 86. *num.* 13.
(8) *Encycl. Sac. Inquiſit.* 4. *Dec.* 1694.

IV. Regulares autem primam licentiam, aut facultatis prorogationem obtenturi, præter requiſitæ ætatis teſtimonium, afferant ſecum litteras ſui Superioris, Monaſteriive Præfecti manu exaratas, quibus jurejurando teſtatum ſit, eos in probatiſſimis etiam, pro Confeſſariis datis, Sancti Caroli monitis inſtructos eſſe, & vitæ diſciplina, ac moribus probatos haberi, ac dignos, quibus id munus laudabiliter imponatur. Hoc proprii Superioris teſtimonio carentes Regulares omnino (1) a Confeſſariorum munere repellemus, quamvis ad illud ipſi & peritia, & ſcientia idonei apparerent. Ii autem Religioſi, qui ad audiendas Confeſſiones idonei generaliter comperirentur, generaliter quidem, & indiſtincte (2) abſque ulla limitatione temporis, locorum, generiſve perſonarum forent admittendi. At quoniam generalem hanc, eximiamque idoneitatem dignoſcere (3) immodici, moleſtique eſſet laboris, per examen omnes materias morales complectens; hinc a communi, receptaque (4) praxi non recedemus, Regularibus æque, ac ſecularibus Sacerdotibus limitatas facultates concedendi, ad annum videlicet peritioribus, minus verò peritis ad menſes ſex.

V. Poſt hæc tam qui primam licentiam, quam qui prorogationem poſtulant Sacerdotes quicumque Regulares æque, ac ſeculares, pro ſubeundo examine coram Nobis faciendo comparebunt. Per examen hoc periculum facere idoneitatis volumus, quacumque tandem (5) poſtulans dignitate, aut gradu præfulgeat, ſive in quacumque Univerſitate Doctoralem in ſacra Theologia, vel jure Canonico lauream ſit conſecutus. Excipiemus dumtaxat ab hoc examine Concionatores, Parochos exteros, & Regulares per tranſitum hic commorantes, quorum tamen probitas, & doctrina in comperto eſſent. Excipiemus etiam eos, qui primo examine ſemel probati optimam apud Nos obtinent famam, opinionemve doctrinæ, & Collationibus caſuum, Theologo teſtificante, frequenter interſunt. At primum examen nullus effugiet, tametſi in concurſu Parochialium approbatus.

VI. Quo vero notum ſit omnibus, qua ratione, quove tempore habendum ſit examen hoc ſemper coram Nobis, vel Vicario noſtro, Examinatoribus adhibitis, faciendum, ſequentia edicimus. Primam feriam ſextam cujuſcumque menſis deſignamus ad eam rem, horamque vigeſimam primam. Invocato, ut moris eſt, Divini Numinis auxilio, ſinguli ſeorſim examinabuntur, non de (6) ſubtilibus quæſtionibus diſcutiendis, & definiendis

(1) *Conc. Rom.* 1725. *tit.* 32. *cap.* 2.

(2) *Clem. X. Conſt.* Superna §. 4.

(3) *Lambertin. Inſt.* 86. *num.* 9.

(4) *Fagnan. in* 1. *Decretal. de off. ordinar. c.* Grave gerimus *num.* 50.

(5) *Lambertin. Inſt.* 86. *num.* 3. & 8., & *ſupr. tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 5., & *Bened. XIV. de Syn. Diœceſ. poſter. edit. lib.* 13. *cap.* 9. *num.* 22.

(5) *C.* cum in cunctis *de elect.*

dis ad eminentem ſcientiam comprobandam, ſed de quæſtionibus practicis, ſcituque neceſſariis ad munus peragendum, quantum ſat erit, ut de mediocri ſcientia judicium prudens haberi poſſit; habita etiam ratione minorum Diœceſis oppidorum, pro quibus inferiore etiam ſcientia erimus contenti. Præcipue autem examen (1) explebitur interrogationibus ſuper caſibus tam Summo Pontifici, quam Nobis reſervatis; ſuper dubiis circa confeſſarios ſollicitantes; ſuper damnatis a S. Sede propoſitionibus, ac præſertim iis, quæ conſuetudinem peccandi, proximaſque occaſiones reſpiciunt; ac denique ſuper abſolutione complicis, aut ſuper complicis nomine exquirendo, juxta inferius indicandas Conſtitutiones. Expleto cujuſque examine, per ſecreta vota ſcrutinium habebitur, in quo Examinatores, Deo judice, favorabile, vel contra, ſuffragium ferent; & ſi quidem majore ſuffragiorum calculo incluſus is fuerit, approbationem conſequetur; ſin minus, repelletur.

VII. Hiſce ſic conſtitutis permiſſum nolumus Vicariis noſtris, examen privatim faciendum cuiquam Examinatori Synodali committere; ſive pro prima approbatione, ſive pro prorogatione. Liberum ſit iis dumtaxat in aliquo urgenti caſu, ſi facultas ſemel obtenta expiraverit, oretenus prorogationem indulgere pro iis diebus, qui uſque ad conſtitutam primæ Feriæ VI. futuri menſis diem ſuperſunt. Quos vero prima vice probaverimus, eos adſtrictos volumus, antequam probationis litteræ expediantur, ad faciendam, ut ſupra (2) præmonuimus, profeſſionem Fidei. Excipimus exteri idiomatis Sacerdotes in Civitate Centumcellarum commorantes, quibus a Vicario Foraneo concedi poſſit abſolvendi facultas, ſi quando ejus, quam callent, linguæ advenam, vel infirmum abſolutionem petere conſtiterit. Ne tamen ex hoc cenſeantur approbati ad cujuſcumque indiſcriminatim confeſſionem audiendam; ſed eorum dumtaxat, quorum idiomata extranea norunt.

VIII. Confeſſarii ita probati injunctum munus ea, qua par eſt, integritate, & fidelitate ſuſtineant. Maxime feſtis diebus cotta, ſtolaque induti ſuper talarem veſtem, aut, ſi Regulares ſint, ſtolam geſtantes (3) ſuper chorali habitu, in Sede Confeſſionali confeſſiones excipiant; ipſique Regulares ne ſæcularium confeſſiones (4) in propriis cellis audiant; ſecus facultate excipiendi confeſſiones privabuntur. Excepto proinde infirmitatis, aut alterius (5) honeſtæ cauſæ caſu, aut ſi Sacerdotes celebraturi in alio decenti

(1) *Lambertin. cit. Inſt. 86. num. 12.*

(2) *Tit. 1. cap. 1. num. 6. 4.*

(3) *Hoc tit. cap. 1. num. 4.*

(4) *S. C. Ep. in una Obſervant. 15. Sept. 1617. ap. Ferrar. in Bibliothec. tom. 2. pag. 256. edit. Roman., & Decret. Viſitat. Apoſt. juſſu Urbani VIII. 20. Jul. 1625.*

(5) *S. C. Ep. in Neapolitan. 29. Mar. 1593. ap. Ferraris loc. cit.*

centi loco confeſſionem exquirerent, vetamus, laicorum confeſſiones extra Eccleſiam, ſeu ſacrarium excipi; quinimmo ſuſpenſionis vinculo ſit ipſo facto innodatus, qui mulierum non ægrotantium extra (1) confeſſionalem ſedem, aut e conſpectu ad pedes procumbentium, facie ad faciem, non interjecta tabula, & crate, confeſſiones audire audebit. Vetamus etiam mulierum confeſſiones in Eccleſia a crepuſculo (2) veſpertino uſque ad illuceſcentem diem.

IX. Caveant Confeſſarii ab alienis, & ſupervacaneis interrogationibus, præcipue cum puellas, pueros, rudeſque homines percontantur de peccatorum circumſtantiis; ne, ſi nimium ſigillatim perquirant, periculum ſit, ut doceant quæ (3) quærunt. Illud autem quam maxime evitent, ut a pœnitentibus (4) ſocii criminis, ſeu complicis nomen exquirant, aut ejus habitationem, aut alias ejus qualitates, & circumſtantias, quæ perſonam illius detegant, ſine ulla rationabili cauſſa; & ſi forte ex levitate, aut inconſiderantia pœnitens complicis nomen ultro retegeret, acriter a Confeſſario moneatur, doceaturque, non licere occultum alterius crimen prodere ſine ulla neceſſitate. Hanc praxim exquirendi complicis nomen, licet pluribus prætextibus coloratam, vel procurandæ complicis correctionis, vel alterius boni ſpiritualis titulo, damnavit Apoſtolica Sedes tanquam ſcandaloſam, perniencioſam, ac tam famæ proximorum, quam ipſi etiam Sacramento injurioſam, tendentemque ad ſacroſancti ſigilli Sacramentalis violationem, ſub graviſſimis pœnis in contravenientes.

X. Probe etiam calleant quæ ſancita ſunt (5) contra ſacrilegum tanti Sacramenti abuſum, non ſemel Apoſtolicis Conſtitutionibus vetitum, & in ſupremo ſacræ Inquiſitionis tribunali ſeveriſſime punitum. Meminerint, admonendos eſſe pœnitentes de onere denunciationis, quoties ab aliquo impio confeſſario ſollicitati fuerint „ ad inhoneſta, & turpia verbis, ſignis, „ nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam aut tunc, aut poſtea legendam, „ vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt con- „ feſſionem, vel occaſione, aut prætextu confeſſionis, vel etiam extra „ occaſionem confeſſionis in confeſsionali, ſive in alio loco ad confeſsiones „ audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem con- „ feſsionem; etiamſi ſollicitans Sacerdos ſit, qui juriſdictione ad abſolu- „ tio-

(1) *S. C. Ep. in Collen.* 18. *Decemb.* 1693. & *Encycl. Sac. Inquiſit.* 4. *Dec.* 1694.

(2) *S. C. Ep. in Patavina* 21. *Jun.* 1620., *aliaq. decret. relat. h. tit. cap.* 1. *num.* 5., & *ex Synodis relat. in Syn. Sermatth. pag.* 82.

(3) *Syn. Abbati pag.* 37.

(4) *Bened. XIV. Conſt.* Ubi primum 1746., & *de Syn. lib.*6. *cap.*6.

(5) *Gregor. XV. Conſt.* Univerſi 1622., & *Bened. XIV. Conſt.* Sacramentum 1741.

„ tionem valide impertiendam careat; aut ſollicitatio inter confeſſarium, „ & pœnitentem mutua fuerit, ſive pœnitens conſenſerit ſollicitationi, „ ſive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſolli- „ citationem effluxerit; aut ſollicitatio a confeſſario non pro ſeipſo, ſed „ pro alia perſona peracta fuerit „. In omnibus his caſibus jubeant denunciationem faciendam eſſe omnino intra menſem ſub pœna excommunicationis majoris ipſo facto incurrenda; unde ſi quos pœnitentes audierint ſollicitatos fuiſſe aliquo ex ſupra recenſitis modis, privent eos Sacramentali abſolutione, niſi prius denunciationem prædictam ad effectum perduxerint, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, denunciaturos ſpoponderint. „ Si vero audierint, aliquas improbas perſonas vel odio, vel ira, vel alia „ indigna cauſſa commotas, vel aliorum ſuaſionibus, promiſſis, blanditiis, „ ſeu minis incitatas, tremendo Dei judicio poſthabito, falſo inſimulaſſe „ ſollicitationis innoxios Sacerdotes, ſciant tam ipſos falſo denunciantes, „ quam eos, qui ſcelefte eam calumniam ab aliis faciendam procuraverint, „ a nemine, præterquam a Romano Pontifice, excepto mortis articulo, „ abſolvi poſſe „.

XI. Monendos etiam Confeſſarios omnes cenſemus, ne quidquam aperte, vel oblique petant, vel exigant a pœnitentibus cauſſa, & intuitu confeſſionis: Quin immo, ut omnis avaritiæ ſuſpicio etiam minima arceatur, ſi quando aut ad faciendam reſtitutionem pro male ablatis incertis, vel per uſurariam pravitatem quæſitis, aut in commutationem votorum, aut etiam in ſatisfactionem Sacramentalem (1) ad expugnandam avaritiam, pœnitenti injunxerint aliquam eleemoſynam pio loco, aut pro celebrandis Miſſis applicandam, caveant ſemper, ne in proprium commodum, aut in favorem propriæ Eccleſiæ eas eleemoſynas faciendas, Miſſaſve celebrandas mandent; ſed earum diſtributionem liberam pœnitenti relinquant. Qui in alterutro ex his peccaverint Confeſſarii, ſuſpenſioni ipſo facto (2) ab audiendis confeſſionibus ſubjaceant.

XII. Sin autem pœnitens ipſe ſponte uti velit confeſſarii opera ad eleemoſynas erogandas, aut ad ſecretas reſtitutiones faciendas, pium hoc Confeſſarius non detrectet officium; tuncque ab eo, cui eleemoſynam, vel reſtitutionem contulerit, ſyngrapham accepti recipiat, quam opportune data occaſione (3) pœnitenti exhibebit. Si vero pio loco eæ ſint attribuendæ eleemoſynæ, vel reſtitutiones, non dentur (4) clanculum ejuſdem loci Admini-

(1) *S. Carol. in Inſtruct. Confeſſar. Lambertin. Inſt.* 92. *Syn. Sacchetti pag.* 51. *Syn. Sermatth. p.* 83.
(2) *Lambertin. ibid. Syn. Montilj pag.* 106.
(3) *S. Carol. loc. cit.*
(4) *Syn. Montisfaliſc.* 1710. *pag.* 167.

miniſtratoribus, ne forte eas diſſipari contingat; ſed tacito reſtituentis nomine ad Nos perferantur, ut ſecuritati pii loci ſatis per Nos conſulatur; alias qui hoc onus ſuſcepit exponet ſe periculo, ut de proprio reponere teneatur in caſu diſſipationis.

XIII. In perquirendis conſcientiarum latebris, maxime cum rudiorum confeſſiones excipiuntur, ſedulus ſit Confeſſarius. Ignotorum pœnitentium ſtatum, conditionem, eaque, quibus occupantur, negotia inquirat: de tempore interroget ultimæ confeſſionis, ut facilius colligere poſſit numerum peccatorum, & qualitatem. Cum iis maxime, qui ſemel in anno Paſchali tempore ad confitendum accedunt, diligentiorem adhibeat indaginem, & ſi eos (quod crebro contingit) turpiſſimis peccati maculis inquinatos cognoverit, expoſito iiſdem ferventi charitate periculoſo ſtatu earum (1) animarum, quæ perraro ſemetipſas expiant, ob multa, quæ impendent, vitæ pericula, prudenter ad aliam diem abſolutionem differat; tum ut major peccatorum deteſtatio, & horror in eis augeatur; tum ut paulatim ad frequentem confeſſionem aſſueſcant.

XIV. In primis vero ſalubrem hanc differendæ abſolutionis medicinam adhibeat Confeſſarius cum iis, qui vel proxima peccandi occaſione detinentur, vel pertinaci criminis alicujus conſuetudine vinciuntur; memorque ſit confixarum a S. Sede propoſitionum, quas ſemper (2) ante oculos habeat; ne, ſi abſolutionem impendat iis, qui periculum non refugiunt, cum poſſint, aut uſum non infringunt, reus efficiatur æternæ earum animarum damnationis. Quocirca præcipimus, ut ab omnibus Confeſſariis noſtris comparetur aureus ille S. Caroli Cardinalis libellus, quem Inſtructionem Confeſſariorum inſcripſit, atque ad ejus normam ſtudeant praxim ſuam conformare in hujus Sacramenti adminiſtratione.

XV. Confeſſariis omnibus etiam Regularibus per Sedis (3) Apoſtolicæ monita perſuaſum volumus, ut abſolutionem denegent prorſus parentibus notabiliter negligentibus in filiorum educatione, vel ſi eos Fidei rudimentis ſcitu neceſſariis non inſtruant, aut ad proprios Parochos diebus Feſtis non ducant, vel ſaltem mittant inſtruendos. Quam maxime vero cauti ſint erga eos, qui male partorum, aut damnorum illatorum reſtitutione tenentur, quique rem ſuam augent illicitis contractibus, aut monopoliis privata auctoritate inſtitutis; præcipue ſi ea (4) ſuper ſegetibus, leguminibus, olivis, & hujuſmodi exerceantur.

(1) *Catech. Rom. de Confeſſ. num.* 54.
(2) *Prop.* 41. *damn. ab. Alexan. VII. Prop.*60. 61. 62. 63. *damnat. a V. Innoc. XI.*
(3) *Encycl. Clem. XI.* 16. *Mar.* 1703,
(4) *Bened. XIV. Conſt.* 53. Quo die *tom.* 2.

XVI. Omnem autem zelum impendat, & prope exhauriat Confeſſarius, ut ad veram, efficacemve criminum deteſtationem pœnitentes excitet, & inflammet. Doceat eos, Divinam juſtitiam exigere, crimina poſt Baptiſmum admiſſa non ſine magnis fletibus, laboribus, ac cordis gemitibus eſſe expianda;unde merito pœnitentia (1) laborioſus Baptiſmus,Baptiſmus lacrimarum ab antiquis Patribus fuit appellatus. Et quamvis attritio, quæ vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem (2) peccandi excludat cum ſpe veniæ, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam peccatorem diſponat; attamen eo ſemper tendat Confeſſarius, ut Pœnitentes (3) ad veram, & perfectam contritionem hortetur, & excitet, per quam ipſi recogitent annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, Deoque ingemiſcentes, eum, quem offenderunt, tamquam (4) omnis juſtitiæ fontem diligere incipiant.

XVII. Ex hac dilectione profecto fiet, ut quo altius pœnitentium cordibus illa infigetur, eo ardentius moveantur (5) adverſus crimina per odium veteris vitæ, unde ceſſatio a peccatis, & vitæ novæ propoſitum, & inchoatio proficiſcetur. Fiet etiam, ut eo libentius ſatisfactionis opera capeſſant, nedum pœnas ſponte ſuſceptas, aut a Sacerdote impoſitas alacriter ſubeundo, ſed etiam temporalia (6) flagella a Deo inflicta patienter tolerando. In ſatisfactionibus autem imponendis videant Confeſſarii, ne efficiantur (7) alienorum peccatorum participes, ſi indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo. Haud equidem Eccleſiaſticæ nunc vigenti diſciplinæ conſonum foret, antiquos (8) canones pœnitentiales in uſum revocari. Pia mater Eccleſia filiorum infirmitati ſeſe attemperans faciliorem pœnitentibus reconciliationem indulſit. At multum ſane dolendum eſt, fere nullam nunc a Confeſſariis ſervari eam, quam adeo inculcavit Tridentina Synodus pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate convenientiam ſatisfactionum. Nolumus Nos Confeſſarios immites, immiſericordes, & implacabiles in exigendis pœnis; at nolumus etiam adeo remiſſos, ut vitiis obviantia non adhibeant medicamenta. Quum enim utrumque præſtari debeat, ex Tridentini lege, per ſatisfactiones imponendas, videlicet, ut ſimul & novæ vitæ cuſtodia,

(1) *Clem. Alexandr. ap. Euſeb. lib. 3. Hiſtor. cap. 18. Gregor. Nazianz. tract. 40. in S. Lumina, Damaſcen. &c.*
(2) *Trident. ſeſſ. 14. cap. 4.*
(3) *Ritual. Rom., & Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 13. num. 10.*
(4) *Trident. ſeſſ. 6. cap. 6.*
(5) *Trident. locis cit.*
(6) *Trident. ſeſſ. 14. cap. 9.*
(7) *Trident. ſeſſ. 14. cap. 8.*
(8) *Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 62.*

ſtodia, & præteritorum peccatorum vindicta afferatur, idcirco Gregorianum (1) illud ſervent monitum Confeſſarii, ut opera præſcribant, quæ lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis gignant humilitatem. Perlegant hinc ſæpe, & ſedula meditatione (2) perdiſcant Pœnitentiales canones, quorum notitia iis proderit ad aliqua„ lem proportionem ſervandam inter diverſas peccatorum ſpecies, & pœ„ nitentiam pro ſingulis imponendam; ac præterea, ut iidem inde argu„ mentum deſumant ad aperiendam Pœnitentibus admiſſorum ſcelerum „ gravitatem, quæ tam longa, tam aſpera, tam formidanda vindicta, „ etiam in hac vita, ab Eccleſia coercebantur.

XVIII. Comiter, atque humaniter abſque ulla vultus ſeveritate, aut verborum aſperitate excipiant pœnitentes ſuos Confeſſarii, ea imbecillitatis humanæ miſericordia commoti, ut condolere ſciant iis, qui ignorant, & errant. In ſpiritu charitatis, & lenitatis objurgent in fine Confeſsionis, ne pœnitens ſtatim a principio objurgationum pudore ſuffuſus, & timore deterritus reliqua taceat. Sed quantum commendamus miſericordiam, tantum etiam familiaritatem cum Pœnitentibus nimiam, maxime ſi mulieres forent, damnamus, & reprobamus. Et quoniam Superioris (3) Synodi prohibitionem non inviſendi fœminas pœnitentes in earum domibus, niſi cauſa infirmitatis, Confeſſarii nonnulli parvipendunt, Nos eam confirmantes, & nova legis ſanctione roborantes, comminamur pœnas etiam carceris contra ſæculares Confeſſarios, qui eam violarint. Regulares vero, ſi Nobis delatus fuerit frequens hic ad feminarum pœnitentium domos acceſſus, ne ſibi injuriam factam putent, ſi approbationis noſtræ patentales litteras illico revocabimus, ſublata ſpe eas iterum impetrandi; cum per Apoſtolicas (4) Conſtitutiones facultas Nobis tributa ſit, ut, vel ab audiendis Confeſsionibus eoſdem ſuſpendere, vel licentias conceſſas revocare valeamus, nova ſuperveniente cauſſa, quæ ipſas Confeſsiones concernat, quin neceſſarium ſit, ut de ea in actis conſtet. Experientia enim docti fuimus, quam verum ſit Hieronymi effatum: perſæpe amorem ſanctum ſequitur non ſancta (5) dilectio; neque poteſt ea cum pœnitentibus in Confeſsionali haberi ſermonis gravitas, quam familiaris, ac prope domeſtica conſuetudo emollit, & penitus enervat.

XIX. Ea non ſancta dilectio adducit Nos, ut publicatam in Superiore Synodo (6) Benedicti XIV. Conſtitutionem iterum edicamus cum de-

 clara-

(1) *S. Gregor. hom. 32. in Euang.*
(2) *Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 62. num. 5., Syn. Montilj pag.* 104.
(3) *Syn. Abbati pag. 37. Conc. Tolet. 1. can. 6.*
(4) *Clem. X. Conſt.* Superna §. 5.
(5) *Hieron. in cap. 2. Ep. ad Tit.*
(6) *Bened. XIV. Conſt.* Sacramentum *an.* 1741 *in Syn. Abbati pag.* 41.

clarationibus (1) poſtea emanatis; videlicet ſublatam eſſe Confeſſariis quibuſvis, etiam Jubilæi tempore, & quocumque non obſtante privilegio, facultatem abſolvendi perſonam complicem in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo, etiam in articulo mortis conſtitutam, ſi aliud etiam ſimplex Sacerdos non defuerit, qui confeſſionem excipiat. Sin autem alius Sacerdos vocari, aut accedere nequeat ſine gravis alicujus exorituræ infamiæ, aut ſcandali periculo, (quod tamen periculum Sacerdos ille complex antevertere, vel removere, quantum in ſe eſt, tenetur) tunc non prohibetur Sacerdos complex abſolutionem impertiri; attamen ſciat, fore ſe coram Deo reum inobedientiæ, & pœnis in prima Conſtitutione latis obnoxium, ſi prædicta infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi non ſunt, aut ſi opportuna media antevertendi ea, vel removendi adhibere de induſtria neglexerit; quibus in caſibus ſi abſolutionem impendere præſumpſerit, etiamſi abſolutio hæc favore Pœnitentis, ſi cæteræ requiſitæ diſpoſitiones non defuerint, valida pronuncietur, nihilominus abſolvens majoris excommunicationis cenſuram Apoſtolicæ Sedi reſervatam, ut in prima Conſtitutione edicitur, ipſo facto incurrit.

XX. Quoad ægrotos mandamus, ac toto legis, nedum Synodalis, ſed & (2) Apoſtolicæ vigore jubemus inviolabilem Pianæ, quam Medici jurarunt, Conſtitutionis obſervantiam; abſtinendi a cura infirmorum, qui gravi, licet non periculoſo morbo decumbentes poſt tertiam viſitationem deprehenſi fuerint peccata ſua non expiaſſe per Sacramentalem Confeſſionem, ad quam (3) faciendam ab ipſomet Medico ſunt infirmi monendi, ſtatim ac ad eos viſitandos fuerit accitus. Si ſecus agat Medicus, ſciat, ſe, præter alias pœnas in præfata Conſtitutione impoſitas, incurſurum in excommunicationem in noviſſimo Romano Concilio Nobis reſervatam. Peracta confeſſio Medico conſtabit per Confeſſarium atteſtantem, aut per ſchedulam in ægroti domo a Confeſſario relictam. Quamobrem Confeſſariis etiam Regularibus, juxta facultates Nobis ab Apoſtolica (4) Sede tributas, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus ipſo facto incurrenda, præcipimus, ut eadem die, qua cujuſque ægroti Confeſſionem exceperunt, teneantur vel voce, vel per ſchedulam, ut ſupra, conſcriptam, Parochum, & Medicum ſimul commonere de Confeſſione peracta, vel de prorogatione ad

(1) *Bened. XIV. Conſt.* Apoſtolici 1745.
(2) *Conc. Lateran. IV. can.* 22., *S. Pius V. Conſt.* Super gregem 1556., *Concil. Roman.* 1725. *tit.* 32. *cap.* 1.
(3) *Lambertin. Inſt.* 22.
(4) *S. C. Ep.* 1. *Jul.* 1606., *in Senogallien.* 22. *Jan.* 1616., *in Anconitan.* 6. *Oct.* 1645., *& S.C.C. in Aquen.* 19. *Maii* 1708., *Clem. X. Conſt.* Superna §. Ad hæc, *Syn. Sacchetti pag.* 52., *Syn. Sermatth. pag.* 82.

ad determinatum tempus, ſi quando rationabili de cauſa prorogandam cenſuerint. Ægrotantis fœminæ confeſſio (1) excipienda eſt januis non clauſis, ut Confeſſarius non audiri, ſed videri ab adſtantibus, ſeu domeſticis poſſit, adhibito ſemper a Sacerdote ante propriam faciem linteolo.

XXI. Cupientes aliquod peccatis publice graſſantibus remedium opponere, ſperanteſque unius pœnam ceteris exemplo futuram, inhærentes Apoſtoli (2) monitis, & Tridentinæ (3) Synodi decreto, monemus in Domino, & quantum poſſumus hortamur ſingulos Confeſſarios, ut ſi quos peccatores publicos, & notorios ad ſe accedere abſolutionem impetraturos noverint, maxime ſi delictum fuerit jam in Tribunali probatum, manus abſtineant ab admittendis hujuſmodi criminoſis ad Sacramentorum participationem, ſed eos ſalutaribus verbis commonitos ad Parochos, vel ad Pœnitentiarios noſtros tranſmittant; qui collato Nobiſcum negotio, perſpectaque criminis, & criminoſi qualitate, vel condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice peragendam, de noſtra expreſſa facultate, injungent; vel ſaltem præſcribent, ut tandiu a ſacra menſa criminoſus abſtineat, donec per plura pietatis opera, perque frequentem ad confeſſionem acceſſum, patentia ſuæ emendationis exhibuerit indicia, per quæ ſcandalum aliis præbitum reſarciatur. Nemini vero fas eſſe volumus publicam, Nobis inconſultis, pœnitentiam pro ſuo libito imponere, cum ea a ſacris (4) Canonibus juriſdictioni dumtaxat noſtræ reſervetur.

XXII. Supereſt, ut Confeſſarios omnes, ac in primis Parochos, & Cathedralium Pœnitentiarios obſecremus in Domino, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri hortemur enixe, ut faciles ſint, prompti, & omni tempore, maxime vero Feſtis diebus, alacres, & expediti ad excipiendos pœnitentium gemitus, qui vera peccatorum ſuorum deteſtatione commoti animarum vulneribus medicam quærunt manum. Induant Chriſti charitatem, qui animam ſuam pro Nobis ponens, exemplum dedit, ut & nos pro fratribus animam ponamus. Quolibet igitur die Feſto, Parochi ad ſuarum ovium, Pœnitentiarii (5) ad cunctorum noſtræ Diœceſis Fidelium confeſſiones excipiendas præſto ſint, ut injuncto ſibi muneri ſatisfaciant, ſi eo tempore adſint in Eccleſia pœnitentes, qui eorum opera uti (6) velint. Præcipue iidem Pœnitentiarii, etiam non vocati, reſidere tenentur de mane

(1) *Syn. Sacchetti pag.* 49.
(2) 1. *Thimoth.* 5. *v.* 20.
(3) *Trident. ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 8. *Syn. Montilij pag.* 106.
(4) C. Conquerente *de off. Ordinar.*, & *Fagnan. in eum loc. num.* 25., & *c.* Accedentibus *de exceſſ. Prælat.*, & *ibi Gl. penult.*
(5) *Barboſ. de Canon. cap.* 26. *num.* 12.
(6) *S. C. Ep.* 18. *Sept.* 1637.

mane (1) in ſede Confeſſionali ſollemnioribus anni Feſtis, videlicet, tempore jejuniorum Adventus, & Quadrageſimæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Aſſumptionis B. M. Virginis, Omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini; quibus diebus ſi abſint, præter diſtributionum quotidianarum amiſſionem, (2) punientur etiam per Nos, ſervata forma Concilii Tridentini.

XXIII. Ob eam rem dum confeſſiones audit Pœnitentiarius in Eccleſia, nedum cenſendus eſt tanquam præſens (3) in Choro, in Proceſſionibus, (4) cæteriſque actibus quibuſcumque, ut diſtributiones, & eleemoſynas, ſi quæ ſint, lucretur æque, ac alii præſentes; ſed etiam, ut nullis diſtineatur impedimentis incompatibilibus, exemptum eum (5) eſſe voluit Sac. Conc. Congregatio ab Officiis Capitularibus, ut punctatoris, & Procuratoris Generalis Capituli, ſeu Camerarii. Multo magis tam eos Pœnitentiarios, quam Parochos prohibitos voluit ab aliis officiis extraneis, quæ Capituli, vel propriæ Eccleſiæ utilitatem non reſpiciunt; unde arcendos definiit ab onere (6) Confeſſarii Monialium, Epiſcopalis (7) Conviſitatoris, niſi pro tempore menſium vacationis a Tridentino permiſſorum; quin immo & Vicarii (8) Generalis. Hæc enim officia generaliter ſunt in eadem perſona (9) incompatibilia, ex eo (10) quod, ut quis bene exerceat alterum ex dictis officiis, alteri neceſſario deeſſe cogatur.

XXIV. Hæc autem congeſſimus, non ſolum ut horum decretorum obſervantiam decerneremus, ſed etiam ut hinc videant, qui ad Pœnitentiæ Sacramentalis adminiſtrationem de jure tenentur, quam arcta ſit eorum obligatio, & quam male ſuæ ipſorum conſcientiæ conſulerent, ſi muneri tanto negligentia, vel ſocordia deeſſent. Non tamen ideo Pœnitentiarium cogere intendimus ad majorem reſidentiam, quam alios Canonicos; quippe qui æque, ac ceteri, ſolitis, & a jure permiſſis (11) vacationibus frui poſſit, modo ſolemnioribus Feſtis ſupra enumeratis non abſit.

XXV. Quanquam Pœnitentiarius tenere non debeat Virgam (12) in manu,

(1) *S. C. C. in Segobien. ap. Criſpin. de Viſit. par. 2. §. 24. num. 2.*

(2) *S. C. Ep. Curien. Epiſc. 7. Dec. 1697.*

(3) *Trident. ſeſs. 24. de ref. cap. 8.*

(4) *S. C. C. in Januen. 4. Sept. 1591.*

(5) *S. C. C. in Converſanen. 19. Nov. 1729. in Append. Num. IX.*

(6) *S. C. Ep. in Parmen. 7. Mar. 1652., & S. C. C. in Januen. 11. Sept. 1666. ap. Pignatelli tom. 7. conſ. 13.*

(7) *S. C. C. ap. eumd. l. c. conſ. 4., & Gonzal. ad reg. 8. Gloſ. 6.*

(8) *S. C. Ep. 15. Jul. 1611., & S. C. C. 12. Maii 1629. ap. Barboſ. in Sum. V.* Parochus.

(9) *S. C. Ep. in Meſſan. 19. Jan. 1603.*

(10) *S. C. Ep. in Sutrina 16. Nov. 1640. ap. Nicol. in Floſc. V.* Vicar. Gener. *num. 37.*

(11) *S. C. C. ap. Salazar de Mendoz. libell. de Inſtit. Can. Pœnitent. §. 7.*

(12) *S. C. in Abulen. 21. Apr. 1587. ap. Garzi de Benef. par. 5. cap. 4. num. 117.*

manu, ſicut Romæ mos eſt; tamen quia in utraque Cathedrali noſtra ex immemorabili more ea Virgæ detentio ſervata fuit, ideo ad ſpiritualem populi Chriſtiani profectum concedimus, ut ad Virgæ illius tactum per manus Pœnitentiarii capiti Fidelium impoſitæ applicetur cuique de theſauro Eccleſiæ ea Indulgentia, quam de jure (1) Epiſcopus quilibet in ſua Diœceſi elargiri poteſt, & ad quam concedendam modo ſupra expoſito Pœnitentiarium ipſum ſpecialiter ex facultate (2) Nobis competente delegamus; eo ferme pacto, quo S. M. Benedictus XIV. omnibus Chriſtifidelibus, qui ex veteri, & laudabili inſtituto Pœnitentiarium majorem munere ſuo ſtatutis diebus fungentem pie, reverenterque adierint, ſeſeque Pœnitentiali Virga tangendos ſubmiſerint, ſimili Indulgentia ditari aſſeruit, & confirmavit, & quatenus opus foret, de novo (3) conceſſit.

§. Alter

De Caſibus Reſervatis.

XXVI. Ex veteri, ac laudabili (4) Eccleſiæ diſciplina profectum eſt, ut atrociora quædam crimina non a quibuſvis, ſed a ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur, ut major eorum criminum horror fideles afficiat, cum ſentiunt, abſolutionem eſſe Superioribus reſervatam propter eorum gravitatem. Hæc autem reſervatio cum in ædificationem, non in deſtructionem cedere debeat, ob eam rem nullam edicimus reſervationem in articulo mortis, data cuilibet Sacerdoti facultate, pœnitentes quoslibet, eo periculo inſtante, a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvendi. Non ſolum autem in mortis articulo, ſed etiam quando ægrotis miniſtrandum eſt Sanctiſſimum Viaticum, Parochis, ſive eorum Vicariis perpetuis, & Œconomis per Nos deſignatis poteſtatem facimus abſolvendi proprios tantum Parochianos ægrotantes, & Sacrum Viaticum ſuſcepturos a cunctis caſibus, & cenſuris, quos in ſubjecta Tabella deſcriptos exhibebimus; eademque facultas iiſdem ſupra proprios Parochianos competat a Dominica IV. Adventus uſque ad omnes Natalitios feſtos dies; per totam Quindenam Paſchalem, & die Feſto titulari propriæ Parochialis Eccleſiæ; quæ tamen facultas alteri per eos (5) ſubdelegari non poſſit.

XXVII. His dumtaxat temporibus, perſoniſque exceptis, nulli Sacerdoti

(1) C. cum ex eo *de Pænit., & remiſſ.*
(2) *Bellarmin. de Indulg. lib.* 1. *cap.* 11.
(3) *Bened. XIV. Conſt.* Paſtor bonus 1744 §. 50.
(4) *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 7.
(5) *S. C. C. in Derthonen.* 6. *Jul.* 1647. *ad* 3. *ap. Monacell. tom.* 2. *tit.* 13. *form.* 1. *n.* 19.

doti etiam Regulari (1) fas ſit, non impetrata a Nobis expreſſa facultate, quemquam a ſequentibus criminibus abſolvere. Si quis autem Confeſſarius (2) cujuſvis ordinis, ſine facultate in ſcriptis per Nos conceſſa, ab iis abſolvere attentarit, excommunicationis pœnam ipſo facto ſubeat. Declaramus etiam, ſub pœna (3) ſuſpenſionis a quolibet Confeſſario etiam Regulari ipſo facto incurrenda, non licere abſolvere Confratres, alioſve pœnitentes a caſibus Nobis reſervatis, vigore facultatum, privilegiorumque cuivis Confratriæ, Collegiove laicorum, ante, vel poſt Concilii Tridentini confirmationem conceſſorum, niſi ſpecialem a Nobis facultatem ſuper iis obtinuerint.

XXVIII. Hinc omnes, & quaſcumque facultates aliis hactenus conceſſas abſolvendi a reſervatis expreſſe revocamus, decernentes, eas in poſterum ſuffragari non debere, niſi in ſcriptis conceſſas, & quolibet ſemeſtri renovandas. Excipimus dumtaxat caſum, quo quis Confeſſarius pro uno, alterove crimine reſervato, aut pro una, alterave ſolemnis Feſti die poteſtatem peteret; tunc enim fas eſſe volumus Vicario Generali oretenus eam concedere. In ſcriptis autem generaliter nemini tribuetur, niſi peculiare ſuper iiſdem reſervatis examen ſubierit, prout opportunum Nobis videbitur. Quicumque vero ea facultate per Nos donabuntur, attente inſpiciant, ne paſſim, & temere ea utantur; at erga eos tantum, quibus vel ætatis, vel conditionis, vel ſexus cauſſa non adeo facilis foret ad Superiorem acceſſus, aut ſuſpicionem (4) aliquam ingereret, vel etiam fortaſſe ſcandalum acceſſus ad extraordinarios, aut ad ordinarios Confeſſarios frequens reditus; alias ſi cuicumque petenti obvia, & ſine ulla cunctatione impenderetur perbenigne reſervatorum abſolutio, enervaretur profecto ſalubris Eccleſiæ diſciplina, caſſumque redderetur Tridentini (5) monitum, quo præſcribitur, ut Confeſſarii *id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos judices pro beneficio abſolutionis accedant.* Quæ omnia eo vel maxime obſervari mandamus, quod Nos criminoſorum verecundiæ, aut timori indulgentes, in Cathedrali Confeſſarium ſemper ſimus deſignaturi, cujus prudentiæ, ſcientiæque, nedum ſequentium cenſurarum, & caſuum, ſed & aliorum quorumcumque a jure Nobis reſervatorum abſolutionem, itemque votorum, ac juramentorum relaxationis, aut commutationis poteſtatem Nobis competentem, ac debita circumſpectione exercendam committemus.

XXIX. Com-

(1) *Clem. X. Conſt.* Superna, *Propoſ.* 12. *damn. ab Alex. VII., & Bened. XIV. de Syn. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 6., *& ſeq.*

(2) *Conc. Prov. Mediol. V. ap. Bened. XIV. loc. cit.*

(3) *S. C. C. ap. Bened. XIV. de Syn. l. c. n.* 7.

(4) *Bened. XIV. de Syn. loc. cit. num.* 4.

(5) *Trident. cit. cap.* 7.

XXIX. Commonendos hic judicamus eos, quibus vel hac noſtra Conſtitutione, vel per licentiam in ſcriptis facultatem abſolvendi a reſervatis impertiemur, non continuo per eam conceſſionem factam ipſis fuiſſe poteſtatem circa vota, juramenta, aut circa cenſuras, extra ſequentem Tabellam, in hac Synodo reſervatas, aut circa diſpenſationem, abſolutionemque in irregularitatibus, aut cenſuris in caſibus occultis (1) juxta Tridentini decretum Epiſcopali auctoritati conceſſam. Nihil ultra ſibi arrogent, quam quod erit in licentiis expreſſum. Declarationes etiam quibuſcumque caſibus addendas mandavimus, ut cuilibet Confeſſario planius innoteſcat mens noſtra; eaſque ſedulo quivis inſpiciat, & obſervet, ne ſuper reſervatis illegitimum ferat judicium. Hæc autem Tabella una cum compendio Bullæ in Cœna Domini appenſa ſit in unaquaque Confeſſionali ſede, a lateribus Confeſſarii ſedentis.

TABULA CASUUM RESERVATORUM

I.

Cum Excommunicatione.

I. Blaſphemia Hæreticalis.

Si adſit intellectus error in blaſphemante, tunc reſervatur Sedi Apoſtolicæ: Si publica fuerit, non abſolvatur ſine publicis pœnitentiæ ſignis. aut ſaltem cum manifeſta blaſphemiarum deteſtatione.

II. Sacramentorum, aut Sacramentalium abuſus ad maleficia, incantationes, & ſortilegia; item cum invocatione dæmonis tacita, vel expreſſa ſortilegium quodcumque.

Hic etiam advertendum, an erroneam habeant in intellectu credulitatem hi ſortilegi, putantes pertinaciter, Dæmonem eſſe cultu dignum, vel omnipotentem; tunc enim pariter S. Sedi reſervatur. Rurſus advertendum, an ab aliquo edocti fuerint, aut complices adhibuerint; tunc namque non abſolvendi, niſi Tribunali noſtro complices, ſeu Magiſtros denuncient, juxta Edictum Sac. Inquiſitionis. Tacita Dæmonis invocatio præſumitur, ſi adhibeantur nomina ignota, characteres, ligamina, involucra, unctiones, inſufflationes inſolitæ, cruces in certo numero, genuflexiones verſus aliquam determinatam cœli partem &c.; item brevia quæcumque ignoti caracteris, verbiſque ſacris permixta, cum certa fide delata ad præcavenda hoſtilia arma, alioſque extraordinarios effectus.

(1) *Trident. ſeſſ.* 24. *de refor. cap.* 6.

III. Abortus fœtus etiam inanimati ex induſtria procuratus, effectu ſecuto; etiam quoad mandatum, auxilium, aut conſilium ad eum præſtantes.
IV. Infantis ſuffocatio ſtudioſa, aut ex culpabili negligentia proveniens.

I I.

Sine Excommunicatione.

V. Blaſphemia ſimplex conſuetudinaria.

Non abſolvendi, obtenta etiam facultate, niſi blaſphemi ſeſe a ludo, cauponis, aliiſve occaſionibus, vel cauſis ad blaſphemandum inductivis ſubducturos ſpoponderint. Si promiſſa non fecerint, & iterum iis occaſionibus ſe immiſcuerint, & blaſphemaverint, tandiu abſolutio differatur, donec prudenter credi poſſit, eos promiſſa impleturos.

VI. Homicidium voluntarium, etiam quoad cooperantes mandato, aut conſilio, aut conſenſu, aut quovis auxilio.

Non reſervatur homicidium ad ſui defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Non abſolvendus homicida, niſi hæredibus occiſi damnum compenſarit, aut quantocius ſe compenſaturum ſerio promittat, cum primum poterit. Satisfactiones homicidis injungendæ ſint Miſſæ, eleemoſynæ, aliaque ſuffragia pro anima occiſi, & ex iis nonnulla quotannis in die necis anniverſaria.

VII. Percuſſio in Patrem, vel Matrem etiam levis, modo injurioſa.

Ne abſolvantur hi percuſſores, niſi petita venia, & obtenta; & ſi percuſſio aliis ſit manifeſta, eam veniam prius petant coram aliis, antequam abſolvantur.

VIII. Detentio infantium in lecto ultra dimidiam horam ſine repagulo ante decimum menſem expletum.

Arbitrio Confeſſariorum relinquimus decernendum, quodnam repagulum ſufficiens ſit ad impediendum ſuffocationis periculum.

IX. Inceſtus in primo affinitatis, & primo, & ſecundo conſanguinitatis gradu. Item beſtialitas; item ſodomia tam activa, quam paſſiva tam inter mares, quam maris cum femina; item ſtuprum invita virgine.

Non reſervatur, ſi copula perfecta non ſit; neque comprehenduntur hac reſervatione impuberes, videlicet fœminæ non excedentes duodecimum, mares vero decimum quartum annum. Inveſtigandum, an adſit occaſio proxima voluntaria; tunc enim ab abſolutione repellendi, niſi prius dimittant, & bruta ad beſtialitatem adhibita omnino ejiciant. Si occaſio fuerit involuntaria, quæ expelli nequiret, non abſolvendi, niſi re-

media

media adhibuerint a Confeſſario præſcribenda ad occaſionem attenuandam, & vires animæ augendas.

X. Tactus, ſermones, tractatus illiciti, & inhoneſti cum Monialibus, aliiſque fœminis in Monaſterio degentibus, aut litterarum, librorumve amatoria continentium ad eas tranſmiſſio.

Non abſolvendi, niſi dimiſſo ad eas acceſſu, & reſciſſa amicitiæ conſuetudine.

XI. Lenocinium parentum in filias, aut viri in uxorem.

Comprehenduntur nedum ſi ſuas filias, vel uxorem proſtituunt, ſed & ſi ſponte ſe proſtituentibus conſenſum, auxilium, aut acquieſcentiam præſliterint, cum impedire poſſunt.

XII. Conſcriptio libelli, ſeu cartelli famoſi, vel epiſtolarum ementito, ſive ſuppreſſo ſcriptoris nomine (vulgo *memoriali*, *o lettere cieche*) falſa crimina imputantium; etiam quoad mandantes, conſentientes, auxilium, vel favorem præſtantes; ſecuta tamen eorum affixione, vel miſſione, vel publicatione.

Non abſolvendi, niſi reparata, quantum judicio Confeſſarii fieri poteſt, proximi fama.

XIII. Falſa depoſitio, vel accuſatio in judicio, aut ſcripturarum falſificatio in præjudicium alterius; aut ſtipulatio contractus uſuram expreſſam continentis, quoad Notarios, vel ſcribas, & proxenetas, vulgo *ſenſali*, qui hujuſmodi contractui operam ſuam præbuerint.

Non abſolvendi deponentes, accuſantes, vel falſificantes, niſi reparata fama, & compenſato damno proximi injuriam paſſi.

XIV. Occultatio, ſeu iniqua detentio ſcripturarum, pecuniarum, jurium, aut bonorum Eccleſiis, locisve piis debitorum; item dilata poſt annum a die aditæ hæreditatis legatorum piorum executio; item dilata ultra duos menſes a die obitus teſtatoris, legatorum piorum revelatio Curiæ noſtræ in ſcriptis facienda a Notariis, ſeu Parochis ultimas voluntates conſcribentibus.

Non abſolvendi niſi facta reali reſtitutione ſcripturarum, & bonorum Eccleſiæ; & præſtita per publicum Inſtrumentum confeſſione jurium; item niſi facta, aut ſerio promiſſa, in caſu impotentiæ, infra breve tempus a Confeſſario deſignandum, reſtitutione pecuniarum, & executione legatorum piorum; item niſi facta revelatione legatorum piorum a Notariis &c., qui idcirco erunt a Confeſſariis exquirendi, & monendi.

CAPUT QUARTUM

De Extremæ Unctionis, atque Ordinis Sacramentis.

I. O*Ratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis eſt, remittentur* (1) *ei*. Jacobus Apoſtolus dum his verbis tanti Sacramenti perceptionem Fidelibus commendavit, aperte innuit præcipuos ejus effectus, qui ſunt, animam ægroti alleviare, magnam in eo (2) Divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatur, & morbi incommoda levius fert, & tentationibus Dæmonis facilius reſiſtit; tum ſi in peccatis fuerit, ea remittere, hoc eſt delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, & peccatorum reliquias abſtergere; & tandem infirmum ipſum quandoque ſalvare, videlicet ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, impertiri. Ex hoc ipſo facile intelligi poteſt, quantum eſſe debeat Parochi ſtudium, ut eo maximæ tribulationis tempore, ovibus ſuis non deſit pro earum tum temporali, tum æterna ſalute curanda; cum ex hoc charitatis, & ſollicitudinis paſtoralis officio pie, & ſolerter præſtito fieri poſſit, ut voce ſupremi Paſtoris queat in Domino gloriari iis verbis; *Quos dediſti* (3) *mihi, non perdidi ex eis quemquam*.

II. Dum autem Parocho ſollicitudinem commendamus, duo potiſſimum mala cavere intendimus; alterum eorum, qui ſerius, quam oportet, hoc Sacramentum adminiſtrant, quando ægrotus ita ſenſus obrutos habet imminente jam morte, ut ſibi non conſtet, nec aliquid prorſus intelligat; alterum eorum, qui ut ab hac cura ſe citius expediant, etiamſi nullum mortis periculum ſubſit, mature admodum, & præpropere infirmos inungunt. Hinc Sacri Tridentini Concilii (4) doctrinam ſectantes, ſub interminatione Divini judicii jubemus, hanc unctionem adhibendam iis, qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur, unde & Sacramentum exeuntium appellatur. At vero pariter invigilandum, ne expectetur (5) ſupremus vitæ exitus, quum jam jam anima in primoribus labris laborat, juxta impium Calvini effatum calumniantis, ſemimortua cadavera apud nos pinguedine infici. Infirmos igitur, ſtatim ac periculo mortis laborare cognoverit Parochus, opportune excitet ad hujus Sacramenti (6) ſuſceptionem, in id omnem operam conferens, ut ab eorum animis error abjiciatur, quo

(1) *Jacob.* 5. 15.
(2) *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 2.
(3) *Joan.* 18. 9.
(4) *Trid. cap.* 3. *ſeſſ.* 14.
(5) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 2. *Syn. Sacchetti pag.* 59., *Syn. Sermatth. p.* 87.
(6) *Bened. XIV. l. cit.*

quo putant, actum eſſe de vita poſt ſancti olei unctionem, ſolumque ſibi ſupereſſe ſepulcrum. Doceat, ſacramenta ſolari, non occidere; & explicans ſacramenti effectus, inſinuet, non poſſe eos per ſacram unctionem gigni ſine pio aliquo ſuſcipientis actu, per quem peccata ſua deteſtetur, ea ſaltem imperfecta contritione, quæ eſt neceſſaria ad veniam, & juſtificationem in Sacramento Pœnitentiæ aſſequendam.

III. Proderit etiam ad eum errorem extirpandum frequens (1) Parochorum declaratio, qua fidelibus, & maxime ægrotantibus ſignificetur, ſacram unctionem impertiri interdum ſanitatem corporis, ubi ſaluti animæ expedierit; at hunc effectum non præſtari per modum miraculi, quod profecto neceſſarium eſſet ad reſtituendam ſanitatem illi, qui extremum ageret ſpiritum; ſed præſtari virtute quadam, ſupernaturali quidem, at quodammodo ordinaria, quæ cauſſas naturales adjuvat; unde non expectandam ultimam vitæ periodum, quum jam naturales vires prorſus effœtæ ſunt. Hæc omnia crebro ſuggeret ad præfatum evellendum errorem Parochus; qui, ſi falſæ vulgi opinioni ſe accomodans, tunc primum ſacro oleo inungere curaret infirmum, cum vita, & ſenſibus carere incipit, ſciat ex Catechiſmo Romano, ſe graviſſime peccare (2).

IV. Non tamen exinde ſacra unctione privabit eos, qui morbo correpti, poſt petita Sacramentorum auxilia, ſubito fuerunt ante Parochi adventum ſenſibus deſtituti. Quin immo, etſi repentina vis morbi omnem cogitationem Sacramentorum petendorum præveniſſet, miniſtrandam cenſemus, una cum abſolutione ſaltem ſub conditione, ſi Chriſtiane vixerint; ipſa enim tunc publica noſtræ Religionis profeſſio, & vitæ probitas clarum exhibent indicium voluntatis ægroti a Deo, & ab Eccleſia miſericordiam (3) implorantis. Denegetur autem iis, qui, vel notorie excommunicati, vel publici (4) peccatores, impœnitentes permanſerint, nec ullum pœnitentiæ ſignum ediderint; ſicut & iis, qui hujus Sacramenti contemptum oſtenderunt; qualis præſumitur (5) in infirmo, qui cum vita periclitaretur, extremam unctionem ſciens, & volens petere negligit; multoque magis ſi eam ſibi a Parocho exhibitam recipere renuerit. Hos nedum ſacra unctione, ſed & Eccleſiaſtica ſepultura privandos denunciamus.

V. Pueri ante (6) rationis uſum, & amentes, qui nullum unquam habuerunt lucidum intervallum, non debent hoc Sacramento muniri, licet ad mortem

(1) *Bened. XIV. loc. cit.*, *& Syn. 1. Brancat. pag.* 18.

(2) *Catech. Rom. h. tit. §.* 9.

(3) *Bened. XIV. lib. cit. cap.* 21. *num.* 5.

(4) *Syn. Montilj pag.* 115., *Syn.* 1. *Muti p.* 67.

(5) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *cap.* 22. *in fin.*

(6) *Catech. Rom. loc. cit. Bened. XIV. lib. cit. cap.* 21. *num.* 3. *Syn.* 1. *Muti pag.* 66.

mortem properent, quod hi peccatis inquinari nequiverint. Secus de adultis, qui aliquando rationis compotes, in amentiam deinde, ſeu phreneſim inciderunt. Semel hoc oleo delibutis (1) iterandum non eſt; ſed tunc ſolum ex præſenti Eccleſiæ diſciplina repetendum permittimus, immo & ſuademus, ſi ægrotus periculum illud mortis evaſiſſe videatur, & antequam convaleſcat, iterum relabatur in vitæ diſcrimen. Iterandum vero abſolute jubemus, ſi infirmus (2) poſt ſuſceptum hoc Sacramentum prorſus convaluerit, & deinde iterum ægrotans in aliud ſimile vitæ periculum inciderit.

VI. Oleum a Nobis dumtaxat benedictum adhibendum eſt, (3) etiam a Regularibus in hac Diœceſi commorantibus, quibus non licet benedicto ab aliis, præter Diœceſanum, Epiſcopis oleo uti. Annis quibuslibet renovetur, oleo vetere ſtatim combuſto in lampade, quæ ante Sanctiſſimum Sacramentum collucet (4), bombyce in ſacrario plane exuſto; unde (5) qui oleo præteritis annis conſecrato uteretur, valide quidem, ſed illicite Sacramentum adminiſtraret, niſi præoccupante morte ante novi olei delationem facere id cogeretur. Si forte vero infra annum propter frequentem uſum imminueretur in dies, ut dubitari queat, quin deficiat, tunc (6) licebit parum quid olei non conſecrati conſecrato admiſcere, in minore tamen quantitate. Hujus ſacri olei cuſtodiam, ac reverentem ad ægrotos delationem quam maxime Parochis commendamus, quibus præſcriptum volumus, ut non in profano tunicæ, aut femoralium ſacculo, ſed omnino in burſa ſerica violacei coloris (7) apte incluſum, & funiculis pariter ſericis collo appenſum reverenter deferant ipſimet, non autem clerico, ac multo minus laico geſtandum tradant. Si ſecus fiat, pœnas dabit arbitrio noſtro pergraves Parochus pro modo irreverentiæ; quas etiam graviores dabit, ſi ejus negligentia (8) infirmus ſine extremis Sacramenti hujus ſubſidiis deceſſerit.

VII. Poſt ſanctam unctionem præcipimus Parocho, ne goſſipium, aut ſtupam, qua proprios digitos, & inunctas infirmi partes abſterſit, comburat (9) in domo ipſius ægroti, ſed ea ſecum deferat comburenda, & in ſacrario reponenda. Caveat idem, ne hac capta occaſione purificandi, ſeu abſtergendi diſcum, vel patinam, ſuper qua repoſitum fuit vas ſacri olei cum

(1) *Bened. XIV. lib. cit. cap.* 23. *num.* 4.

(2) *Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 3.

(3) *Gl. in can.* Presbyteri *diſt.* 95. *Lambertin. Inſt.* 81. *num.* 2. *Paſſerin.*, *Card. Petra &c. apud Gaudent. de Viſitat. tom.* 1. *pag.* 377.

(4) *Syn.* 1. *Muti pag.* 28. *ex Pontif. Rom.*

(5) *Can.* ſi quis *de conſecr. diſt.* 4.

(5) *S. C. Inquiſit.* 23. *Sept.* 1682., *& c.* quod in dubiis *de conſecr. Eccleſ.*

(7) *Syn. Montilj pag.* 113., *Syn.* 1. *Muti p.* 68.

(8) *Syn.* 1. *Muti pag.* 67., *Syn. Sermatth. p.* 88.

(9) *Syn. Montilj pag.* 114., *Syn.* 1. *Muti p.* 68

cum goſſipii globulis, putet jure ſibi deberi (1) ejus patinæ dominium. Sicut a ceteris Sacramentis, ita ab hoc omnis avaritiæ ſuſpicio abſit. Tum memor ſit Parochus graviſſimæ obligationis, qua tenetur non deſerere infirmos in extremo mortis periculo cum hoſte colluctantes. Morientem (2) ſoletur omni paſtoralis pietatis officio. Pios crebro ingerat illi ſenſus, contritionis, ac Theologicarum virtutum actus frequentius proponat, atque inſtitutis ab Eccleſia ad animarum commendationem precibus adjuvet. Præcipue autem curabit, ut Apoſtolica Benedictione donetur, juxta facultatem, & formam a fel. recor. Benedicto XIV. Epiſcopis (3) traditam, cum plenaria omnium peccatorum Indulgentia, & remiſſione; quam formam in Appendice tradimus Num. X.

VIII. Hanc Benedictionem Nos ipſi, ſi præſentes in Civitate fuerimus, nulloque legitimo impedimento detinebimur, libentiſſime impertiemur moniti, & vocati. Nobis autem abſentibus, & impeditis, juxta tenorem Brevis per Nos impetrati ab Apoſtolica Sede, alios vice noſtra ad id munus deputamus; quorum nomina ſub præfata methodo in Appendice indicabimus; conceſſa etiam Confeſſariis Monialium Ordinariis ſimili facultate erga moribundas in Clauſura Monaſterii degentes, niſi Nos ipſi perſonaliter velimus accedere, & (4) in clauſtra introire. Sciant autem hi delegati, facultatem hanc a Romano Pontifice conceſſam, eo decedente, non expirare; & a Nobis ſubdelegatam alteris, Nobis cedentibus, vel decedentibus non ceſſare, ſed permanere uſque ad novi Præſulis adventum, in cujus libera poteſtate erit, poſtquam litteras Apoſtolicas obtinuerit, vel ipſiſmet delegatis in hac Synodo eamdem facultatem aſſerere, vel alios de novo ad id munus ſubrogare. Modum autem Benedictionis, formamque in Appendice deſcriptam ad amuſſim ſervent hi ſubdelegati, utpote ab eodem Pontifice ad hanc rem traditam, & imperatam.

IX. Parochos ſemper, quum de hoc Sacramento ageremus, allocuti ſumus; ob eam ſcilicet rationem, qua ejus Sacramenti adminiſtratio ſolis Parochis a Pontificiis Conſtitutionibus aſſeritur. Nulli ergo non Parocho fas ſit, abſque Parochi licentia, præſumere ægrotos inungere. Ipſimet Regulares, ſi ſecus fecerint, anathemate (5) Summo Pontifici reſervato irretiuntur, facta locorum Ordinariis poteſtate, poſtquam id conſtiterit, publice denunciandi eos excommunicatos. Suis ſubditis dumtaxat, illiſque famu-

(1) *S. C. C. in Albanen.* Funerum 20. *Febr.* 1721. *lib.* 71. *Decretor. pag.* 64.

(2) *Syn. Montilj pag.* 113., *Syn.* 1. *Muti p.*69., *Syn. Abbati pag.* 42.

(3) *Bened. XIV. Conſt.* Pia mater 1747.

(4) *Ex Conſt. cit.*

(5) *Clement.* 1. *de Priv.*, & *Clem.* Dudum *de Sepultur.*

famulis, qui actu inſervientes (1) intra Monaſteriorum ſepta, ac domos reſident, ibique ſunt de familia, & continui commenſales, miniſtrare licite valent. Advenis vero non Regularibus, qui in eorum Conventibus (2) infirmantur, licet conventui alimenta ſolverint, nec Viaticum, nec extremam Unctionem, irrequiſito Parocho, adminiſtrare poſſunt. Monialibus Confeſſarii Ordinarii eam diſpenſent.

X. Quum anima ægroti in exitu anxiatur, detur in Parochiali Eccleſia tribus Campanæ pulſibus ſignum, quo excitentur fideles ad fundendas pias ad Deum preces pro ſalute animæ illius mox deceſſuræ. Quo ferventius ad orandum pro morientis anima moveantur fideles, concedimus Indulgentiam, per nos elargiri conſuetam, iis, qui ad eum ſonum ter Orationem Dominicam, interjectis totidem *Gloria Patri &c.*, devote recitaverint in memoriam trium horarum, quibus in Cruce pendens Salvator noſter acerbiſſimos cruentæ mortis dolores eſt paſſus, deprecantes, ut mortem fideli agonizanti propitiam in oſculo pacis tribuat. Inter Miſſarum ſolemnia ſubinde id populo ſignificabunt Parochi, ſimul commonentes, quonam modo illud Campanæ ſignum daturi ſint, ut innoteſcat.

§. Alter

De Ordine.

XI. *Manus cito* (3) *nemini impoſueris*. Monitum hoc Apoſtoli Pauli ad Thimotheum Epiſcopum intelligendum eſſe potiſſimum de promovendis ad Sacros Ordines, atque ad ſacratiſſima Myſteria, ſuaſit dudum (4) ſapientiſſimus olim Pontifex Benedictus XIV., iiſque gravibus verbis perſuaſos Nos voluit, melius eſſe habere pauciores miniſtros, ſed probos, ſed idoneos, atque utiles, quam plures, qui in ædificationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, nequicquam ſint valituri. Quibus monitis pronas, ut par eſt, aures adhibentes, fateri non erubeſcimus, pavidos Nos ſemper, ac trementes Clericis huc uſque manus impoſuiſſe; veritos, ne nimis propere, aut cum non ſatis accurato delectu, Clericali militiæ eos adſcriberemus, a quibus merito expectari non poſſent vitæ (5) monita, ac preclarum operum bonorum exemplum. Qua in re, etſi plurimis prædeceſſorum noſtrorum ſalu-

(1) *Trident. ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 11. *Clem. X. Conſt.* Superna.

(2) *S. C. C. in Monopolitan.* 27. *Sept.* 1670., *& in Gerunden.* 13. *Febr.* 1694., *& in Aſten. jur. Paroch.* 27. *Nov.* 1717., *&* 29. *Jan.* 1718.

(3) 1. *Timoth.* 5. 22.

(4) *Bened. XIV. Encycl.* Ubi primum 1740.

(5) *Trident. ſeſſ.* 23. *de ref. cap.* 14.

ſalubriter conſtitutis conſilium noſtrum conformaverimus, adhuc tamen plura ſuperſunt, quæ ſtabilienda judicamus..

XII. Atque illud imprimis animo noſtro alte infixum eſſe ſciant omnes, quod Viterbienſi Cardinali Ægidio teſte (1) fertur ſtatuiſſe Innocentius hujus nominis VI., nempe, *homines ad ſacra admittendos, non de cenſu, vel ſtemmate, ſed de virtute, & pietate cenſeri; oportere rerum humanarum contemptores recipi, cupidos expelli; eoſque, quos opes, luxuſque delectant, hos arcendos eſſe a divinis adminiſtrandis*. Nunquam patiemur abduci Nos humano ullo reſpectu, vel importunis ambientium ſuggeſtionibus, vel fautorum precibus, vel aliis quibuſcumque terrenis rationibus, ut minus dignos aſſumamus. Eamdem legem, S. Carolo Cardinali duce, Nobis præſcripſimus (2) circa beneficia conferenda, a quibus per biennium repellemus eos, qui multis, & ambitioſis precibus aliquod Eccleſiaſticum beneficium vacans per ſe, vel per alium petierint. Si quis vero eo importunitatis, ambitus, & perverſæ cupiditatis devenerit, ut beneficia Eccleſiaſtica nondum vacantia poſtulaverit a Nobis, vel a Patronis quibuſcumque, ſciat, per ſacros (3) Canones promiſſiones omnes beneficiorum non vacantium, litteraſque præſentationis nullas, irritas, inaneſque pronunciari; ipſumque obtinentem, ſeu poſtulantem ad eadem beneficia in ipſorum vacatione obtinenda ipſo facto (4) inhabilem fore decernimus.

XIII. Adoleſcentulos pauperes, in quibus pietas, ingenii vis, ſtudiique profectus plurimum emicant, libenter tonſura, ac minoribus initiabimus, & quoad poterimus, favore, auxilioque, bonæ ſpei frutices in vinea Domini colemus, ut creſcant. Attamen his exceptis, ne, ut perſæpe contingit, adoleſcentes frequenti agmine tonſuram, aut minores Ordines aſſecuti, non habentes poſtmodum beneficium, penſionem, aut patrimonium, quibus valeant ſacris initiari, veſtem Clericalem abjicientes, cum ordinis dedecore, aut mendicent, aut vilibus artibus vacent, ſordidumque quæſtum exerceant, Nos illuſtrium (5) Diœceſeon morem hac in parte laudabilem probantes, neminem ſancimus ad primam Clericalem tonſuram admittendum, niſi annuum reditum aureorum triginta ex beneficio, penſione, aut patrimonio pacifice ſe poſſidere legitimis documentis oſtenderit.

XIV. Porro Patrimonium hoc verum ſit, & reale in bonis certis, fru-

(1) *Pagi in Breviar. in Vit. Innoc. VI. num. 9.*

(2) *Conc. Prov. 1. ap. Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 63. num. 4.*

(3) C. relatum, *c.* ex tenore *de conceſſ. Præben.*, *&c.* Deteſtanda *eod. tit. in 6.*, *Trident. ſeſſ. 24. de ref. cap. 19.*

(4) *Concil. Prov. Mediol. 1.*, *Concil. Sabinen. cap. 15. ap. Ferraris Bibliothec. tom. 1. pag. 299. edit. Roman.*

(5) *Syn. Ravennat.* 1749. *par.* 3. *cap.* 9. §. Ad primam.

ctiferis, & immobilibus, (excepta tamen domo, in qua Ordinandus degit, quam inter patrimonii ſacri bona non patimur accenſeri) non autem in (1) ſemoventibus, aut mobilibus; & in Actis Curiæ noſtræ per idoneos teſtes probetur, tam præfati annui reditus quantitas, detractis omnibus oneribus, cum publicis, tum privatis, quam eorum bonorum ſecuritas, quod videlicet ea bona propria ſint conſtituentis, non cum aliis communia, non litigioſa, non ficta, non aliquo æris alieni, aut hypothecæ vinculo obnoxia, ſed juſto titulo ſucceſſionis, emptionis, aut donationis non fictæ acquiſita, & pacifice tribus ſaltem ante menſibus poſſeſſa (2); quodque omni colluſionis, aut fiducialis pactionis, vel bonæ fidei recognitionis tacitæ, vel expreſſæ vitio ea patrimonii conſtitutio ſit prorſus immunis; eaque ter inter Miſſarum ſolemnia cum bonis, reditibuſque ſigillatim enumeratis populo publicetur a Parocho, & de publicatione facta teſtimonium adferatur. Tam conſtituens, quam teſtes, qui circa hæc perjurium committent, ipſo jure ſint anathematis vinculo obſtricti; ac præterea tam conſtituens, quam Ordinandus pœna centum aureorum locis piis applicanda multabuntur, de quibus pœnis moneri per Cancellarium noſtrum jubemus quemlibet, qui horum patrimoniorum conſtitutioni vel tanquam teſtis, vel tamquam principalis adfuerit.

XV. Sic obtinens penſionem, Beneficium, aut patrimonium (3) antequam ad ordinationem accedat, in Actis Curiæ noſtræ jurabit, ſe ea nunquam in totum, vel in parte reſignaturum, permutaturum, vel alienaturum, niſi (4) de expreſſa noſtra licentia, & poſtquam docuerit, ſe aliunde habere, unde vivere poſſit; alias factæ reſignationes, aut permutationes nullæ ſint, & reſignans, aut permutans gravibus pœnis per Nos obſtringetur. Haud inde tamen pollicemur, Nos ſemper pro Sacris Ordinibus admiſſuros patrimonii titulum, memores (5) Tridentini moniti, eos dumtaxat aſſumendos, quos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiæ, vel ob eximiam perſonæ virtutem promovendos judicaverimus. Facilius (6) hæc patrimonia admittemus in ſupplementum beneficii, quod non ſufficiat co gruæ ſuſtentationi.

XVI. Sollicitiorem diligentiam adhibitam volumus in perſcrutanda tituli ſufficientia ad Sacros Ordines ſuſcipiendos; ac proinde omnino repellemus eos, qui ad titulum Cappellaniæ ad nutum amovibilis initiari petunt, niſi

(1) *S. C. C. 29. Nov. 1670. ap. Lambertin. Inſt. 26. num. 8., & ejuſdem S. C. Encycl. 13. Maii 1679.*

(2) *Syn. Sacchetti p. 61., Syn. Sermatth. p. 101.*

(3) *Trident. ſeſſ. 21. de ref. cap. 2.*

(4) *Benedict. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 72. n. 1.*

(5) *Trident. loc. cit.*

(6) *Syn. Sermatth. pag. 103.*

niſi tria hæc concurrant, videlicet, ut ſufficiens, & congrua inde percipiatur juxta taxatum annuum reditum (1) vitæ ſuſtentatio; tum patroni de noſtra licentia, & auctoritate obligatio accedat, a ſe nunquam amotum iri eum præſentatum, nominatumve, donec ille vixerit, aut aliunde ad ſui ſuſtentationem beneficium, penſionemve poſſederit; tum denique idoneus fidejuſſor præſto ſit, qui in Actis Curiæ noſtræ per publicum Inſtrumentum promittat, ſe alimenta ordinando præſtiturum, quotieſcumque infirmitate, aut alias, non poſſet ille per ſe Miſſas celebrare. In Cappellaniis autem perpetuis, Beneficiis, etiam de reſidentia, Canonicatibuſque legitime, ac pacifice poſſeſſis eadem probatio circa redituum quantitatem juxta hanc Synodalem taxam (2) omnino fiat, cum quis ad Sacros Ordines promoveri poſtulat; ſolumque indulgemus, ut ex hoc redituum (3) calculo non ſubtrahantur onera Miſſarum; ceteris tamen oneribus fixis, & invariabilibus inde detractis; quamcumque in contrarium hujus Diœceſeos conſuetudinem penitus tollentes, & antiquorum Canonum (4) pœnas quoad hoc innovantes; ac ipſo jure ſuſpenſum declarantes eum, qui falſo, ficto, aut non ſufficienti titulo inpoſterum Sacros Ordines ſuſceperit, a cujus ſuſpenſionis vinculo relaxari non poſſit, niſi reali facto uſque ad taxatam ſummam ſupplemento.

XVII. Beneficiorum pluralitatem (5) reprobamus, etiamſi ea perſonalem non requirant reſidentiam, & ſolum aliud ſimplex Beneficium haberi permittimus ab eo, cui primum non ſufficit ad vitam honeſte ſuſtentandam. Qua in re cum pluries Nobis, tam a Patronis jure præſentandi fruentibus, quam ab iis quibus Beneficia ſunt conferenda, expoſitæ fuerint poſtulationes, ut tertium, quartumve Beneficium poſſideri poſſe decerneremus, hæc, quæ ſequuntur, declaranda cenſuimus. Ac primo quidem nemini per Nos indulgeri poteſt, ut ſecundum (6) acquirat, quoties primum ſit ad honeſte vivendum juxta ſtatutam taxam ſufficiens. Si ſatis non ſit primum jam obtentum, facultas (7) eſt Nobis alterum conferendi, etiam ſub eodem tecto, modo ea ſint inter ſe difformia. Sin autem duo hæc ſufficientia non ſint, abſque ſpeciali (8) Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione tertium obtineri non poteſt, etiamſi juriſpatronatus laicalis fuerit. Quæ hactenus de Beneficiorum

M 2 plura-

(1) *Lambertin. Inſt. 26. num.11.*

(2) *Ex Encycl. SS. D. N. Clem. XIII.* cum primum 17. *Sept.* 1759.

(3) *S. C. C. 17. Jul. 1723. in Ariminen.*

(4) C. cum ſecundum *de præben.*, *&* *can.* Sanctorum *diſt.* 70.

(5) *Trident. ſeſſ. 24. de ref. cap. 17., & Lambertin. Inſt. 91. per tot.*

(6) *Trident. loc. cit.*

(7) *S. C. C. in Camerinen. Diſpenſationis 4 Nov. 1716.*

(8) *Fignan. in c.* cum jamdudum *de Præben. num.35., & 71. referens S. C. C. decreta.*

pluralitate ſervanda enarravimus, ea locum non habere in legatis piis, & inCappellaniis de jure patronatus laicorum decrevit Sacra Concilii (1) Congregatio. Has regulas in Curia noſtra inviolabiliter cuſtodiendas mandamus.

XVIII. Qui per primam tonſuram Eccleſiaſticæ militiæ adſcribi volent, teſtimonia afferant Baptiſmi, Confirmationis, bonorum morum, & frequentis ad Doctrinam Chriſtianam acceſſus, ſtudii, & profectus in litteris, & quod in laico Tribunali nunquam fuerit inquiſitus. Pro Minoribus Ordinibus litteræ afferantur teſtimoniales de Tonſura, aut reſpective de ſuperiore Ordine ſuſcepto, de bonis moribus, de frequentatione Doctrinæ Chriſtianæ, & Sacræ Communionis, de inceſſu in habitu, & tonſura, ac ſervitio Eccleſiæ præſtito, de litterarum, & cantus Gregoriani ſtudio, ac progreſſu, de frequenti acceſſu ad Caſuum moralium collationes, ac de Exercitiis Spiritualibus per quinque ſaltem continuos dies peractis.

XIX. Ad majores Ordines promovendi per menſem (2) ante ordinationem Nos adeant, ſaltem per ſupplicem libellum, ut inquiſitiones a Tridentino præſcriptas peragere valeamus. Ii autem teſtimonium afferant proxime inferioris ordinis ſuſcepti, legitimæ ætatis, publicationum in Eccleſia factarum, tituli ſufficientis, exercitii ſacri Ordinis ultimo recepti, laudabilis in Eccleſia ſervitii jam præſtiti, frequentis ad Sacramenta, & Caſuum Collationem acceſſus, peritiæ cantus Gregoriani, ſtudii Theologiæ Moralis, vel Scholaſticæ, vel Juris Canonici ſaltem per annum, ac Exercitiorum Spiritualium per decem continuos dies peractorum in aliqua Religioſa domo per Nos deſignata. Hujuſmodi autem atteſtationes a Parochis, Ludimagiſtris, aliiſve reſpective jurejurando obſignatæ, & non niſi ante menſem expeditæ, tradantur aliquot ante ordinationem diebus (3) Vicario noſtro Generali, qui adſcitis (4) Archidiacono, & duobus ex Synodalibus examinatoribus, eas diligenter expendat. Si quis Feria quarta ante ordinationes, ea teſtimonia non detulerit, ab Ordinibus ſuſcipiendis rejicietur. Parochi autem ſecretis litteris ad Nos datis, ordinandorum mores, inſtitutionem, doctrinam, & fidem patefaciant, ut Nos exinde ſecuriores fiamus, ac fidentiores in deligendis ſacris Miniſtris. Si ſecus Parochi fecerint, ſuam ipſorum conſcientiam graviter oneratam volumus apud Deum, quod minus dignos, ipſis non revelantibus, forte aſſumpſerimus.

XX Diebus ad examen deſtinatis quilibet accedat talari veſte indutus. Neminem ab examine ſubeundo eximimus, licet aut Cathedralium noſtrarum

---

(1) *S. C. C. in Biteĉt. 6. Dec.* 1721. *ad* 3.

(2) *Trident. ſeſſ.* 23. *de ref. cap.* 5.

(3) *Trident. ſeſſ.* 23. *de ref. cap.* 7., *Syn. Albati pag.* 45.

(4) *C.* ut noſtrum *de offic. Archidiac.*

rum Canonicus, aut jam in concurſu ad Parochiales Eccleſias approbatus extiterit, conſuetudinem in contrarium, ſeu potius abuſum nuper introductum penitus improbantes. Minores ordines non conferentur (1) iis, qui ſaltem latinam linguam non intelligant, ac Catechiſmum, aliaque (2) ad Ordines ſuſcipiendos ſcitu neceſſaria non calleant. Sacris autem Ordinibus initiandi, præter ea, quæ diximus, examen ſubibunt (3) ſuper Theologia Morali, aut Scholaſtica, aut Jure Canonico, quibus ſcientiis per annum ſaltem ſe vacaſſe teſtimonium, ut mandavimus, attulerint; præcipue vero circa tractatus de Sacramentis, tam in genere, quam in ſpecie, & de Fide, Spe, Charitate (4) examinabuntur. Examine cujuſque ordinandi completo, ipſoque ordinando dimiſſo (ut veteris erat in hac urbe inſtituti) ſecretis calculis in urna collectis non gravabuntur Examinatores renunciare Nobis, an examinatum per plura ſuffragia quoad ſcientiam dignum reputent, ut ad Ordines promoveatur; rationem Deo reddituri, ſi privatis affectibus ducti, vel indignum approbent, vel dignum repellant.

XXI. Clericos omnes tam Clericali tonſura, quam minoribus, & ſacris Subdiaconatus, & Diaconatus Ordinibus initiatos, ſi ex vi Beneficii nulli ſint Eccleſiæ addicti, adſcribimus (5) Cathedrali Eccleſiæ in Civitatibus, aut reſpective Eccleſiæ principali per Diœceſim, ubi ſuis fungantur Ordinibus; alioqui ſpe carebunt aſcendendi ad altiores Ordines. Volumus tamen, ut in hac noſtra Civitate Viterbii, diebus ſolemnioribus, quatuor ſaltem ſingulis Collegiatis adſcribantur, qui Miſſæ ſolemni inſerviant, ac in hebdomada majore ſingulis Parochiis quatuor itidem deſtinentur, qui Parochum adjuvent in functionibus Eccleſiaſticis. Ii autem præcipue aſſumantur ex ejuſdem Collegiatæ, vel Parochiæ ambitu, ſi in eo degant; ſin autem ex vinciniore. Neminem eximimus, etiamſi exterus ſit, atque in hac urbe ſtudiorum cauſſa commoretur, pœnis arbitrariis (6) etiam interdictionis ſacrorum in inobedientes animadverſuri. Quæ diſtributio quotannis facienda erit per Archidiaconum Cathedralis noſtræ, qui collato cum Parochis conſilio, habitoque ab eis Clericorum in urbe degentium numero, ineunte Quadrageſima, Catalogum efformet, valvis Sacriſtiæ ejuſdem Cathedralis, & reſpective Collegiatarum, & Parochialium affigendum; in quo ſingulis Parochiis pro diebus ſupra indicatis Clericos aſſignet. Ceteris vero

(1) *Trident. ſeſſ.* 23. *de ref. cap.* 11.

(2) *Bened. XIV. Conſt.* Etſi minime 1742. §. ſi vero.

(3) *Innoc. XIII. Conſt.* Apoſtolici *confirmat. a Bened. XIII. Conſt. in* Supremo §. Præterea.

(4) *Lambertin. Inſt.* 42. *num.* 15.

(5) *Trident. ſeſſ.* 23. *de ref. cap.* 16., *& Concil. Rom.* 1725. *tit.* 6. *cap.* 2.

(6) *Trident. loc. mox cit.*

vero feſtis diebus, extra enumeratos, ad Cathedralem omnes accedant, & feſto Parochialis tituli die omnes in ea Parochia degentes Clerici in Eccleſiaſticis miniſteriis (1) Parocho famulentur.

XXII. Si quando aliquis ex noſtra Diœceſi ab alieno Epiſcopo ordinari cupiat, aut ſi exterus a Nobis ordines exquirat, ſciat, nullatenus id ſibi licere, niſi ſervata forma Conſtitutionis Innocentii XII. *Speculatores*, quam integre ſervari mandamus. Noſtri autem Diœceſani ab alieno Epiſcopo cum noſtris dimiſſorialibus litteris ordinati omnino infra menſem teſtimonium ſuſcepti Ordinis in Cancellaria noſtra exhibere teneantur (2) ſub pœna ſuſpenſionis. Neminem ex exteris ad Ordinationem admittemus, ſi dimiſſoriales ſui Ordinarii litteræ amplius tribus ante menſibus fuerint datæ, niſi loci diſtantia aliter ſuaſerit.

XXIII. Circa Regularium Ordinationes inviolabiliter ſervari mandamus, quæ ſuper iis a Sede Apoſtolica ſancita ſunt; nempe, ut promovendi ad Sacrum (3) Subdiaconatus ordinem, expreſſam proprii Superioris fidem de ſolemni profeſſione emiſſa Nobis exhibeant. Nullum admittemus ad ordinem quemcumque, niſi, præter dimiſſorias Superioris ſui litteras, fidem etiam (4) Exercitiorum ſpiritualium peractorum attulerit; neminemque pariter ab interſtitiis a jure ſtatutis diſpenſabimus, niſi ex (5) ejuſdem Superioris atteſtatione Nobis conſtiterit de ſufficienti cauſſa. Clementis PP. VIII. decretum (6) ſub pœnis ibi expreſſis indicimus, ut ſcilicet non valeant Superiores quicumque alteri Epiſcopo dimiſſorias dirigere pro Ordinatione eorum Regularium, qui, in Monaſterio in noſtra Diœceſi exiſtente, de familia commorantur, niſi Nobis abſentibus, aut Ordinationes (7), temporibus ab Eccleſiaſtica lege ſtatutis, non habentibus; cujus quidem abſentiæ teſtimonium a Vicario (8) noſtro Generali, aut a Cancellario eſt in ſcriptis faciendum. Excipimus eos, qui poſt Tridentinum Concilium privilegiis muniuntur, ut a quocumque Catholico Antiſtite, aut extra conſueta (9) Ordinationum tempora promoveri poſſint; modo Nobis indultum Apoſtolicum (10) oſtendant, aut ſpeciale, aut generale, illudque ſit ipſis communicabile; in quibus quidem indultis, aut diſpenſationibus (11) intelligenda ſemper eſt clauſula illa: *ſervata forma Clementis VIII.*

CAPUT

(1) *Syn. Sacchetti pag.* 85.
(2) *Syn. Sacchetti p.* 62., *Syn. Sermatth. p.* 106., *Syn. Albati pag.* 47.
(3) *Concil. Rom.* 1725. *tit.* 21. *cap.* 1.
(4) *Concil. Rom. loc. cit.*
(5) *Lambertin. Inſt.* 23. *n.* 1. *Syn. Albati p.* 46.
(6) *Concil. Rom. citat. cap.* 2.
(7) *Benedict. XIV. Conſt.* Impoſiti 1747., & *infra tit.* 4. *cap.* 5. *num.* 6.
(8) *Syn. Albati pag.* 46., & *Conſt. citat.*
(9) *Conc. Rom.* 1725. *tit.* 5. *cap.* 2. *Lambertin. Inſt.* 23.
(10) *Syn. Albati ibid.*
(11) *Concil. Rom. cit. tit.* 5. *cap.* 1.

CAPUT QUINTUM

De Matrimonii Sacramento.

I. S*Acramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia* (1). Quum magnum Matrimonii Sacramentum, quod in veteri lege nudum erat ſignum, declaret Divinam illam charitatem, qua Chriſtus (2) dilexit Eccleſiam, quæ de latere ejus effluxit eo fere pacto, quo e dormientis (3) Adæ latere coſtam detractam olim Deus ædificavit in mulierem, eamque primo parenti conſortem tradidit, non eſt more gentium animali cupiditate ineundum, ſed in ſanctificatione (4), & honore jungendum. Ex hoc fit, ut pro Paſtorali noſtra ſollicitudine hæc decernenda judicaverimus.

II. Cum ſit per Sacros Canones (5) definitum, ut quorum unum eſt corpus, unus debeat eſſe & animus, ne forte virgo alicui invite copulata contra Domini, Apoſtolique præceptum, aut reatum diſſidii, aut crimen fornicationis incurrat; idcirco libertati Matrimonii conſultum volentes, Parocho ſponſæ præcipimus, ne unquam denunciationes in Eccleſia faciat, niſi prius (6) utriuſque ſponſi ſeorſim voluntatem, ſervatis prudentiæ, ac maturitatis legibus, exploraverit, & conſenſum libere præſtitum audiverit; qua in re indaganda diligentior erit, ubi aliqua metus, aut doli ſuſpicio ſuborta ſit. Si quis vero directe, vel indirecte ſubditos ſuos, vel quoſcumque (7) alios coget, quominus libere Matrimonia contrahant, illico anathematis vinculo eſt innodatus.

III. Eadem occaſione Parochus percontabitur, an contractui ineundo accedat parentum conſenſus, quando ſponſi forent filii familias; & an antea alteruter ex iis cum alia femina, ſeu viro ſponſalia contraxerit. Utroque enim caſu volumus, Nos fieri (8) certiores, ut opportune proſpicere poſſimus gravibus, quæ inde ſolent profluere, malis. Sicuti enim (9) nefas eſt parentibus iniqua tyramnide vim inferre, ubi conſenſus debet plena libertate gaudere; ita etiam contra patriæ poteſtatis jura filius ille delinquit, qui parentibus inconſultis, aut refragantibus nuptias init; & pravos ſemper, ac funeſtos exitus habent nedum invita, ſed etiam exoſa connubia.

IV. Et

---

(1) *Epheſ.* 5. 32.
(2) *Epheſ.* 5. 25.
(3) *Gen.* 2. 22.
(4) 1. *Theſſalonic.* 4. 4.
(5) *Can.* De Neptis 31. *qu.* 2.
(6) *Ritual. Rom. de Sacram. Matr.* §. has autem, *Lambertin. Inſt.* 46. *num.* 17., *Syn. Abbati pag.* 49.
(7) *Trident. ſeſſ.* 24. *de ref. Matr. cap.* 9.
(8) *Lambertin. loc. cit., Syn. Abbati pag. cit.*
(9) *Can.* ſi verum *diſt.* 31. *qu.* 2., & *c.* cum locum *de ſponſal.*

IV. Et quoniam frequentibus hiſce ſecretis Matrimoniorum promiſſionibus, unde ut plurimum damna, jurgia, deceptioneſque proficiſcuntur, haud ſatis, experientia teſte, conſultum fuit per nuperæ (1) Synodi monita, quibus ſuadebatur ſponſalia facienda eſſe in ſcriptis, aut coram teſtibus; Nos ut aliquo opportuniore remedio huic malo occurramus, valida (2) quidem etiam remotis arbitris ſponſalia pronunciamus; attamen, quia ea contra hujus conſtitutionis formam facta ſunt, pœnæ pecuniariæ obnoxia decernimus, hac noſtra lege præcipientes, ut ſi vir, mulierve ad Curiam noſtram accedat petiturus ſponſalium executionem contra reſilientem partem, atque ea ſponſalia aliunde probentur, quam ex Syngrapha ſubſcripta per Parochum, duoſque teſtes, Nos quidem juxta acta, & probata, prout juſtitia ſuggeſſerit, judicabimus; attamen actor pœnam luet quinque aureorum, reus autem conventus duplicatam ſubibit, quam Bibliothecæ utriuſque Cathedralis reſpective applicamus. Quocirca Parochi perſæpe monebunt, valida quidem eſſe clandeſtina ſponſalia; attamen ad proſpiciendum populorum tranquillitati, & tot præcidenda litigia, ſuadebunt, ut hæ promiſſiones fiant ſemper in ſcriptis cum Parochi, teſtiumque præſentia, ſi ſponſi volent præfatam pœnam declinare.

V. Aliæ quoque utilitates derivabuntur, ſi ita obſervetur; nempe inde eveniet, ut Parochus omni cura (3) intendat ad feſtinandas nuptias, ne ſponſi propter incontinentiam tententur, & in laqueos incidant Diaboli. Eveniet etiam, ut aliud malum in Diœceſi noſtra nuper irrepſiſſe cognitum avertatur, ut nempe, ſi quando parentes pro filia impubere Matrimonium deſpondent, Parochus hujus rei conſcius, non permittat ſponſi cum ea familiaritatem, aut cohabitationem, quo liber relinquatur conſenſus ſponſæ ad promiſſionem ratificandam; ne ea familiaritatis conſuetudine propter immaturam ætatem illecta ratificationem emittat, quam poſtea, (4) mutata voluntate, grandior effecta retractet, & inde oriatur inter ipſos diſcordia. Eveniet tandem, ut Parochus non patiatur a genitoribus deſponderi filias, filioſque adultos, non habito eorum conſenſu (5) ſaltem tacito; quibus ſponſionibus non raro propter filialem reverentiam, & quandoque etiam propter gravem metum contradicere non audente alterutro e ſponſis, matrimonia ineuntur, vel prorſus invalida, vel ſaltem exoſa, quæ ſunt diſcordiarum ut plurimum ſeminaria. Difficile (6) eſt enim, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.

VI. Neu-

(1) *Syn. Abbati pag.* 48.
(2) *Bened. XIV. de Syn. lib.*7. *cap.*68. *num.*1.
(3) *S. C. C. ap. Fagnan. in c.* is qui fidem *de ſponſal.*
(4) *Gl. in c.* ubi non *de deſponſat. impub.*
(5) *C. un. de deſponſat. impub. in* 6. §. Porro.
(6) *Can.* Principatus *cauſ.* 1. *qu.* 1.

VI. Neuter e ſponſis a ſponſalibus reſilire poteſt, niſi juſta ex cauſſa. Cum autem inter has cauſſas reſiliendi enumeretur abſceſſus alterutrius in longinquas partes, ad monitionem (1) partis præſentis certum abſenti terminum ad redeundum aſſignabimus, quo elapſo, ſi non redierit, libere poſſit pars præſens alias nuptias inire. Sin autem ſecunda, tertiave ſponſalia quis auſus fuerit celebrare, niſi prius rationabilis afferatur cauſa recedendi a prioribus, vel niſi priora mutuo ſint conſenſu diſſoluta, pœnam pecuniariam ſubibit (2) juxta qualitatem perſonæ arbitrio noſtro imponendam, & eidem Bibliothecæ applicandam.

VII. Præmittet etiam Parochus denunciationibus faciendis diligens examen ſuper legitima contrahentium ætate; ut nempe vir ſaltem decimum quartum, mulier vero duodecimum annum (3) expleverit; tum an uterque eo anno Paſchalis Communionis præcepto ſatisfecerit; an ſumma, & eſſentialia capita Doctrinæ Chriſtianæ, ut ſupra (4) præmonuimus, probe, ſatiſque teneat uterque ad erudiendos liberos, quos ſuſceperint; an aliquod inter eos adſit propinquitatis vinculum, aut Canonicum impedimentum, ſuper quo ſi Apoſtolicam diſpenſationem ſibi conceſſam, Nobiſque commiſſam exhibuerint, ab earum executione abſtineat Parochus, niſi prius in Curia noſtra, ſervato juris ordine, de precum veritate conſtiterit; præcipue vero exquiret, an alter e ſponſis vagus, aut peregrinus ſit, vel incertas habeat ſedes, vel ſi exterus exiſtat; in iſtis enim caſibus ad denunciationes ſub ſuſpenſionis pœna (5) nunquam deveniet, niſi prius, ſervata Sacræ Inquiſitionis inſtructione, probatus fuerit in Curia noſtra eorundem contrahentium ſtatus liber, & acceſſerit Vicarii noſtri Generalis in ſcriptis licentia.

VIII. Dudum in hac noſtra Diœceſi immemorabilis conſuetudo per cunctas fere Synodos confirmata inoleverat, jungendi abſque ulla liberi ſtatus probatione matrimonia inter indigenas, aut cives, qui poſt nubilem ætatem alio non commigrarant. Cum vero hanc praxim non ubique locorum ſervari Nobis innoteſceret, ſacræ Inquiſitionis Congregationem fideliter monendam, & conſulendam duximus, poſtulantes, ut, niſi ea probaretur, legem nedum Diœceſi noſtræ, ſed & aliis eidem praxi inſiſtentibus indiceret; reſponſumque accepimus litteris ad Nos datis XVIII. proxime elapſi Septembris, SS. D. N. Clementem XIII. anno proxime præterito in Congrega-

(1) *Lambertin. Inſt.* 46. *a num.* 2., *Syn. Abbati pag.* 48.
(2) *Syn. Abbati pag.* 48.
(3) C. ubi non eſt *de deſponſat. impub.*
(4) *Tit.* 1. *cap.* 1. *num.* 3.
(5) *Trident. ſeſſ.* 24. *de ref. Matrim. cap.* 7., *Inſtruct. Sac. Inquiſit.* 21. *Aug.* 1670.

gregatione coram ſe habita ſanxiſſe, etiam in civium, indigenarumque Matrimoniis præfatam ſtatus liberi probationem præmitti oportere. Proinde comminata in Parochos contra facientes eadem ſuſpenſionis pœna ſtatuimus, nullum deinceps Matrimonium abſque Curiæ noſtræ ſuper libero contrahentium ſtatu atteſtatione, ſervata ejuſdem Sacræ Congregat. Inſtructione, eſſe proclamandum.

IX. Examen hoc teſtium ad probandum eumdem liberum ſtatum, in Matrimoniis pauperum per Diœceſim, conficiendum committemus etiam per Vicarios foraneos, ea ſemper Inſtructione ſervata; præcipientes, ut tam ipſi Vicarii, quam Cancellarii ſub pœna remotionis ab officio, aliiſque arbitrariis, nihil omnino exigant (1) a pauperibus, etiam pro ſcriptura. Quoad non pauperum matrimonia permittimus ſolis Cancellariis exigere decimam dumtaxat unius aurei partem pro quolibet teſte; quos teſtes, ſi poterunt de utriuſque ſponſi ſtatu teſtimonium ferre, nolumus multiplicandos ad evitandas expenſas; ſin autem teſtis, qui teſtimonium fert pro alterutro, dicat, ſe nihil ſcire quoad alterum, tunc ſolum aſſumantur alii teſtes pro altero ſponſo, ſervata ſemper taxa ſupradicta julii unius in quemlibet teſtem; alias Cancellarius pœnam præfatam remotionis, aliaſque arbitrio noſtro non declinabit.

X. Secreta colloquia, viſitationes frequentes, aut nocturnas, & multo magis cohabitationem ſponſorum diſtricte prohibemus. In modeſtæ urbanitatis officium ad modicum tempus (2) converſari permittimus, at non ultra tres vices, habita ſemper Parochi licentia, & parentibus ſponſæ, aut duobus conſanguineis ſemper præſentibus. Si ſecus fiat, Parochus illico proclamationes intermittat, reque ad Nos delata, ſponſus pœna librarum ſex ceræ albæ Parochiali Eccleſiæ illico exſolvenda (3) multabitur. Eamdem pœnam in ipſius Eccleſiæ beneficium tam ſponſus, quam ſponſa luent, ſi ludos, choreas, alioſque id generis congreſſus habebunt die, vel nocte præcedente celebrationem Matrimonii; quo caſu eveniente, Parochus quidem Matrimonium ne differat ad evitanda majoris mali pericula; at ſtatim re ad Nos delata, ac per duos teſtes probata, duodecim ceræ libras conſequetur, ad favorem Eccleſiæ, intra cujus Parochiæ fines hæc, quæ reprobavimus, deteſtabilia oblectamenta peragentur. Sin autem ſponſi eo effrænatæ cupiditatis devenerint, ut rem ſimul habuerint ante Matrimonii celebra-

(1) *Encycl. Sac. Inquiſit.* 13. *Jul.* 1630., *&* 31. *Oct.* 1691.

(2) *S. C. Ep. in Tranen.* 25. *Oct.* 1588., *in Caven.* 26. *Aug.* 1590., *& alias ap. Nicol. in Floſc. V.* Sponſalia *num.* 2.

(3) *S. C. Ep. in Hieracen.* 20. *Apr.* 1587. *ap. eumd. V.* Matrimonium *n.*8., *Syn. Sublacen.* 1674. *h. tit. num.* 10.

lebrationem, præter (1) excommunicationis ſententiam Nobis reſervatam, quam ipſo facto incurrant, decem aureorum multam in Parochiæ pauperes diſtribuendam, aut Parochialis ejuſdem Eccleſiæ beneficio applicandam ſubibunt.

XI. In utraque ſponſi ſimul, ac ſponſæ Parochia proclamationes habeantur inter Miſſarum ſolemnia tribus continuis feſtis diebus, non tamen immediatis. Moneant Parochi, unumquemque teneri ſub excommunicatione latæ ſententiæ Nobis reſervata revelare, extra Sacramentalis Confeſſionis ſigillum, impedimentum, vel impedimenta Canonica, ſi quæ ſubſint; eademque cenſura illico obſtringi præter falſi pœnas eum, qui falſum aliquod impedimentum malitioſe (2) detulerit, ob differendum, vel pervertendum Matrimonium. Eam ob rem, ut populus ſciat, quænam ſint Canonica impedimenta, Parochi bis in anno, videlicet cum ſolemnes Nuptiæ aperiuntur, die Epiphaniæ, & Dominica in Albis, ea, quæ Matrimonium illicitum, aut irritum faciunt, ſervatis modeſtiæ legibus, doceant, & explanent. Si quod Parocho deferatur impedimentum, illico proclamationes intermittat, ac revelatum (3) ipſemet Parochus Nobis, aut Vicario noſtro aperiat, & mentem noſtram expectet. Si ultra duos a factis denunciationibus menſes Matrimonium differatur, eas mandamus repetendas, niſi aliud Nobis expediens videatur.

XII. Poſtero ſaltem die ab expletis denunciationibus, pro quibus nihil omnino exigi poſſit præter decimam (4) unius aurei partem pro teſtimonialis conſcriptione, Parochus ſponſæ, habito a ſponſi Parocho ſimilium proclamationum factarum, nulliuſque delati impedimenti teſtimonio, matutinis horis, atque orto jam ſole, in propria Eccleſia coram duobus ſaltem teſtibus contrahentes conjungat, iiſque non niſi inter Miſſarum ſolemnia (5) Benedictionem ſacerdotalem ex ritu præſcripto impertiatur; quæ tamen benedictio (6) temporibus vetitis, & in viduarum dumtaxat nuptiis eſt omittenda. Valida quidem ſunt matrimonia, ſi etiam (7) coram viri Parocho ineantur; attamen, tum ut fœminei ſexus (8) verecundiæ conſulatur, tum ut ſervetur antiquiſſima hujus (9) Diœceſeos conſuetudo, quæ non ſine contentionibus, & ſcandalo violaretur, expreſſe præcipimus, ut Matrimoniis

(1) *Lambertin. Inſt.* 46. *a num.* 18., *& cit. Syn. Sublacen. loc. cit.*

(2) *Syn.* 1. *Muti pag.*79., *Syn.* 1. *Brancat. p.*15., *Syn. Sacchetti p.* 65., *Syn. Sermatth. p.*112., *Syn. Abbati pag.*50.

(3) C. Cum inhibitio *de clandeſtin. deſponſat.*

(4) *S.C.Ep. in S.Severin.*Emolument. 6.*Aug.* 1700.

(5) *S. C. C. in Piſauren.* 13. *Jul.* 1630.

(6) *Can.* non oportet, *& ſeqq. cauſ.* 33. *qu.* 4. *& Lambertin. Inſt.* 80. *num.*7.

(7) *Trident. ſeſſ.* 24. *de ref. Matr. cap.* 1., *& S.C.C. ap. Lambertin. Inſt.* 33. *num.* 5.

(8) *Can.* nec illud *cauſ.* 30. *qu.* 5.

(9) *Syn.* 1. *Muti pag.* 80., *Syn.* 1. *Brancat. pag.*16., *Syn. Abbati pag.*49.

ſemper aſſiſtat ſponſæ Parochus, qui (1) per ſe ipſum, niſi legitima, graviſſimaque cauſſa impediatur, munus hoc Matrimonia celebrandi, ac ſponſos benedicendi obire tenetur. Qui ſecus fecerit, Nobiſque inconſultis præfatam conſuetudinem violaverit, multam ſubeat quinque aureorum Parochiali ſponſæ Eccleſiæ, cui injuriam fecit, applicandam.

XIII. Statim poſt celebratum Matrimonium, nomina, & cognomina conjugum, & teſtium, diemque, ac locum Matrimonii contracti Parochus deſcribat in libro ad hoc compacto, propria manu, & charactere juxta formam conſuetam. Si quando, prævia (2) dumtaxat noſtra licentia, Matrimonia celebrabuntur vetitis Adventus, & Quadrageſimæ temporibus, nedum Miſſa pro ſponſo, ſolemniſque Benedictio omittetur; ſed monebunt Parochi, abſtinendum etiam a conviviis, choreis, cantibus, & publica (3) traductione ſponſæ in ſponſi domum cum plauſu, comitatu, & ſtrepitu; ſub gravibus pecuniariis multis arbitrio noſtro imponendis, & Parochialis Eccleſiæ, ubi delinqui contigerit, beneficio applicandis.

XIV. Etſi ratum matrimonium a quolibet ex conjugibus diſſolvi poſſit, ſi intra (4) bimeſtre Religioſum ſtatum eligat, & ſolemniter profiteatur; attamen ſi conſummatum ſit, neque perpetuo, neque ad tempus poteſt alter ſe ab altero ſeparare Nobis inſciis, cum divortium Eccleſiæ judicio (5) reſervetur. Quos igitur Parochus noverit illicite ſine Eccleſiaſtica auctoritate publice ſeparatos, ſi moniti detrectaverint in conjugalem ſocietatem redire, arceat a Sacramentis, Nobiſque, vel Vicario noſtro rem deferat, ut opportunis occurramus remediis. Si quæſtio agitetur ſuper Matrimonii validitate, ea nullatenus expediatur, niſi illo adhibito, & in omnibus Actis (6) audito, quem *Matrimoniorum Defenſorem* nominabimus, & eligemus; alias acta omnia nulla, irrita, & caſſa ſunt. De Matrimoniis conſcientiæ, (7) ad amuſſim ſervanda mandamus, quæ in Superiore Synodo juxta S. M. Benedicti XIV. conſtitutionem ſunt ſtabilita.

XV. Ea potiſſimum conjugibus inculcabunt Parochi, mutuum inter ſe amorem, ac liberorum curam. Viro ſit (8) uxor ſua, non uti ſerva, & ancilla, ſed uti ſocia peregrinationis hujus ſeculi indiſſolubili nodo conjuncta: Uxori amandus vir eſt, & timendus, eique ſciat ſe ſubditam eſſe oportere, ut Apoſtolus monet, cum omni reverentia. Præcipue autem utrique invicem tenentur fidem ſervare, & liberorum, quos ſuſceperint, bonam mentem

(1) *Bened. XIV. Conſt.* Nimiam §. 9. 1743.

(2) *S. C. C. 10. Jun. 1684. ap. Lambertin. Inſt. 80. num. 21.*

(3) *Lambertin. Inſt. 80. a num. 15.*

(4) C. verum c. ex publico c. ex parte *de converſ. conjug. Trident. can. 6. de Matrim.*

(5) C. Porro *de divort. Trid. can. 8. de Matrim.*

(6) *Bened. XIV. Conſt.* Dei miſeratione 1741.

(7) *Syn. Abbati par. 2. tit. 9.*

(8) *Syn. 1. Muti pag.* 81.

tem potius, quam ingentem fortunam ſollicite curare. A prima ætate tum bonis exemplis, tum viva voce docebunt filios timere Deum, & abſtinere a peccato. Fidei noſtræ rudimenta, & Euangelica mandata præmature eis inſinuent; doceantque, pluſquam humanas artes, ſcientiam Sanctorum, qua adoleſcant uſque ad virum perfectum in pietate, & juſtitia. Huc refe-rimus, perſuaſum eſſe debere Matribus omnibus, ut citra grave incommodum non detrectent proprio lacte nutrire natos ſuos. Non erubeſcat fieri nutrix, quæ facta eſt mater; cogitetque eo pietatis officio, quod feræ ipſæ exercent, non denigrari nobilitatis ſplendorem; cum antiquæ, eæque ſanctæ, ac nobiles Matres (1) ſuis uberibus filios lactarint, uti Sara Iſaac, Rebecca Jacob, Anna Samuelem, ac ipſa Dei Genitrix Sanctiſſima Virgo Maria filium ſuum Chriſtum Dominum.

XVI. Superioris (2) Synodi decretum renovantes, pœnas ibi propoſitas comminamur in eos, qui neglectis proclamationibus, furtive coram Parocho, & teſtibus matrimonium ineunt per verba de præſenti. Si Parochus non prorſus invitus, aut inſcius adſtiterit, ſuſpenſionem ad triennium (3) incurret, & aureorum duodecim pœna multabitur. Contrahentes vero, ac teſtes ſcienter præſentes ſint (4) ipſo facto excommunicati; ac præterea multam ſolvent, contrahentes (5) quidem triginta aureorum, teſtes autem decem; quas multas hujus noſtræ Cathedralis Bibliothecæ beneficio applicamus. Si quis furtivis his nuptiis auxilium, vel conſilium præſtiterit, ſive vir ſit, ſive mulier, carcere punietur. Ipſimet ſponſi, qui ſic contraxerunt, illico ſeparentur, & non niſi tribus de more peractis publicationibus, ſi nihil obſtiterit, erunt conjungendi.

CAPUT SEXTUM

De Sacramentalibus, Sacris Reliquiis, & Imaginibus.

I. A*rma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia* (6) *Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei.* Præter novæ Legis Sacramenta, aliis etiam armis in ſpirituali militia inſtruimur ad diabolica machinamen-

(1) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *c.*58. *num.*11.

(2) *Syn. Abbati pag.* 50., *& S. C. C. in Placentin.* 3. *Febr.* 1725.

(3) C. cum inhibitio *de clandeſtin. deſponſat.*, *& Bened. XIV. de Syn. lib.*7. *c.*69. *num.*2.

(4) *Id. Bened. XIV. l. c.*, *& c.* 68. *num.* 4.

(5) *S. C. C.* 10. *Febr.* 1629. *ap. Ferraris in Biblioth. edit. Rom. M. pag.* 29. *col.*2.

(6) 2. *Cor.* 10. 4.

menta evertenda; inter quæ præcipuum obtinent locum Sacramentalia, & Sanctorum patrocinia; ideo de his etiam aliqua per Nos ſunt diſſerenda.

II. Ac primo quidem inter Sacramentalia, quibus (1) ex opere operato, ut ajunt, peccata venialia expiantur, *in quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum, ac reverentiæ in Deum*, inquit (2) Angelicus Doctor, præcipua eſt Oratio Dominica; quam præ ceteris precibus explanare, ac commendare fidelibus curent Parochi. Ea eſt enim a Jesu Chriſto tradita; adeoque vim maximam habet impetrandi, & nobis Deo humiliter ingemiſcentibus amorem, fiduciamque (3) conciliat. Tum aquæ benedictæ pium uſum promoveant; & ipſi, ante parochialem Miſſam Dominicis diebus, vetuſtiſſimum (4) ritum adſpergendi Clerum, & populum ſub quovis prætextu neutiquam omittant, juxta formam in calce Miſſalis præſcriptam; alias in negligentes ſevere animadvertemus. In Collegiatis autem non Parochiali, ſed ſollemni Miſſæ ea aſperſio præponatur.

III. His accedit (5) Benedictio Epiſcopalis, ad quam, ſi ſollemniter impertiatur, genua flectenda eſſe mandamus etiam a Magiſtratu (6) Civitatum, exceptis dumtaxat (7) Canonicis, aliiſve, qui ex probata conſuetudine caput, & humeros profunde inclinant. Ea eſt enim Divinæ Benedictionis adprecatio, quam ſi Deus in veteri Lege ſe exauditurum promiſit, quum a Pontificibus, & Sacerdotibus ſuper filios Iſrael nomen ejus invocabatur (8), multo magis id in nova, in qua Apoſtolis ſuis, eorumque ſucceſſoribus ampliorem contulit dignitatem, & poteſtatem. Cereorum quoque, ac cinerum, & ramorum ex Olivis benedictorum, uſum, vim, ac cultum Parochi explanabunt, juxta ſenſum precum, quæ in iis benedictionibus ex ritu Eccleſiæ adhibentur; eorumque omnium diſtributionem ſtatutis ab Eccleſia temporibus faciendam (9) jubemus. Panis quoque benedictionem, ac diſtributionem in aliquo noſtræ Diœceſis oppido fieri conſuetam permittimus. Attamen mandamus diſtribui tantum peracta Miſſa, & in Sacrario, ne videlicet ob populi tumultum ulla Eccleſiæ irreverentia irrogetur: ſi ſecus fiat, diſtributores pecuniariam arbitrio noſtro luent pœnam.

IV. Alias etiam benedictiones ciborum, agrorum, animalium, aliorumque id genus apprime commendamus pro veteri Eccleſiæ more. At caveant

(1) *Trident. ſeſſ.* 14. *c.* 5. *da Pœnit., can.* Aquam ſale *diſt.* 3. *de conſecr.*
(2) *D. Thom.* 3. *par. qu.* 87. *art.* 3.
(3) *Catech. Rom. par.* 4. *c.* 9. *ſect.* 1. *num.* 1.
(4) *Cit. can.* aquam.
(5) *Gl. in Proem.* 6. *Decretal. V.* Benedictionem.
(6) *S.R.C.* 21. *Mar.* 1676. *in Ferentin.*
(7) *S. C. R. in Neritonen.* 11. *Jul.* 1739. *Ead. in Viterbien.* 23. *Mart.* 1669. *in noſtro Actuar. Eccl. an.* 1704. *fol.* 209.
(8) *Numer.* 6. 27.
(9) *S. C. E. pluries ap. Nicol. in Floſc. V.* Candelæ, *& Syn. Montilj p.* 157., *v. app. N.* 15.

veant Sacerdotes, ne aliis precibus utantur, quam quæ in Rituali Romano ab Eccleſia approbatæ exhibentur. Quod ſi ad rem, cui benedictio impertienda eſt, non forent in eodem Rituali preces appoſitæ, eæ non temere, & pro Sacerdotum inferiorum libito ex aliis, atque aliis non probatis Auctoribus erunt hauriendæ, ſed ſaltem (1) per Epiſcopos probandæ. Et quoniam ad animalium benedictionem, atque ad repellendam murium, locuſtarum, bruchorum, aliorumque noxiorum vermium infeſtationem nulla in eodem Rituali adeſt expreſſa formula, Nos eam, quam S. M. Benedictus XIII., & Card. Lambertini Archiepiſcopus Bononienſis, poſtea Benedictus XIV. publici juris fecerunt, in Calce Synodi damus Num. XI., præcipientes omnibus, ut non aliis formulis uti poſſint.

V. Non prætereundus hic cerarum a Summo Pontifice benedictarum uſus, quibus a figura Agni ſuper impreſſi *Agnus Dei* nomen ineſt. Harum cerarum etiam virtutem non parvam aliquando explanabunt Parochi pro fidelium utilitate, quam ex probatiſſimis (2) auctoribus accipient, videlicet contra fulgura, fulmina, grandinem, incendia, tempeſtates, ventos, imbres, ac præcipue (3) contra Dæmones, & ad venialium remiſſionem. Eas autem ceras inaurari, pingi, minio infici, aut venales haberi, ſub latæ ſententiæ excomunicatione (4), prohibitum eſſe monebunt.

VI. Aliquando etiam Parochi populum inſtruent de cultu Reliquiis Sanctorum debito, quorum patrocinio, atque apud Deum interceſſione repenſa ſunt invocantibus ingentia divinitus beneficia. Longe aliter ac Divinum Numen adorari a Catholicis ſacras Reliquias docebunt. Non iis ſacris pignoribus noſtra adhæret fides, & ſpes, ſed ad Deum refertur; Martyrum enim Reliquias colimus, & honoramus, ut eum, cujus ſunt Martyres, adoremus; utque honor, quem Dei ſervis exhibemus, ad ipſum Dominum, Deumque redundet. Qui quidem cultus, licet in ipſas Sanctorum animas in Cœlo regnantes dirigatur, aliqua tamen ex parte debetur ipſis corporibus, quæ uti animabus ad bene operandum inſtrumento fuerunt, ita gloriæ cœleſtis erunt tandem conſortia.

VII. Nullas autem Reliquias exponi publicæ Fidelium venerationi permittimus, etiam (5) in Eccleſiis exemptis, niſi per Nos, aut Prædeceſſores noſtros recognitas, & approbatas. Ubi autem novæ Reliquiæ detegantur, Nos (6), adhibitis in conſilium Theologis, ea faciemus, quæ veritati,

(1) *Lambertini Inſt. 47. n. 18.*

(2) *Durand. in Ration. lib. 6. cap. 79., Delrius lib. 6. Diſq. cap. 2. ſect. 3. qu. 3. Baldaſſar. Opuſc. de Pontific. Agn. c. 7., & ſeqq.*

(3) *Ex Oration. Benediction. relat. a cit. Baldaſſar. cap. 12.*

(4) *Greg. XIII. Conſt.* Omni certe 1572.

(5) *Trident. ſeſſ. 25. De invocat., venerat. &c.*

(6) *Trident. loc. cit.*

tati, & pietati conſentanea judicabimus. Quæ ab aliis exteris Epiſcopis recognitæ, & probatæ in Diœceſim noſtram advehentur, eas nemini liceat in Eccleſiis, vel Oratoriis exponere, niſi a Nobis, vel Vicario noſtro Generali iterum recognitæ ſcripto jubeantur (1) exponi, etiam in Eccleſiis exemptis. Exponantur autem (2) cum duobus ſaltem luminibus ſemper ardentibus; nunquam autem (3) ſuper altari, in quo Sanctiſſimum Sacramentum publicæ venerationi eſt expoſitum. Si Reliquia non ſit inſignis, non eſt alterandum officium, ſed recitandum (4) prout in Breviario Romano. Si vero inſignis ſit, poterit de eo ſancto Officium cum Miſſa celebrari, dummodo tamen conſtet de identitate, & reperiatur (5) in Martyrologio Romano deſcriptus; ſecus neque Miſſa, neque Officium recitari poſſunt, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtitutione S. Pii V. contentis.

VIII. Licet minores Reliquiæ poſſint in privatis domibus religioſe aſſervari, grandiores tamen, & inſignes, atque integra Sanctorum Corpora in Eccleſiis, vel Sacrariis collocanda ſunt, & cuſtodienda; hinc eas etiam intra Monialium ſepta retineri (6) vetuit Sac. Epiſcoporum Congregatio. Detineantur autem in Armario foribus, & clavibus ſaltem duabus munito, quarum una ſit penes Eccleſiæ Rectores, alia penes alium a Nobis deſtinandum, niſi, ex conſuetudine, una ex illis ſervanda ſit (7) apud Magiſtratum ſecularem, alia ſemper Rectori, ſeu Parocho relicta. Ex eo autem armario extrahi, & ad privatas Domos aſportari, etiam prætextu tangendi, ac obſignandi infirmos (8), vetamus, niſi habita a Nobis, vel a Vicario noſtro facultate; & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ eas decerpere, ſibique attribuere, aut aliis donare, vel ſimoniace (9) vendere prohibemus.

IX. Sacras Imagines Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum colendas profitetur Eccleſia, non quod aliqua (10) divinitas, aut virtus illis credatur ineſſe, vel quod fiducia ſit in imaginibus figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in Idolis ſpem collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur,

(1) *Xyſt. V. Conſt.* 88. Dominus, & *S. C. R.* 19. *Oct.* 1691., & *in Viterbien.* 26. *Jun.* 1627. *ap. Ferrar. in Biblioth. v.* Veneratio &c. *num.* 55.
(2) *S. R. C.* 22. *Jan.* 1701.
(3) *S. R. C. in Aquen.* 2. *Sept.* 1741.
(4) *S.R.C. in Viterbien.* 1. *Septemb.* 1612. *ap. Ferrar. l. c. num.* 75.
(5) *S. R. C. approbante Innoc. XII.* 19. *Oct.* 1691.
(6) *S. C. Ep. in Faventin.* 7. *Mar.* 1617.
(7) *S.R.C.* 8. *Maii* 1604. *in Lecteren.*, *S.C.Ep. in Civ. Caſtell.* 6. *Apr.* 1696., *Syn.* 1. *Muti pag.* 14., *Syn. Sermatth. pag.* 22.
(8) *C.* cum ex eo *de Reliq.*, *Syn.* 1. *Muti p.* 14., *Syn. Sacchetti pag.* 18., *Syn. Sermatth. p.* 21., *Syn. Abbati pag.* 8.
(9) *Ex Lezan. tom.* 3. *v.* alienatio *num.* 14.
(10) *Trident. ſeſſ.* 25. *l. c.*

betur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant. Eas autem procaci (1) venuſtate depictas, aut ornatas vetuit Eccleſia, nihilque indecorum, vel profanum habitu, vultu, ac toto Corporis ſtatu in eis adhibeatur. Etiam in Eccleſiis exemptis nulla inſolita collocetur imago, quæ a Nobis probata non fuerit, præſertim SS. Trinitatis, quam non niſi juxta veterem, & probatam fidelium conſuetudinem (2) pingi poſſe juſſit S. M. Benedictus XIV.; quinimmo decreto, & exemplo (3) S. M. Urbani VIII. comburi mandamus picturas omnes exhibentes eamdem SS. Trinitatem ſub ſpecie hominis triplici facie inſtructi cum tribus buccis, tribus naſis, & quatuor oculis (4), & ſi quæ aliæ inveniantur ſimiles.

X. Nemini liceat Sanctæ Crucis ſignum, aliaſque ſacras figuras pingere, aut ſculpere humi, ubi incedentium pedibus proterantur, vel in ſordidis, aut humilibus locis, aut ſordium periculo (5) expoſitis, &, ſi effictæ jam ſint, prorſus deleantur, & removeantur. Prohibemus etiam appendi eas cauponis pro inſignibus, atque ubi appoſitæ ſunt, omnino tollantur; alioquin graviſſimis pœnis hanc Sanctis irrogatam injuriam ulciſcemur. Intra Eccleſiam autem, aut etiam in ejus ambitu, vel porticibus, ratione feſti ſollemniter celebrandi, aut cauſa Proceſſionis habendæ ne exponantur in propatulo tabulæ, quæ indecorum, procax, ridiculum, aut profanum aliquid (6) exhibeant ſub pœna duorum aureorum, & amiſſionis picturarum ſic expoſitarum.

XI. Si quandoque per ſacras Reliquias, aut Sanctorum imagines dignetur Deus ſua divina miſeratione nova edere miracula, Vicarii foranei, ceterique Eccleſiarum Rectores illa diligenter notent, at non evulgent, Nobis inconſultis; qui ſimul atque de iis aliquid comperti habuerimus, adhibebimus in conſilium Theologos, & alios pios viros, ut juxta Tridentini monita (7), rem geramus. Interim cohibeatur Populus, noſtrumque judicium expectetur.

(1) *Trident. l. c.*
(2) *Bened. XIV. Conſt.* Sollicitudini 1745.
(3) *Urban. VIII.* 11. *Aug.* 1628. *relat. in dict. Conſt. num.* 28.
(4) *Ap. Nicol. in Floſc. v.* Imago *num.* 7. *Id. Urban. VIII. Conſt.* 15. *Mar.* 1642.
(5) *S. C. Ep. in Venet.* 22. *Mar.* 1596. *ap. Nicol. l. c. n.* 2. *Lambertin. Inſt.* 73., *Syn.* 1. *Muti pag.* 15., *Syn. Sermatth. pag.* 18., *Syn. Abbati pag.* 9.
(6) *Syn.* 4. *Brancat. pag.* 8., *Syn.* 5. *ejuſd. p.* 13., *Syn. Sacchetti pag.* 19., *Syn. Sermatth. p.* 19.
(7) *Trident. loc. cit.*

TITULUS TERTIUS

De Cultu Dei, & Sacrorum diſciplina.

CAPUT PRIMUM

De Feſtorum obſervatione.

SAbbatum Domini Dei tui eſt; *non* (1) *facies opus in eo. Requies Sabbati* (2) *ſanctificata eſt Domino*. Dominicos dies, qui in Judaicorum Sabbatorum locum ſuffecti ſunt, alioſque feſtos in honorem Deiparæ, Apoſtolorum, aliorumque Beatorum Cœlitum ab Eccleſia ſacratos, religioſe, ac ſancte eſſe tranſigendos, Divino, ac ſæpe repetito præcepto, tam in veteris, quam in novi Teſtamenti paginis arctiſſime mandatur; cujus quidem præcepti duplex eſt vis (3), ut nempe a ſuis operibus homines vacent, utque ad opera ad Dei ſervitutem pertinentia incumbatur, quibus in Dei cultum vere ſanctificentur (4) hi dies.

I. Cum autem præceptum hoc (proh dolor!) minimam in Civitatibus, ac Diœceſi noſtris obſervantiam obtineat, & cum ſatis vereri poſſimus, ne hac tranſeuntes inimici Chriſtiani nominis videant, & derideant (5) ſabbata noſtra, huc potiſſimum totius noſtræ ſollicitudinis Paſtoralis zelum, ac robur conferimus, ut prorſus irreligioſa hæc, deteſtabilis, impia, ac ſacrilega inobſervantia e medio tollatur. Parochos adjutores ad hanc vigilantiam compellamus, & hortamur, ut totis viribus in deteſtabiles abuſus invehantur. Monitis addant e Sacris Scripturis decerptas Divinæ vindictæ comminationes. Idipſum præſtent Concionatores, & Confeſſarii, qui haud ſe

(1) *Exod.* 20. 9.
(2) *Exod.* 18. 26.
(3) *Serm.* 251. *inter Opera D. Auguſt.*
(4) *Iſidor. lib.*2. *de Eccleſ.Off. c.*24.
(5) *Thren.* 1. 7.

ſe faciles præbeant ad abſolvendos eos, qui frequentiores ſunt in publica hujus præcepti tranſgreſſione, quæ aliis ſcandalum ingerat; niſi per manifeſta contritionis indicia, gravique ipſis impoſita pœnitentia, probabili conjectura emendationem ſperent. Præ ceteris autem acriores ſint in Dominos, patreſque familias, qui juſſu, conſenſu, vel oſcitantia in cauſſa ſunt, ut famuli, filiique ſacrilegæ huic impietati aſſueſcant.

II. Præſides etiam, ac Magiſtratus ſeculares obſecramus, & in Domino hortamur, ut quoniam delictum hoc (Clericis exceptis) tanquam (1) mixti fori ad eos etiam puniendum ſpectat, manum Nobis adjutricem porrigant, atque a ſuæ Curiæ ſatellitibus hæc, quæ ſancire nobis viſum eſt, decreta, ac pœnas executioni debitæ mandari jubeant.

III. Atque ut a primoribus locorum perſonis ordiamur, cum delatum Nobis fuerit in aliquibus hujus Diœceſeos Curiis feſto die quandoque judicia agitari, Nos ſacrorum (2) Canonum diſciplinam inculcantes, placita omnia, omnemque judicialem ſtrepitum prohibemus. Hinc, quamvis partes conſentiant, neque citationi, neque cauſæ cognitioni, neque ſententiæ locus eo die eſſe poteſt. Si autem judices cujuſcumque fori jus dicere, aut Notarii publica Inſtrumenta conficere, vel juramenta excipere non dubitaverint, ſciant hujuſmodi Acta omnia irrita eſſe, ac nullius roboris, & momenti, niſi ad illa vel ſuaderet pietas, vel neceſſitas urgeret. Proinde (3) exceptis cauſis ſpiritualibus, & miſerabilium perſonarum, aut ſi de rebus agatur, quæ, ſi differantur, ſint perituræ, reliquos omnes actus, & cauſas prorſus interdicimus, judicum conſcientiam onerantes, quam ſperamus in hoc religioſam fore.

IV. Sequuntur mercatus, & nundinæ; circa quos nihil eſt, quod addamus Conſtitutioni jam emanatæ (4) a S. M. Benedicto XIV., cujus ſumma eſt, ut diebus feſtis mercatus ne fiant, qui, ſi (5) aliquo hebdomadæ die determinato iniri ſoleant, transferantur in diem præcedentem, quotieſcumque dies determinatus fuerit feſtus, quacumque in contrarium conſuetudine non obſtante. Nundinas autem quotannis haberi conſuetas tolerandas eſſe etiam diebus feſtis ſanxit, modo quibuſdam matutinis, & veſpertinis horis Officinæ claudantur, nec (6) publica exerceantur commercia; ut, qui ad nundinas confluxerunt, Miſſæ Sacrificio, & divinis Officiis interſint, aliiſque Chriſtianis operibus feſtum ſanctificent. Id optime præſtitiſſe Prædeceſſores noſtros cognovimus per Edictum, quod ſuper celebribus

(1) *Lambertin. Inſt.* 43. *num.* 9.
(2) C. omnes, c. conqueſtus *de Feriis*.
(3) *Fagnan. in cit. c.* conqueſtus *de Feriis*.
(4) *Bened. XIV. Conſt.* Ab eo tempore 1745.
(5) *Cit. Conſt.* §. 23.
(6) *Cit. Conſt.* §. 29., & 30.

tribus ad Beatæ Mariæ ſupra Quercum nundinis bis in annum fieri conſuetis publicarunt; quod & Nos perpetuo publicari, & obſervari, ſub pœnis ibidem contentis, hac legis ſanctione ſtatuimus. Ad eum modum nundinas per noſtram Diœceſim permittimus, ſi quo in loco celebrentur, & Pontificiæ hujus Conſtitutionis Vicarii foranei integram obſervantiam curabunt.

V. His ſuccedunt opera ſervilia, inter quæ ſub infraſcriptis (1) pœnis prohibemus omne opus ruſticum in agro exercendum, & vecturas animalium cum ſarcinis tritici, uvæ, vini, olivarum, cannabis, aut lini. Excipimus dumtaxat eos, qui iter die non feſto inchoatum proſequuntur. Vetamus item diebus feſtis pannos, aut lintea ablui, aut ſiccanda palam exponi, ſues mactari, ſalſamenta confici, cannabem recidi, linum evelli, vel in piſcinis maceranda ea collocari, aut uvas decerpi ex vitibus, & in congiis reponi, etiamſi poſtero die ad urbem eſſent advehendæ. Morem hunc, quem vocant *andare a far le ſome*, tanquam abuſum, & corruptelam die feſto reprobantes, omnino eliminari mandamus indicta peculiari pœna trium aureorum in vineæ, ſeu prædii Dominos; duorum aureorum in Agaſones, qui congia ad vineas adſportabunt; & unius aurei, vel carceris in ſingulas mulierculas, quæ gregatim, ut aſſolent, ad illud ſervile opus exercendum, nullo Religionis ſenſu abſterritæ publico cum ſcandalo in arva egrediuntur.

VI. Quoad officinas, in quibus medicamenta (2) venduntur, aut panis, eas permittimus detineri apertas ob humanas neceſſitates, modo tamen extra Apothecam nec ſcamna, nec ſedilia detineantur. Permittimus etiam lanionibus, ſalſamentariis, olitoribus, tabaci, & vini venditoribus, cauponibus, & villicis fructus, legumina, aut olera vendentibus retinere officinas apertas, & ibidem carnes, vinum, ceteraque quotidiano victui neceſſaria vendere; ea tamen (3) lege, ut ad campanarum ſonitum, quo in Cathedralibus, Collegiatis, vel Matricibus locorum Eccleſiis datur ſignum divinorum Officiorum, aut ſolemnis Miſſæ reſpective, illico excluſis omnibus emptoribus fores claudantur, merceſque vendendæ reponantur, nec iterum aperire, aut vendere liceat etiam intra clauſas officinas, & tabernas, niſi pulſata hora vigeſima ſecunda. Cauponæ autem pateant his etiam horis, ad excipiendos dumtaxat peregrinos, & advenas, excluſis tamen domiciliariis, ſeu Civibus per idem temporis ſpatium.

VII. Eadem lege fabriferrarii, & barbitonſores teneantur. Primi quidem

(1) *Syn. 1. Muti pag. 21., Syn. Sacchetti h. tit., Syn. Scimatth. pag. 42., Syn. Abbati p. 15.*

(2) *S.C.Ep. ap. Nicol. v.* Feſtum *n. 18. & 24.*

(3) *Ead. ap. eumd. loc. cit. num. 20., & Lambertin. cit. Inſt. 43.*

dem ad medendum (1) equis, aliiſque belluis, & ad eos ferreis ſoleis calceandos; alteri autem ad barbas tondendas horis dumtaxat, ut ſupra præmiſſis. Sin autem barbitonſores, aut eorum famuli in fraudem legis hujus, vel in domo propria barbas tondebunt, vel aliorum domos pelvim, & novaculas adſportabunt ad ſimile officium exercendum, ſciant ſe, præter multam pecuniariam, etiam exilii (2) pœna a tota noſtra ditione coercendos. Eædem horæ præfinitæ ſunto iis, qui prædam venatu, aut piſcatione captam publice in platea vendunt. Sartores autem, & calcearii matutinis horis uſque ad dictum campanæ ſonitum opera jam completa vendant, & calceos pedibus aptent intra clauſam officinam, oſtiolo tantum aperto; poſt autem eas horas omnino abſtineant per reliquam diei partem. Frumentum (3) molere, & panem coquere, piſcari, meſſes, aut fæna ſecare nunquam liceat niſi neceſſitate (4) cogente, non tamen affectata, vel procurata, obtentaque a Nobis, vel Vicariis noſtris (5) licentia in ſcriptis, gratis ſemper danda (6).

VIII. Solemni autem Paſchæ, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini die nulli omnino hominum fas ſit quocumque prætextu, tametſi nundinæ occurrant, officinas aperire, niſi ſolis dumtaxat Pharmacopolis ob exhibenda, mera neceſſitate urgente, præſcripta a Medicis, Chirurgiſque medicamenta. Quicumque contra hæc deliquerit, emptores, rei, quam emerunt, jacturam ſubibunt; venditores autem, aut animalium onuſtorum ductores, cæterique operum vetitorum geſtores, aut officinarum domini tribus aureis abſque remiſſionis ſpe (7) multabuntur qualibet vice; tertiam partem denunciatori, ſeu (8) executori, alias Eccleſiæ Parochiali, ſub qua culpa fuit patrata, ex nunc aſſignantes, in ſacra ſupellectili inſtauranda inſumendas. Si denunciator non adſit ea pars Eccleſiæ accreſcat. Volumus autem, ut etiam per inquiſitionem, atque ad (9) relationem ſimplicis accuſatoris, qui nunquam revelabitur, procedatur. Fas ſit executoribus, ubi quem in flagranti repererint quocumque modo (extra ſupra permiſſos caſus, & horas) Feſtorum obſervantiam violantem, trahere in carcerem, vel pignora auferre; aut ſi quis patentalibus magnatum litteris ſe tuebitur, eum executores

---

(1) *S. C. Ep. ap. Nicol. loc. cit. num.* 16.
(2) *Lambertin. Inſt.* 43. *num. cit.*
(3) *Id. Inſt.* 65. *num.* 36.
(4) *Nicolaus V. ap. Rainald. ad ann.* 1447. *n.* 28.
(5) *S. C. C.* 22. *Apr.* 1599., & *S. C. E.* 12. *Mar.* 1601.
(6) *S. C. Ep. in Civit. Caſtell.* 21. *Aug.* 1615., & *ad Epiſc. Uliſſipon.* 7. *Dec.* 1691.
(7) *Conſt. S. Pii V.* Cum primum, *relat. a Fagnan. in c.* Presbyteri *de pœnis num.* 34., *Syn.* 1. *Brancat. pag.* 29., *Syn. Abbati pag.* 15., & 17.
(8) *S. C. Ep. ap. Nicol. V.* Feſtum *num.* 27.
(9) *Syn. Abbati pag.* 16.

tores cogent (1) proprium in ſyngrapha ſcribere nomen, aut ſi ſcribere neſciat, Crucem in pagina propria manu ſignare coram duobus teſtibus, ut per Nos, datis ad magnates litteris, idem ultra pecuniariam pœnam Principum defenſione privetur. Noſtræ autem patentes litteræ nemini quoad hoc ſuffragentur.

IX. Duos alios caſus excipimus; ſcilicet ſi quando ingreſſus in domum ab artificibus inhabitatam alius non ſit, quam officinæ oſtium, tunc fas eſſe volumus illud aperire ob eum dumtaxat uſum, non tamen patens retinere. Item ad ſuccurrendum pauperum feminarum egeſtati, quæ præſertim dum nutriunt, lintea abluere, & ſiccare coguntur etiam die feſto, quod aliis mundis linteis careant, permiſſum id illis eſto, habita prius in ſcriptis licentia a proprio Parocho, cui, quoad hoc, auctoritatem facimus præſenti ſtatuto hanc in ſua Parœcia facultatem impertiendi.

X. Fœdius vitioſis, quam ſervilibus operibus feſta deturpantur. Ebrietatum proinde, ac chorearum deteſtabiliorem licentiam damnamus. Parochi, Concionatores, Confeſſarii in hanc effræniorem Orgiorum imitationem invehantur, cum jàm prope videantur Chriſtiani diebus Feſtis immolare Dæmoniis, & non Deo, qui Orationis, Laudis, & contriti cordis Sacrificio, non compotationibus, ludis, ſaltationibus, ſpectaculis honoratur. Nos vero ſcientes, quantum adjectis pecuniariis pœnis (irrito licet conatu) adlaborarit alter e Prædeceſſoribus noſtris ad extirpandum ebrietatis vitium, quo *plebs Viterbienſis nimis vino indulgens* (2) turpiſſime delectatur, ut pertinaciori, & quaſi deſperato morbo acrius remedium apponamus, præcipimus Curiæ ſatellitibus, ut diebus Feſtis ſæpe circumeundo, & vinarias tabernas viſitando, ſi quem repererint ebrium, vinoque madidum, illico in vincula trahant, ut, præter unius aurei multam pauperibus elargiendam, trium dierum jejunio, in pane ſolum, & aqua ſecretiore carcere, ferreiſque compedibus detentus, crapulam obdormiat.

XI. Non abſimiles dabunt pœnas (3) ii, qui choreas, tripudia, ſaltationes agitant, tam ruri, quam in oppidis tum diebus Feſtis, tum integro Adventus, & Quadrageſimæ tempore, & qualibet per annum ſexta feria. Auctores, qui eas ducunt, pulſatores inſtrumentorum, & præcentores, eoſque, qui domum ad hæc tripudia conceſſerint, trium aureorum pœna pro ſingulis vicibus plectendos decernimus inſumenda in ſacris ſupellectilibus comparandis ad beneficium ejus Parochialis Eccleſiæ, ubi hæc geruntur. Circulatores, Mimos, Hiſtriones, omneſque ſcenicis, & theatralibus

(1) *Lambertin. cit. Inſt.* 43. *num.* 9.

(2) *Syn.* 1. *Brancat. pag.* 29.

(3) *Bened. XIV. Encycl.* Nihil 12. *Aug.* 1742. §. *IV.*, *&* *Conſt.* Inter cætera 1748.

bus (1) ludis inſervientes, etiam prætextu medicamentorum vendendorum, edere ſpectacula, larvarum ludicra, aliaſque publicas id genus nugas diebus Feſtis omnino prohibemus, indicta in ſingulos aureorum quinque pœna favore Bibliothecæ noſtræ Cathedralis, ſublataque ſpe prorſus licentiam ad has nugacitates obtinendi. Eos vero, qui his ſacris diebus, tam in officinis, & tabernis, quam in publicis viis etiam extra oppida deprehenſi fuerint in flagranti ludere aleis, taxillis, aut perſonati, in vincula rapi mandamus unius aurei pœna multandos, quam Viterbii præfatæ Bibliothecæ, in aliis autem locis Parochiali Eccleſiæ Matrici applicamus. Luctas, aut curſationes tam (2) nudorum, quam ſeminudorum hominum feſtis, profeſtiſve diebus omnino vetamus, indicta tam in currentes, aut luctantes, quam in ludi, curſuſve auctores quinque aureorum pœna, ut ſupra, applicanda; præter alias rigidas, & condignas pœnas etiam diuturni carceris per laicam quoque poteſtatem expetendas.

XII. Parochi poſtremo quacumque Dominica die intra Miſſarum ſolemnia populo indicabunt Feſta omnia, quæ in ea hebdomada occurrent, & in veſpere pervigilii, totius æris campani feſtivo pulſu proximam ſequentis diei celebritatem admonebunt. Iidem in ſollemnioribus anni feſtivitatibus conſtitutiones has cum adjectis pœnis populo pervulgabunt, ne quis ignorantiæ excuſationem obtrudere poſſit. Quod præcipuum autem eſt, iidem, & Concionatores omnes, Confeſſariique crebro docebunt, quam graviter (3) decipiantur ii, qui poſtquam ſacroſancto Miſſæ Sacrificio ſemel (atque utinam pie) interfuerint, reliquas feſti horas aut jocando, aut otiando, aut ſe licenter oblectando conſumunt. Ad eam rem populum inſtruent, qua ratione dies feſti ſanctificandi ſint, quem in finem ſint inſtituti, quæque opera iiſdem conveniant diebus. Hæc ſi præſtiterint, profecto inde fiet, ut irritus cadat veſani hoſtis conatus, qui nihil non agit, ut quieſcere faciat omnes dies feſtos Dei a terra.

CA-

(1) *Encycl. Clem. XI.* 11. *Jan.* 1719., & 4. *Jan.* 1721. *Bened. XIV. cit. Conſt.* Inter cetera, & *Syn.* 1. *Muti pag.* 23., *Syn. Sermatth. pag.* 43., *Syn. Abbati pag.* 17.

(2) *Bened. XIV. cit. Encycl.*, & *Syn. Abbati p.* 18.

(3) *S. Chryſoſt. hom.* 1. *de Lazar. D. Th.* 2. 2. *qu.* 122. *art.* 4. *ad* 3., *Catech. Rom. par.* 3. *cap.* 4. *num.* 21., & 26.

CAPUT SECUNDUM

De Sacris Jejuniis.

I. S*Anctificate* (1) *jejunium*. Pœnitentiæ virtutem lege divina cunctis fidelibus inculcatam, Eccleſia Catholica certo ſaltem modo, tempore, & diebus exercendam mandavit, ut carnem, quæ concupiſcit adverſus ſpiritum, mortificantes, animæ ſanctificationem percipiant. Cujus quidem præcepti duplex eſt finis, ut nempe caro attenuetur jejuniis, & ſpiritus per contriti cordis, & orationum holocauſta medullata Deo immoletur. In eo enim ſita eſt pœnitentia, ut non ſolum ceſſationem a peccatis, & male anteactæ vitæ deteſtationem, eorumdemque peccatorum Sacramentalem Confeſſionem habeat; ſed & ut divinæ juſtitiæ ſatisfiat per jejunia, eleemoſynas, orationes, aliaque ſpiritualis vitæ monita, quemadmodum (2) enixe Nos monet Sanctiſſimus Dominus Noſter Clemens XIII. Encyclicis ad Nos datis.

II. Hanc Eccleſiaſtici jejunii diſciplinam a majoribus noſtris religioſiſſime cuſtoditam, ſed ætate noſtra non parum labefactatam reparare conatus fuit noſtra tempeſtate S. M. Benedictus XIV. plurimis conſtitutionibus hac ſuper re editis, & ab eodem feliciter regnante SS. D. N. confirmatis, quarum ſumma hæc eſt; neminem prorſus audacter, fidenterque uſurpare debere a jejunio diſpenſationem; ſed ad eam (non ſuperbe, & arroganter poſtulandam) requiri, præter legitimam cauſam, utriuſque (3) medici conſilium. Medicus igitur primum corporis ſub arctiſſimo propriæ conſcientiæ onere ſcripto teſtetur, adeſſe legitimam cauſam, ob quam eſus ovorum, aut lacticiniorum tantum (ſi hæc ſufficiant), ſin minus, etiam carnium eſus indulgeri poſſit. Hanc medici temporalis atteſtationem ſubſcribat Parochus, vel pro Monaſteriis, aliiſque cœtibus Confeſſarius, quorum etiam, tanquam ſpiritualium medicorum, conſcientiam oneratam volumus ſuper cauſæ veritate diſpicienda; ac poſtremo Vicarii Noſtri Generalis, vel aliorum a Nobis deputatorum (4) in Civitatibus, foranei autem in aliis Diœceſeos locis diſpenſatio, aut licentia accedat ſcripto pariter exarata. Qui ſecus fecerint, ſciant, per Nos inquirendum, & procedendum, tanquam in contemptores Eccleſiaſticæ Legis, & veluti de Hæreſi (5) ſuſpectos habendos eſſe.

III. Tum

(1) *Joel.* 1. 14.
(2) *SS. D. N. Clem. XIII. Encycl.* Appetente 20. *Dec.* 1759.
(3) *Bened. XIV. Conſt.* Non ambigimus 1741.
(4) *Syn.* 1. *Muti pag.* 24., *Syn. Sermatth. p.* 38.
(5) *Zecchius tom.* 1. *tit. de fide c.* 11. *num.* 5.

III. Tum legitime diſpenſatos ad eſum lacticiniorum, aut carnium duabus his conditionibus in diſpenſatione, vel expreſſe, vel tacite appoſitis teneri. Harum prima eſt, ut qui diſpenſantur unica ſint comeſtione contenti, ſive ex privata cauſa, ſive multitudini univerſæ per Sedem Apoſtolicam indiſtincte diſpenſatio concedatur; dummodo (1) nulla certa, & periculoſa affectæ valetudinis ratio intercedat, & aliter fieri neceſſe ſit, ſeu, ut S. M. Clemens XI. (2) propria manu ſcripſit, Edictoque Romæ publicato inſeruit, ad unicam comeſtionem tenentur illi, qui ſalubri carne veſcuntur, eo ſolo ducti motivo, quod eorum ſaluti noceant quadrageſimales cibi. Altera, ut licitæ, atque interdictæ (3) epulæ, carnes ſcilicet, & piſces, Quadrageſimalibus etiam Dominicis diebus non ſimul apponantur, aut adhibeantur; ad quas binas conditiones implendas ſub gravi tenentur ii, quibuſcum diſpenſatur. Piſcibus tamen edendis non interdicuntur alii, quibus datur facultas adhibendi tantum ova, & lacticinia.

IV. Ad hæc non licere (4) diſpenſatis ad eſum carnium comedere in refectiuncula veſpertina carnes ſub ea quantitate, quæ jejunantibus permittitur, ſed utendum eo cibo, eaque potione, quibus homines rectæ, & meticuloſæ conſcientiæ jejunii tempore utuntur; reprobatumque ob eam rem fuiſſe ab eodem SS. D. N. Regnante abuſum, quo nonnulli putant, extra unicam comeſtionem, licere ſibi (5) potiones lacte permixtas ſumere; cum, ea unica comeſtione excepta, in reliquis æquiparandi diſpenſati ſint iis, quibuſcum nulla eſt diſpenſatio. Item neque licere horam jejunantibus præſcriptam antevertere, ſed omnino etiam a diſpenſatis obſervandam eam eſſe. Quas leges tam unicæ comeſtionis, quam horæ, refectiunculæ, & non permiſcendi epulas, etiam extra Quadrageſimam urgere declaravit (6) idem Benedictus XIV.

V. Carnes, aliique vetiti cibi eſurialibus diebus non aliis vendantur; quam iis, qui facultatem, ſeu licentiam comedendi exhibuerint; eaque venditio ne fiat publice, ſed ſecreto, & in abdita apothecæ parte carnes cuſtodiantur pannis obtectæ, non in propatulo expoſitæ. Emptores pallio contectas, ſeu ſportula deferant incluſas. Venaticæ etiam carnes publice non proſtent venales, ſed abdite, ut ſupra, vendantur. Caupones quoque, aut Tabernarii non niſi infirmis, aut prædicta licentia munitis, vetita co-

P quant,

(1) *Bened. XIV. Conſt. cit.*, & *Conſt.* In ſuprema *eod. an.* 1741.
(2) *Clem. XI. Edict.* 23. *Febr.* 1705. §. 7.
(3) *Bened. XIV. Conſt. citat.*, & *Conſt.* Si fraternitas 1744.
(4) *Cit. Conſt.* Si fraternitas *ad dub.* 2.
(5) *SS. D. N. cit. Encycl.* Appetente.
(6) *Bened. XIV. cit. Conſt.* Si fraternitas *ad dub.* 7.

quant, aut apponant fercula. Qui (1) contra alterutrum ex his deliquerit, tam venditor, quam emptor, aut Tabernarius pœna viginti quinque aureorum multabitur, ut infra applicandorum.

VI. *At qui jejunat in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens*, (ait Sacra Scriptura) *quid proficit* (2) *humiliando ſe? Diſſolve* (3) *colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes. Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam*. Haud quicquam proderunt non ſanctificata jejunia, ſi, cum corpori lautiora ſubtrahuntur edulia, mens non jejunet a vitiis. Ob eam rem omnes peccandi occaſiones, omnia, quæ inconditam lætitiam, & voluptatem redolent, prorſus interdicimus. Choreas, comœdiaſque tam publicas, quam privatas, publicos ludos, cantus, & ſonos per vias, circumforaneos, ſcurras, circulatores tam diu, quam noctu, toto Quadrageſimali tempore uſque ad feriam tertiam poſt Paſcha incluſive, omnino prohibemus, indicta (4) in ſingulos ſcutorum viginti quinque pœna, quam Viterbii Bibliothecæ Cathedralis noſtræ applicamus, in aliis vero locis ad pios uſus deſtinabimus; præcipientes, ut qui in his deliquerint, illico in carcerem rapiantur, ſubituri etiam alias corporis afflictivas pœnas, arbitrio noſtro imponendas, juxta caſuum, perſonarumque qualitatem.

VII. Jejunio pariter bona opera adjungant Chriſtifideles, miſericordiam præſertim in egenos, ut fiat refectio pauperis abſtinentia jejunantis. Præcipue autem his pietatis operibus, oratione ſcilicet, & miſericordia, peccata ſua expiare, Deoque ſatisfacere non negligant ii, qui a communi pœnitentiæ lege legitimis ex cauſis diſpenſati culpas de mundano pulvere contractas caſtis ſaltem jejuniis (5) decoquere non poſſunt.

VIII. Hæc ſæpe doceant Parochi; quodque omnium maximum eſt, conſtanter moneant populos verbis SS. D. N. Clementis XIII., omnem iniquitatem, parva, magnave ſit, aut ab ipſo pœnitente, aut a Deo vindicante puniri oportere; & niſi a Deo puniri velimus, id non aliter vitare nos poſſe, quam ſi ipſi nos puniamus. Ex hoc fiet, ut ad exactam jejunii obſervationem, minus exquirantur ſuavitates in dapibus, in cupediis deliciæ, quæ ſi non diſcrepant, haud ſaltem integre congruunt cum vera abſtinentia.

CA-

(1) *Ex Edict. Rom. cit., & noſtris Syn. hoc tit.*
(2) *Eccli.* 34. 31.
(3) *Iſa.* 58. 6., & 7.
(4) *Ex cit. Edict., & Syn. noſtris.*
(5) *Conſt. cit.* Non ambigimus.

CAPUT TERTIUM

De Eccleſiarum reparatione, veneratione, & immunitate.

I. G*Loria, & divitiæ* (1) *in domo ejus*; *domum Dei* (2) *decet ſanctitudo*. Quanquam omnipotens, & immenſus Dominus Deus noſter Cœlum impleat, omniſque terra plena ſit gloria ejus; attamen nonnulla loca in præcipuam gloriæ habitationem elegit, ubi poneret tabernaculum admirabile, tabernaculum ſuum cum hominibus, ut habitaret cum eis. Has ergo ædes, noſtra ſcilicet Templa, quam maximo decet ſplendore illuſtrari, veneratione coli, & ſacro quodam tremebundi cordis horrore terribilem in eis Majeſtatem honorari; unde ornatu, decore, ſanctitate, & gloria, tanquam inſignium varietate circumamicta Eccleſia, ſicut ſponſa ornata viro ſuo eniteſcat.

II. Id facile præſtabitur ſi in Parochis, Confeſſariis, Concionatoribus is ſemper imperterritus, quem optamus, zelus habeatur, quo crebra, & acri eloquentia inculcent fidelibus, eam eſſe id temporis chriſtianarum urbium gloriam, ut, quam priſci fideles perſecutionibus inſævientibus oſtentare non poterant templorum ſumptuoſam magnificentiam, eam nunc exquiſitiſſimam, elegantiſſimam, &, quam maxime fieri poteſt, religioſiſſimam ſancta contentione præſeferre æmulentur. Quod ad Nos attinet, in id primum incumbimus, ut vetitum velimus cuilibet, novas (3) Eccleſias, Altaria, Cappellas erigere, niſi noſtra accedat licentia, quam ſe conſecuturum ſperet nemo, niſi neceſſariis inſtruat ornamentis, & ſtabilibus dotet ſubſidiis.

III. Quæ vero jam ſunt erecta nemini liceat ſub interdicti pœna diruere, vel in alium locum transferre. Eccleſias temporum injuria ita collapſas, ut pro dignitate inſtaurari nequeant, ex Tridentini (4) ſanctione, vel dirui, vel in profanos, non ſordidos uſus converti permittemus, erecto tamen ibi adorando Crucis vexillo. Parochiales autem, & matrices Eccleſiæ primo ex ipſius (5) Parochiæ reditibus; tum ex reditibus (6) eorum, qui ex Eccleſiaſtico Beneficio ibi reſidere tenentur; ac poſtremo, in horum defectum, ex collectis, ſeu decimis Parochianorum inſtaurandæ ſunt; quos cunctos omnibus remediis opportunis, quacumque appellatione,

 aut

(1) *Pſ.* 111. 3.
(2) *In Off. Dedic. ex Pſ.* 92. 5.
(3) *Can.* Nemo Eccleſiam, *can.* Nullus Presbyter il 2. *diſt.* 1. *de conſecr.*
(4) *Trident. ſeſſ.* 21. *de ref. cap.* 7.
(5) C. de his *de Eccleſ. ædific.*
(6) C. Quicumque *eod. tit.*, *Rot. in Rom.*, *ſeu Regien.* Reparation. 26. *Apr.* 1743. *cor. Nunez*, & 4. *Mar.* 1746. *cor. Caprar.*

aut exemptione remota, (1) per Nos ad prædicta cogendos voluit Tridentina eadem Synodus. Idem prorſus ſtatutum ſervetur (2) quoad ædes Parochiales curandas, & inſtaurandas.

IV. Cathedralium, Collegiatarumque imprimis, in quibus fidelis populus frequentius ad orandum convenire ſolet, ſollicita cura Nos tangit. Earum Eccleſiarum inſtauratio etiam S. M. Benedicti XIII. univerſalis Eccleſiæ Paſtoris religioſiſſimum pectus ita commovit, ut nullam ſollicitudinem quoad hoc judicaverit nimiam. Supradicti igitur Summi Pontificis conſtitutioni (3) inhærentes decernimus, & mandamus, ut in poſterum (ſalva ſemper tamen immemorabili hujus Diœceſeos conſuetudine ſolvendi mediam annatam per quaſcumque Dignitates, & Canonicos in reſpectiva ſumma jam a Prædeceſſoribus noſtris taxata) „ omnes ii, qui erunt proviſi de „ Parochialibus una cum incertis annuum reditum ſcutorum centum mo„ netæ Romanæ excedentibus, & de Beneficiis tam reſidentialibus, quam „ non reſidentialibus, & ſimplicibus ſitis extra Eccleſias Collegiatas cujuſ„ cumque valoris exiſtant, teneantur ſolvere, & reſpective deponere me„ diam annatam pro fabrica Eccleſiæ Cathedralis. Proviſi vero de Paro„ chialibus una cum incertis annuum reditum ſcutorum centum monetæ „ præfatæ excedentibus, & de Canonicatibus, & Beneficiis tam reſiden„ tialibus, quam non reſidentialibus, & ſimplicibus ſitis in Eccleſiis Colle„ giatis, vel ad illas translatis, cujuſcumque valoris exiſtant, itidem te„ neantur ſolvere, & reſpective deponere mediam annatam pro fabrica „ Eccleſiæ Collegiatæ.

V. Hæc media annata debeatur a prædictis Beneficiorum poſſeſſoribus ex primo anno fructuum, ſive Beneficia liberæ collationis, ſive Juriſpatronatus tam mixti, quam Laicalis, fuerint, & ad quemcunque electio, collatio, inſtitutio, & proviſio pertineat; *dummodo collationis, inſtitutionis, & proviſionis Sanctæ Sedis minime exiſtant*. In iis autem Dignitatibus, ſeu Canonicatibus, ubi jam ſumma taxata fuerat, ſi ea minor foret fructibus ſex menſium, ad juſtam, & rigoroſam taxam mediæ annatæ augeatur. Volumus tamen, ut hæc media annata computanda ſit, & eſſe (4) intelligatur, detractis oneribus penſionum, collectarum Cameralium, & Miſſarum celebrandarum, juxta fundationis legem; eaque locum non habeat, quando pro (5) reparatione, & conſervatione fabricæ Eccleſiæ ſufficienter aliunde conſultum ſit.

VI. Ad

(1) *Trident. loc. cit.*

(2) *S. C. C. ap. Barboſ. in c.* de his *de Eccl. ædific. num.* 5.

(3) *Bened. XIII. Conſt.* Pius, & miſericors 1725. *in Append. ad Conc. Rom. num.* 24.

(4) *S. C. C. in Tudertin.* 7. *Jun.* 1728. *lib.*78. *Decretor.*

(5) *S. C. C. in Tuſculan.* 20. *Dec.* 1725., & *in Anagnin.* 2. *Maii* 1733.

VI. Ad ejuſdem conſtitutionis tramites mandamus per quæcunque Civitatum, ac Diœceſis noſtrarum Capitula præſentandam infra bimeſtre perſonam idoneam a Nobis approbandam, & deputandam, in cujus manibus deponantur hæ mediæ annatæ, quæ (deficiente neceſſitate occurrendi reparationi Eccleſiæ) inveſtiantur in ſtabilibus, & fundis ſeu capitalibus ſecuris, atque fructiferis; annuique proventus non in (1) alium uſum, quam reparationis, conſervationis, augmenti, & ornatus earumdem Cathedralis, & Collegiatarum impendantur; ea addita lege, ut fructus hujuſmodi in muſicas, aut in organiſtarum, vel aliorum Eccleſiæ ſervientium ſalaria, aut ſtipendia diſſipari non poſſint; & quotieſcunque dictas Eccleſias reparatione non indigere conſtiterit, annui etiam fructus, & fructus fructuum pari modo inveſtiantur. Noverint hìc Capitula omnia, ſingulique Canonici, ſe, eorumque hæredes, & ſucceſſores (2) teneri ad omnia damna, & intereſſe favore prædictæ fabricæ, quotieſcunque, vel depoſitarius minus fidelis, idoneuſque foret, vel inveſtimenta aut non facta, aut minus tuta, ac exinde deperdita fuerint, vel demum propter erogata capitalia, vel fructus in alios uſus. Propter eamdem paupertatis Eccleſiarum rationem decernimus, pro oneribus Miſſarum fixis, & perpetuis perſolvendum a Cappellanis, vel Beneficiariis obolum unum (3) pro qualibet Miſſa in compenſationem expenſarum pro manutentione paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, atque inſervientium; modo tamen reditus eorum Beneficiorum, Cappellaniarum, aut legatorum piorum eleemoſynam manualem excedant.

VII. Ipſa Eccleſia in omnibus ſuis partibus ſit decenter inſtructa, atque ornata. Supra (4) Eccleſias, aut Oratoria, ubi Miſſæ celebrantur, nullus ſit locus ad habitandum, ambulandum, aut dormiendum deſtinatus, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia. Circa Eccleſias nulla ſit ædes vilibus, aut ſordidis uſibus deſtinata, quales forent Tabernæ, lanienæ, latrinæ, & ſtabula, unde vel fœtore, vel ſtrepitu (5) irreverentia divini cultus gigneretur. Nulli liceat ex laicis in Eccleſiam per feneſtras (6) proſpectum habere, aut aditum ex propria domo per portam, ſine Apoſtolico indulto; & ſicubi ex ædibus privatorum in Eccleſias, domos Parochiales, aliaque loca immu-

(1) *Conc. Rom.* 1725. *tit.* 27. *c. un.*
(2) *Ex cit. Conſt.* Pius.
(3) *Lambert. Inſt.* 56. *a n.* 12. *V. App. N. XV.*
(4) *S. C. Ep. in Hieracen.* 26. *Jul.* 1613. *in Melphiten.* 2. *Oct.* 1626. *in Neapolit.* 13. *Apr.* 1646. *in Hortonen.* 11. *Jun.* 1655. *Syn.* 1. *Muti pag.* 102.
(5) *L.* Baſilicam *C. de oper. publ., Syn.* 1. *Muti pag.* 110.
(6) *Clementin.* 1. *de ſent. excomm., S. C. Ep. in Veronen.* 15. *Jun.* 1635., *in Caſertan.* 8. *Jun.* 1646., *in Alexanen.* 14. *Nov.* 1659., *in Piſauren.* 3. *Oct.* 1672.

immunia per januas, cryptas, alioſque aditus etiam ſubterraneos, acceſſus pateret, etiamſi (1) earum ædium Domini per multum temporis ſpatium ſe poſſediſſe tranſitum illum contenderent, omnino impediatur; ſub pecuniaria, arbitrio noſtro, pœna in cuſtodes Eccleſiarum, niſi harum feneſtrarum, atque adituum, obducto muro, occluſionem infra menſem urgebunt.

VIII. Non abſimili prope ratione prohibita eſt etiam Canonicalium ædium laicis facta (2) locatio; quem abuſum cum pluries in Sacris Viſitationibus, fruſtraneo eventu, interdixerimus, hoc noſtro inviolabiliter obſervando decreto ſancimus, obnoxium fore pœnæ (3) decem aureorum eum ex Canonicis, aliiſque Eccleſiaſticis, qui præfatas domos, aut alias ædes, ſeu officinas intra Immunitatis ſepta ſitas, laicis locaverit; quam pœnam in duplum augebimus, quoties quis iterum circa hoc deliquerit; eademque pœna per vices augenda multabuntur quicumque permittent, a fraudatoribus publicorum vectigalium invehi in ea immunia loca merces vetitæ invectionis.

IX. Sacris Altaribus, ſi fornix, aut lacunar non immineat, ſuperponatur Baldacchinum, quod ſemper Aræ majori, & Altari Sanctiſſimi Sacramenti ſit ſuperimpoſitum. Feneſtræ vitreis ſpecularibus, aut ſaltem cera illitis telis, humiliores vero, ac ſolo viciniores ferreis cancellis (4) obſtruantur. Januæ valvis firmiſſimis, ſera, clavibuſque munitis claudantur per noctem; & poſt veſpertinum (5) ſignum ſalutationis Angelicæ omnes claudantur Eccleſiæ etiam Regularium, & in Monialium veſtitionibus, ſub interdicti pœna, nunquam ante auroræ ſonitum aperiendæ; exceptis ſacramentorum adminiſtrandorum neceſſitate, nocte Sancta Nativitatis, & feria quinta in hebdomada majore, ubi fert conſuetudo (quam tolerare, non approbare fatemur) habendi concionem de Paſſione Domini poſt veſpertinas horas.

X. Altaria quæcumque tela cerata cooperiantur, & tribus mappis, quarum ſuprema ſaltem per utrumque latus uſque ad terram deſcendat. Miſſis abſolutis, Altaria omnia craſſiore tela, vel coriaceo ſtragulo contegi volumus, ne pulvere, & ſordibus inquinentur. Ne ſepulchra ſint ſacris Altaribus nimium proxima ſtatuimus; & ſicubi oſtium ſepulchri (6) tribus ſaltem

(1) *S. C. Ep. in Faventin.* 17. *Febr.* 1619.

(2) *S. C. Immunit. pluries ap. Ricc. in Synopſi verb.* Domus Canonicales.

(3) *Ead. S. C. Im.* 16. *Aug.* 1704., *Syn. Montilj pag.* 153., *Syn.* 1. *Brancat. pag.* 29., *Syn. Sermatth. pag.* 133.

(4) *Syn.* 1. *Muti p.* 101., *Syn. Sermatth. p.* 123.

(5) *Clem. XI. Encycl.* 26. *Jul.* 1701., *Syn.* 1. *Muti p.* 110., *Syn.* 5. *Brancat. p.* 13., *Syn.* 7. *ejuſd. p.* 6., *Syn. Sermatth. p.* 126.

(6) *Can.* præcipiendum 13. *qu.* 2. *can.* Non oportet *de conſecr. diſt.* 1., & *S. C. Ep. in Interamnen.* 13. *Sept.* 1593.

tem cubitis a ſuppedaneo ſcabello non diſtet, ſit ipſo jure Altare interdictum, donec cadavera inibi ſepulta in alium deferantur locum, & injecta terra ſepulcrum oppleatur. Quod etiam in Regularium (1) Eccleſiis eſt omnino obſervandum.

XI. Campanariæ turris Janua (2) ſit clave aſſidue obſerata, nec niſi æditutuo, vel aliis ex officio campanas pulſaturis, aditus ſit apertus. Nemini liceat campanas ab Epiſcopo non conſecratas (3) turri apponere; ita ut etiam Regulares cogi (4) poſſint a Nobis ad eas deponendas, ſi non benedictas appenderint, & prohibere poſſimus, non benedictas pulſari ad ſacrum uſum. Earum ſonitus apprime eſt commendabilis; ſunt enim militantis Eccleſiæ tubæ per quas populus ad pietatis exercitia excitatur. Verum enim vero, cum in aliquibus Eccleſiis, Monialium præcipue, ac Confraternitatum, ad indicandas multis ante diebus Titularium Sanctorum ſollemnitates, vel Monialium veſtitiones, aut Profeſſiones, eo uſque hujuſmodi prævius ſonitus excreverit, ut in abuſum jam vergat; atque inde, ne dum vicinorum incolarum, quandoque etiam ægrotantium quies faſtidio graviore afficiatur, ſed & ſcandalum prope ingeratur piæ fidelium devotioni, cum audiunt per ſacra hæc tintinnabula non fune, ſed malleo manu agitato ad numerum, inſtar profani inſtrumenti, exultantem, & ſubſilientem ſonitum edi ad ſaltationes excitandas accomodatum; idcirco modum aliquem imponere cupientes ſub pœna pecuniaria trium aureorum in Rectores, aut Cuſtodes, aut Officiales Eccleſiarum ſecularium, & ſub pœna ſuſpenſionis ab Officio per menſem in Monaſteriorum Superioriſſas, diſtricte præcipimus, ut octo tantum præviis diebus ante quantumvis ſolemnem feſtivitatem, ter in ſingulos dies, videlicet mane, meridie, & veſpere, unicam ad ſummum horam, campanarum (fune tracto, non manu agitato malleo) obſtrepentium feſtivus ſonus (5) non excedat; reſervata Nobis etiam graviore animadverſione in eos, qui parere detrectaverint.

XII. Venerationem Eccleſiis debitam ſervatam adeo volumus, ut nullis contractibus, nullis ſtipulationibus, nulliſque judicialibus, aut forenſibus actibus hæc ſacra loca patere patiamur. Multo magis interdicimus compotationes, commeſſationes, jentacula, ſorbillationes in Eccleſiiis, earumque ſacrariis, in quibus æque, ac in Eccleſiis ſacrum ſilentium cuſtodiendum mandamus, ſub pœna unius aurei a Sacriſtis, ſeu ſacrarii cuſtodibus illico

(1) *Ead. S. C. in Interamnen.* 30. *Mar.* 1594, *& in Meſſanen.* 2. *Maii* 1601.

(2) *Syn.* 1. *Muti pag.* 102.

(3) *Pontific. Rom. tit. de Benedict. Campan.*

(4) *S. C. ap. Monacell. par.* 4. *n.* 114 *Supplem. ad* 3. *tom., Nicol. in Floſc. ver.* Campana.

(5) *Syn. Æſina Petrucci, Fanen. del Verme, Fulginaten. Baptiſtelli, Hortana Lanucci* 1756. *tit.* 3. *c.*, *& num.* 1.

illico perſolvendi beneficio ipſius Sacriſtiæ, quoties otioſa, & circumſtrepentia præſertim ſecularium colloquia ibi haberi patiantur. Laicos itaque in Sacriſtiam ingreſſos, niſi peccata Confeſſario expoſituri, aut Miſſæ inſerviendi gratia morentur, ſtatim moneant Sacriſtæ prædicti, ut cito ſe expediant, ſi quem ex Sacerdotibus alloqui volent. Si moniti non obtemperarint, re ad Curiam noſtram delata, acriter punientur; cum locus is ſacer, atque ad colligendos ſacrificantium animos deputatus non debeat ſtrepitu, & clamoribus miſceri, unde Sacerdotum animæ a divinarum rerum cogitatione diſtrahantur.

XIII. Majorem in ipſis templis reverentiam expoſcimus; & Sacris Canonum (1) ſanctionibus inhærentes, ad omnem abominationem a loco ſancto eliminandam, ſummam modeſtiam, reverentiam, atque religionem præcipimus cuſtodiendam. Nemo ibidem tumultum, aut clamores excitet, nemo hac, aut illac obambulet, dum divina celebrantur Officia, aut ſacra habetur Concio. Viri nudo capite, feminæ autem velato ſemper adſtent. Pueros triennio minores nullus in ſacrum ducat templum; neque ſub ipſis foribus, caniſtros, res vendibiles, ſarcinas, lagenaſve collocet; ac præter enſem a nobilibus, militibus, aliiſque lateri præcingi conſuetum, nihil aliud armorum, præſertim quæ ad ignem concipiendum ſunt efformata, eo afferatur. Feminas præcipue vetamus, cujuſcumque gradus forent, Altari propius accedere, ſed aliquanto remotius ab Altaris gradu conſiſtant, atque ab omnibus vanitatibus, ab indecentibus ornamentis, a fucis, & pompis, modeſtæ, verecundæque totius corporis compoſitioni minus conſonis, ad terribilem Dei domum acceſſuræ, prorſus abhorreant. Profanos amores, colloquia minus modeſta viros inter, ac mulieres, nutus procaces, jocos, ac aliud quidvis vel leviſſimam turpitudinis ſpeciem præſeferens deteſtamur, & prohibemus.

XIV. In re tanti negotii Parochorum, Sacriſtarum, aliorumque Templi cuſtodum, etiam Regularium, eccleſiaſticum zelum deſideramus, Sacerdotaliſque pectoris conſtantiam, ut procaces has corruptelas, & deteſtabilia in domo Dei offendicula, prius charitate, & benignis monitis, tum ſi ſuavitas, & comitas non proficiant, acri, atque ferventi fiducia repellant, & arceant. Nos pro noſtræ Paſtoralis curæ munere ſeveris pœnis etiam interdicti, animadvertemus in eos, qui delati ad Nos fuerint petulantius inſoleſcentes, Sacerdotum monitis non obtemperaſſe. At acrius invehemur in ipſos Rectores, Sacriſtas, ceteroſque Sacerdotes, quos zelus domus

(1) *Trident. ſeſſ. 22. decret. de obſervan. &c. S. Pius V. Conſt.* Cum primum 1566. *Encycl. cit. Clem. XI., noſtræque Synod. omnes*

mus Dei comedat oportet, ſi abominationem deſolationis in loco ſancto videntes non corripuerint. Ipſis Sacerdotibus cura imminet ſacrorum, ipſis ex officio incumbit prohibere, ne domus Orationis ſpelunca latronum efficiatur. Ipſos ergo juriſdictioni noſtræ ordinariæ, vel delegatæ, circa hoc, ſubjectos, ſi deſides, aut puſillo, & ignavo eſſent animo ſeveriſſime puniemus, tanquam culpabiliter (1) in proprio officio delinquentes, & pluſquam ſeveriſſimis apud Deum judicem pœnis obnoxios futuros obteſtamur.

XV. Omnino prohibemus intra Eccleſias vagari, & circumire mendicos ſtipem (2) quæritantes quocumque tempore, ſub pœna carceris in ipſos mendicos; duorum aureorum in Capitulares, ni ipſos expulerint; & juliorum quinque in ſingulos Rectores, qui eos mendicare in propriis Eccleſiis permiſerint; quæ prohibitio a S. Pio V. etiam in ipſos Regulares extenditur, facta Nobis facultate eos corrigendi, ſi in extirpando hoc per Eccleſiam quæſtuandi abuſu negligentes forent.

XVI. Sua Eccleſiis nullo gravamine læſa ſtent bona, jura, prærogativæ, libertates, & privilegia; & ad amuſſim ſerventur ſacrorum Canonum, Conciliorum, ac Summorum Pontificum ſtatuta edita pro libertate Eccleſiæ, Clericorumque exemptione. Si qua ſint alicubi ſtatuta, conſtitutiones, conſuetudines, vel decreta hujuſmodi libertati, & immunitati refragantia, nulla, irrita, & caſſa declaramus, ac viribus omnino carere decernimus. Anathemate Sedis Apoſtolicæ auctoritati reſervato noverint ſe colligatos (3) ii, qui auſu temerario præſumpſerint gabellas, vectigalia, datia, pedagia, aliaſque ſolutiones contra Clericales perſonas, aut bona imponere, vel exigere; aut directe, vel indirecte ad laicas impoſitiones Clericos, vel Regulares adſtringere, niſi Apoſtolico diplomate in taliis, & ſolutionibus hujuſmodi, etiam Clerum comprehenſum eſſe ſpecifice exprimatur. Utque ea immunitas ſemper inviolabilis, & intacta permaneat, ſub præcepto formali ſanctæ obedientiæ, ac ſub obteſtatione divini judicii præcipimus Cleri utriuſque procuratoribus, ne quid ſinant clericali exemptioni divinis, humaniſque juribus aſſertæ contrarium inoleſcere; ac juxta nuperam Benedictinam conſtitutionem (4) adeſſe ne negligant publicis conſiliis, ad quæ, quoties pertractandum eſt aliquid ad Clerum pertinens, interpellandi ſunt; pariterque adſint vocati, quando redditur ratio expenſarum, quæ etiam ab Eccleſiaſticis tolerantur; nihilque vereantur circa ea

(1) *Cit. Encycl. Clem. XI.*

(2) *S. Pius V. cit. Conſt.* Cum primum §. 3. *Clem. XI. Edict.* 11. *Jul.* 1703., *alterum* 20. *Jan.* 1705., *alterum* 13. *Aug.* 1716., & *alter. Card. Vic.* 23. *Sept.* 1718.

(3) *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de ref. c.* 20., *c.* adverſus *de Immunit. Eccl. c.* Noverit *de ſent. excom.*

(4) *Bened. XIV. Conſt.* Quamvis 29. *Jul.* 1752.

proprium conſultivum ſuffragium ferre, &, ſi quid injuſtum deprehendent, illico ad Nos, aut ad ſacram Immunitatis Congregationem recurſum habere.

XVII. Localem etiam immunitatem ad reorum confugium ſartam tectam ſervare cupientes, ad ſacrorum Canonum (1) præſcripta, excommunicationem latæ ſententiæ Summo Pontifici reſervatam denunciamus in eos, qui malefactores ab Eccleſia, aliove immuni loco (cujuſmodi ſunt Monaſteria, Hoſpitalia, aliave Papali, vel noſtra auctoritate erecta loca pia) violenter, aut ſub fide ſalvi conductus extraxerint; exceptis tamen immanioribus criminibus, quæ jure aſyli non gaudere ſummi (2) Pontifices declararunt, adjectis explicationibus a S. M. Benedicto XIV. editis. Commoneantur tamen a Rectoribus hi confugæ ne Eccleſiæ benignitate abutantur, ut, quod inſtitutum eſt ad facinoroſorum refugium, convertant in facinorum tutelam cum fidelium ſcandalo. Si commoniti non obtemperarint, iidem Rectores teneantur rem ſtatim Nobis ſignificare, ut per ſacræ Immunitatis Congregationis, aut Summi Pontificis auctoritatem opportune provideamus.

CAPUT QUARTUM

De Bonis Eccleſiaſticis, & eorum adminiſtratione.

I. OMne, *quod Domino conſecratur ..... non vendetur, nec redimi* (3) *poteſt*. Bona Eccleſiæ, piiſque locis ſemel dicata, cum Chriſti Patrimonium (4) cenſeantur, & ſint, adeo religioſe ſunt adminiſtranda, & cuſtodienda, ut per Sedis Apoſtolicæ oracula gravioribus Eccleſiæ pœnis alienantes, & male adminiſtrantes puniantur. Præmiſſis igitur breviter iis, quæ Summi Pontifices ſæpius hac in re ſtatuerunt, nonnulla, in quibus apud Nos frequentius peccatur circa hujuſmodi Canonicas leges, reprobare noſtri erit officii.

II. Bona quæcumque tum immobilia, tum mobilia pretioſa, ac ſeſe moventia vendere, alienare, vel quomodocumque obligare, ſine beneplacito Apoſtolico nemo præſumat ſub pœnis (5) ſacrorum Canonum, Conſtitutionumque Pontificiarum. Duo hic emendanda in noſtra hac Diœceſi: alterum, quo ſæpe, aut ſuper juribus Eccleſiæ perpetuis ſervitus aliqua imponi-

(1) C. inter alia *de Immunit. Eccl.*, & *cauſ.* 17. *qu.* 4., *Greg. XIV. Conſt.* Cum alias 1589.

(2) *Greg. XIV. cit. Conſt.*, *Benedictus XIII. Conſt.* Ex qua, *Clem. XII. Conſt.* In ſupremo, *Bened. XIV. Conſt.* Officii 1749.

(3) *Levit.* 27. 28.

(4) C. cum ſecundum *de præben.*

(5) C. Nulli *de reb. Eccl. non alienan.*, *Extrav.* Ambitioſæ *eod. t.*

ponitur, aut tranſactio aliqua initur ſuper bonis ad Eccleſiam aliquo modo ſpectantibus, licet nondum poſſeſſis, ſeu incorporatis; (utroque enim caſu beneplacitum Apoſtolicum obtinendum eſſe ſancivit Sac. Conc. Cong. (1) ſub pœnis contra alienantes) alterum quo nonnunquam cum clauſula *reſervato Apoſtolico beneplacito*, *quatenus opus ſit*, hujuſmodi alienationum contractus ineuntur; niſi enim realiter, & cum effectu (2) idem beneplacitum prius acceſſerit, pœnas in alienantes latas neutiquam quis effugiet.

III. Cum alienationis nomine comprehendatur etiam locatio (3) ultra triennium, declaramus nomine triennii intelligi tres fructuum annos, ita ut ſi quolibet biennio fructus percipiantur, poſſint bona ad ſex annos, quibus trina fructuum collectio perficitur, ſine Apoſtolico beneplacito (4) locari, eademque ratione de novenniis eſt definiendum. Caveant tamen locatores, ne hujuſmodi locationum contractus repræſentata pecunia, & anticipata ſolutione in præjudicium ſucceſſorum privata auctoritate ineant; eas enim Concilium Tridentinum (5) nullas, & invalidas declarari voluit. Sub eadem nullitatis (6) pœna, aliiſque gravibus arbitrio noſtro imponendis vetamus locationes hujuſmodi, multoque magis in Emphyteuſim conceſſiones fieri poſſe propinquis, aut affinibus uſque ad tertium gradum incluſive beneficiariorum, Rectorum, adminiſtratorum, vel Patronorum etiam per ſuppoſitas perſonas, vel nomina, niſi expreſſa noſtra licentia acceſſerit, quam ſolum impertiemur, quoties in evidentem Eccleſiarum, locorumve piorum utilitatem cedere dignoverimus.

IV. Volumus etiam, & mandamus, ut hæ locationes, (7) etiam ad triennium, ne fiant, niſi propoſitis publicis Edictis, dataque omnibus libera conducendi poteſtate, pro reperienda melioris offerentis conditione. Oblationes autem aperiantur coram Capitulis, ſi bona ad Canonicos, Beneficiarioſque de Reſidentia ſpectent, aut coram Vicariis locorum, ſi vel Parochialis Eccleſiæ, vel Beneficiorum ſimplicium, vel Confraternitatum, aliorumve Piorum locorum bona ſint, atque ad extinctionem candelæ plus licitanti decernatur locatio cum fidejuſſione idonea, quoties oblator ſolvendo minus par cenſeretur. Si ſecus fiat Canonicus, Rector, Beneficiarius, ſive adminiſtrator gravem pœnam pecuniariam arbitrio noſtro taxandam luet in beneficium ejuſdem Eccleſiæ cujus bona, hac non ſervata forma, locavit; ad quam pœnam etiam per inquiſitionem proceſſuros Nos eſſe decernimus.

(1) *S. C. C. in Albanen.* 11. *Jun.* 1698., & *in Aſculana* Beneplaciti 14. *Febr.* 1699.
(2) *Urb. VIII. Conſt.* Humanæ.
(3) *Extravag.* Ambitioſæ *cit.*
(4) *Rot. in Tiburtin.* Affictus 19. *Jun.* 1648.
(5) *Trident. ſeſſ.* 25. *de Ref. c.* 11.
(6) *Alex. VII. Conſt.* Suprema 23. *Apr.* 1657.
(7) *Syn. Sublacen. Barberini* 1674. *c.* 29. *n.* 7.

V. Ubi autem beneplacitum Apoſtolicum, vel noſter in caſibus permiſſis conſenſus acceſſerit ad Emphyteuticas locationes ineundas, hæc exacte mandamus ſervanda. Primo locari non poſſint Parochorum, ſeu (1) Rectorum domus, ac prædia ipſis Eccleſiis vicina. II. Dividi non poſſit prædium in plures (2) portiones minores, ut exinde quælibet reducantur ad minorem valorem infra ducatos quadraginta. III. Si bona fuerint Canonicatuum, vel Beneficiorum de reſidentia, totius Capituli (3) conſenſus accedat, omneſque (4) capitulares proprio nomine conſenſum in ſcriptis præſtent, ſub pœna irriti contractus, & pecuniariæ multæ arbitrio noſtro in locantem, beneficio capitularis menſæ applicandæ. IV. Ne quidquam pro primo, ut ajunt, ingreſſu (5) recipiatur, ex quo juſtus annui Canonis valor decreſcat. V. Fiant locationes abſque renovationis ſpe (6), adiectaque ſemper lege, ut bona ipſa cum ſuis membris, juribus, & pertinentiis, nec non melioramentis quomodolibet factis pleno jure ad Eccleſias, locaque pia revertantur, conceſſionis tempore expleto. VI. Apponatur etiam clauſula renovandi inſtrumentum ſingulis quindenniis ſub caducitatis (7) pœna, etiamſi primus Emphyteuta vivat. VII. Apponatur etiam conditio, ut nullo prætextu, titulo, vel colore hujuſmodi bona in rerum familiarium diviſionibus, aut dotium aſſignationibus, aut rei Emphyteuticæ venditione, aut aliter quomodocumque (8) in plures portiones dividi poſſint per ſchedulas, inſtrumenta, vel terminorum appoſitiones, quos, ſicubi reperiantur, tolli mandamus. VIII. Apponatur tandem conditio, ut quando bona prædicta, quocumque titulo, etiam de Eccleſiæ, ſeu Rectoris conſenſu, in alienas manus tranſeunt, ſemper intelligantur expreſſa pacta omnia, & conditiones, ac lineæ, ſeu generationum nominationes in primo inveſtituræ inſtrumento enunciata; utque poſt lapſum quinquaginta annorum Emphyteutæ, non pii loci, onus ſit lineæ durationem probare. Has omnes conditiones, & clauſulas, etſi expreſſæ non forent, hac noſtra perpetua conſtitutione ſubaudiendas mandamus, tanquam de eſſentia, & natura contractus, eaſque a Cancellariis noſtris apponendas in quolibet reſcripto, ſeu decreto hujuſmodi inveſtiturarum.

VI. Si quando obtento beneplacito res Eccleſiaſtica debeat in Emphyteuſim concedi, onus ſit Cancellarii noſtri ſub pœna remotionis ab officio, & re-

---

(1) *S. C. C. in Parmen. 7. Oct. 1602. ad 3.*

(2) *S. C. C. ibid. ad 1. approban. Clem. VIII.*

(3) *S. C. Ep. in Aprutin. 26. Mar. 1602., & ex can.* ſine exceptione 12. *qu.* 2., *& c.* ut ſuper *§. fin. tit. de reb. Eccl. non alien.*

(4) C. irrita *de his, quæ fiunt a Prælat.*

(5) *Conc. Rom. 1725. tit. 29. c. un. §. 11.*

(6) *Id. Conc. l. c. §. 1.*

(7) *S. C. Ep. in Januen. 12. Febr. 1597., Syn. Sacchetti pag. 98., Syn. Sermatth. pag. 130.*

(8) *Ex Syn. Sublacen. cit. num. 9.*

& refectionis damnorum Eccleſiis obvenientium diligentem efformare inquiſitionem ſuper evidenti Eccleſiæ utilitate per examen teſtium, & relationem peritorum, aut per alias legitimas, & idoneas probationes. Teneatur tam peritos, quam teſtes monere, ut veritatem deponant, nihil gratiæ, aut favori tribuentes; alias (1), præter falſi, & perjurii reatum, cujus abſolutio Nobis eſt reſervata, ipſi tam teſtes, quam periti noverint, ſe teneri ad reſtitutionem damni, quod inde Eccleſiæ, vel loco pio eveniret. Curet etiam idem Cancellarius ſub pœnis præfatis, ut in peritorum relatione minutiſſime indicentur nomen, ſitus, quantitas, qualitas, ac confines rei locandæ, ut ejus identitas, & fines nunquam in controverſiam venire poſſint. Sin autem ea locatio vicinis facienda ſit, præter ſupradicta, ac terminorum appoſitionem, mandamus elevari plantam Geometricam per peritos cum menſuris omnibus, & in proceſſu apponi. Omnia hæc deinde in Inſtrumento accurate exprimantur, cujus exemplar in Archivo noſtro Epiſcopali ſervetur. Idem proportionali ratione obſervandum mandamus, circa Inſtrumentorum renovationes.

VII. Beneficiarii omnes, & Adminiſtratores, domos, atque ædificia pro viribus conſervent, atque in neceſſariis reficiant; vineas, oliveta, & prædia, ſi locata non ſint, excolant, ac manuteneant; bona Emphyteutica nonnunquam inviſant, ſeduloque explorent, an rite cuſtodiantur, & pacta melioramenta efficiantur; vigiles ſint in exigendis annuis Canonibus, cenſibus, ac laudemiis, ne ex incuria exigendi obſoleſcant, aut jus præſcribatur; arbores frugiferas, aliaſque non cæduas incidere ne præſumant (2), abſque neceſſario beneplacito, ſub pœnis contra alienantes, ſi alicujus pretii eæ forent, vel exinde fundus notabiliter deterioraretur. Arbores vero infrugiferas, aridas, immo & nocivas incidere poſſint cum noſtra tamen licentia, dummodo aliæ ſubrogentur (3) in aptiore loco frugiferæ; ac poſtremo renovationes Inſtrumentorum ſtatutis temporibus curent; & ſi bona in manus mortuas (4) tranſierint, quolibet quintodecimo anno quindennium, & Inſtrumentum renovationis exigant. Qui in his negligens fuerit, tam ipſe Beneficiarius, & adminiſtrator, quam eorum hæredes teneantur de proprio damnum Eccleſiæ rependere, ex decreto in Appendice relato Num. XII.

VIII. In Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis eligantur ſingulis (5) annis

(1) *Syn. 1. Muti pag.* 116.
(2) *Rot. par.2. recentior. deciſ.* 553.
(3) *S. C. C.* 29. *Jul.* 1684. *ap. Card. Petra ad Conſt.* 5. *Paul. II. tit.* 19. *Sect.* 2. *n.* 15.
(4) *S. C. E. in Ceſenat.* 25. *Maii* 1646., *&* *in Caſſin.* 24. *Jul.* 1654. *ap. Nicol. v.* Emphyteuſis *num.* 6.
(5) *Syn.* 1. *Brancat. p.* 30., *Syn.* 6. *ejuſd. p.*24.

annis duo, qui bona Eccleſiæ, eorumque fines viſitent; maxime agros culturæ addictos, in quibus perfaciles ſunt terminorum avulſio, finium, ac limitum ſciſſio, & cum finitimis confuſio, ac præterea ex pluviarum inundantium copia, ni opportunis aggeribus cohibeantur, totius agri devaſtatio; & ſi quod invenerint aut in præfatis, aut in cultura damnum, expeditis remediis ex officio reparent, indicta Nomine noſtro in Capitulares collecta pecuniarum, quæ ad damnum reparandum erit neceſſaria. Si electi muneri ſuo defuerint, damnum bonis Eccleſiæ proveniens eo anno rependere teneantur de proprio.

IX. Hæc pariter (1) extendenda mandamus in Sacriſtas, aliorumque piorum locorum adminiſtratores, qui ſi ſuo per annum officio durante ab hac viſitatione ſe abſtinuerint, vel Sacriſtiæ, locive pii canones, & reditus adhibitis omnibus diligentiis exigere non ſategerint, eos etiam pro inexactis rependere de proprio hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione mandamus. Sin vero Sacriſtæ, aut adminiſtratores juxta cujuslibet loci pii inſtitutum, aut conſuetudinem, plus uno anno in officio permanerent, ea, quæ mandavimus, ſingulis ſaltem trienniis ſub præfata pœna, aliiſque pecuniariis arbitrio noſtro eidem loco pio applicandis exequi teneantur. Huc revocamus alias a nobis ſancita circa adminiſtrationem pii legati q. Dominici Guglielmini in Terra Balneariæ juxta reſolutiones Sac. Conc. Congr., quas, ne temporum injuria intercidant, dabimus in Appendice ſub numero XIII.

X. Ne temere quidquam fiat in faciendis Emphyteuticis locationibus ſine beneplacito Apoſtolico, ex quo bona ſolita ſint ab antiquo in Emphyteuſim concedi, hæc neceſſario advertenda admonemus; nempe, tum dici *rem ſolitam ab antiquo concedi*, quoties præceſſit una locatio ſolemnis, vel duæ ſine ſolemnitatibus (2) cum quadraginta annorum ſpatio. Nunquam tamen iterum locari poteſt ſine ſolemnitatibus, ſi fuerit Eccleſiæ (3) incorporata, ſicut & illicite locaretur ſub prætextu ſolitæ conceſſionis ab antiquo, quoties ſolitum (4) alteraretur, vel in duratione temporis, vel in additione perſonæ diverſæ, vel in canonis diminutione. Abſque his qualitatibus initæ locationes hujuſmodi etiam cum antiqui ſoliti prætextu pœnas alienantium non effugient; ac proinde multabimus eos, qui in his locationibus, cum antiquo ſolito ineundis, Vicarii Noſtri aſſenſum in ſcriptis (5) cauſa cognita non exquiſierint.

XI. Ve-

(1) *Tit. de Offic. Sacriſtæ, Syn. 3. Branc. p. 5.*
(2) *Rot. par. 5. recent. deciſ. 367. num. 18. & pluries.*
(3) *Rot. in Mediolanen.* Bonorum 25. *Jan.* 1593. *cor. Orano.*
(4) *Ead. par. 5. cit. n. 22., & par. 8. deciſ. 39., & par. 13. deciſ. 191.*
(5) *Syn. 3. Branc. pag. 12.*

XI. Verum non alienatio ſolum, ſed & oppignoratio vaſorum aureorum, argenteorumvc, veſtium pretioſarum, atque ornamentorum, aliorumque mobilium ad Eccleſiam ſpectantium pari jure prohibetur (1), excommunicatione ſcilicet latæ ſententiæ, tam in oppignorantes ſine Apoſtolico, vel noſtro in caſibus permiſſis conſenſu, quam in pignus recipientes, etiam Montium Pietatis Maſſarios, ſeu adminiſtros, cujus cenſuræ abſolutio Sedi Apoſtolicæ in pignoribus magni valoris; in modici vero valoris pignoribus nobis reſervatur. At qui non bona Eccleſiæ, ſed utilitatem, ſeu commodum percipiendi fructus Beneficii venderet, vel ad vitam, vel ad longum tempus, recepta ab emptore per unam, vel plures ſolutiones pecuniæ quantitate, vitæ venditoris probabiliter reſpondente, ex definitione Apoſtolicæ (2) Sedis ſubditur excomunicationis, & nullitatis actus, ſeu contractus, & omnium inde conſecutorum, aliiſque pœnis contra alienantes bona Eccleſiaſtica præſcriptis, & ſtatutis.

XII. In reſtitutione ſortis Cenſuum ſacris, ac piis locis Nobis ſubjectis debitæ, pecunia illico in Monte Pietatis deponatur, (3) exhibita cedula in Actis Cancellariæ noſtræ; nec inde auferatur ea pecunia quovis prætextu, niſi cum, novo inito cenſu, aliove contractu (de noſtra tamen licentia ſub pœna ſcutorum quinquaginta (4) ſemper obtinenda) in bonis ſtabilibus iterum collocanda erit, ſub pœna excomunicationis latæ ſententiæ (5) Nobis reſervata in Beneficiarios, Adminiſtratores, & in Notarios, qui eam pecuniam poſt hac apud ſe retinuerint depoſitam. Excipimus Moniales, quæ ſub eadem pœna in Ærario Monaſterii eam reponere poſſunt. Ubi Pietatis Mons non adeſt, deponatur penes idoneam, & fidam perſonam a Vicario foraneo approbandam; alias deponentes ad damnum, ſi quod evenerit, tenebuntur. Eamdem latæ ſententiæ excomunicationem Nobis reſervatam (6) intorquemus in ſubripientes, infringentes, aut lacerantes, Proceſſus, Inſtrumenta, Apochas, Inventaria, aliaſque cujuſcumque generis ſcripturas, ad Noſtram Cancellariam, Menſam Epiſcopalem, Eccleſias, ac pia loca utcumque ſpectantes, vel librum aliquem ad utriuſque noſtræ Cathedralis Bibliothecas pertinentem; eamdemque Cenſuram ſubeant, qui eas, eoſve apud ſe detinent, niſi infra quindecim dies Nobis, vel Rectoribus, aut Cuſtodi reſpective reſtituent; quive aliquas Scripturas, aut Codices ad Eccleſias

---

(1) *Lambertin. Inſt. 69. per tot.*

(2) *Bened. XIV. Conſt.* Univerſalis 1741.

(3) *Syn. 3. Branc. p.10., Syn. Sacchetti p.99., Syn. Sermatth. pag. 132.*

(4) *Syn. 6. Branc. pag. 31., Syn. Sacchetti l. c. Syn. Sermatth. pag.133.*

(5) *Ex cit. Syn.*

(6) *Syn. 1. Muti p.121., Syn.2. ejuſd. p. 20., Syn. Sermatth. p.133., & 164. Syn. Albati pag. 84.*

cleſias, vel loca pia ſpectantes occultant, ſeu detinent, niſi infra idem tempus reſtitutionem perfecerint.

XIII. Quum frequens ſit bonorum, ſeu canonum Eccleſiis debitorum uſurpatio, ut, qui bona Emphyteutico, vel libellario nomine detinent, vel diſtrahant, vel occultent in ſuæ ipſorum Animæ perniciem, & Eccleſiarum detrimentum, volumus per inſequentia decreta remedium apponere. Ac primo quidem præcipimus Parochis (1), ut quarta Adventus, & Quadrageſimæ Dominica, ac ſæpius infra annum, quum frequentior eſt populus, poſt lectum vernaculo ſermone ſummarium Bullæ in Cœna Domini, teneantur etiam pervulgare Italice redditum caput XI. Conc. Trid. ſeſſ. 22. de Reform. contra occupantes quaſcumque obventiones piis locis applicandas &c.; quod Caput una cum præfato Summario Italice damus in Appendice Num. I. §. II. Deinde in Notarios quoſcumque renovamus pœnam a Prædeceſſore noſtro Cardinali Muti editam (2) ſcutorum ſcilicet viginti quinque, ſi in alienationibus, permutationibus, adjudicationibus, ceſſionibus, aut dotium aſſignationibus ſtipulati fuerint Inſtrumenta ſuper bonis Eccleſiarum, locorumve piorum Emphyteuticis, niſi unico contextu Beneficiarius, Rector, aut Adminiſter Eccleſiæ proprietariæ interfuerit, & conſenſum præſtiterit; quin poſſint ab ea multa (quam in beneficium ipſiuſmet Eccleſiæ, ſeu præbendæ, cujus erunt bona, applicari, & inveſtiri volumus) ſe eximere, ſub appoſitione clauſulæ *reſervato conſenſu, aut beneplacito*. Tertio tandem ſub pœna decem aureorum, ut infra, applicandorum mandamus, per Capitula, Rectores, Beneficiarios, locorumve piorum Adminiſtratores, ac Monialium deputatos, renovanda Inſtrumenta recognitionis in Dominum contra quoſcumque Emphyteutas, aut Cenſuarios, ſi primus inveſtitus, Cenſor, aut fidejuſſor ſupremum diem obierit, aut fundus Emphyteuticus in alienas tranſierit manus; in quibus quidem renovationibus, quantum fieri poteſt, antiquæ inveſtituræ fines, & qualitas; tum ſi quæ alia interceſſerunt Inſtrumenta; ac poſtremo præſens ſtatus, nomina, quantitas, qualitas, & fines minutiſſime recenſeantur. Ad hanc rem peragendam, & ad Inventarium, ut infra, deſcribendum terminum aſſignamus ſatis comodum inſequentis videlicet anni 1764.

XIV. Sub alia igitur ſimili pœna decem aureorum, quos in Civitate Tuſcanellæ illius Cathedralis Bibliothecæ, ex Civitate autem Viterbii, ac Diœceſi, hujus Cathedralis Bibliothecæ applicamus, aliiſque pœnis etiam cenſurarum in ſubſidium, ad tramites noviſſimi Conc. Rom. mandamus, infra

fra

(1) *Syn. Montilj pag.*189., *Syn.*1.*Muti p.*114., *Syn.*1. *Branc. pag.*31., *Syn. Sermattb. p.*128. (2) *Syn.*2. *Muti pag.* 19.

fra menſem Decembris proxime futuri anni, per quæcumque Capitula, Rectores, Beneficiarios, Confraternitates, Monaſteria, aliaque pia loca, quomodocumque nuncupentur, conficiendum exactiſſimum Inventarium omnium bonorum, jurium, canonum, decimarum, & quorumcumque redituum, atque obventionum, ſe moventium, & rerum etiam male alienatarum, ſeu uſurpatarum, nec non onerum Miſſarum, aut quorumcumque aliorum tam realium, quam perſonalium onerum. In quo quidem inventario (1) accurate deſcribantur, ſi fieri poſſit, omnes fundationes, & erectiones; tum antiquus ſtatus ex Inſtrumentis, veteribus Inventariis, aliiſque documentis concinnatus; tum præſens ſingulorum bonorum ſtatus, nomina, quantitas, qualitas, & moderni fines cum recens renovato inſtrumento enucleentur; addita in fine Inventarii clauſula, quod per illud nulla ratione Eccleſiæ, piove loco præjudicium creetur, ſi forte alia bona non enunciata adeſſe apparuerit. Duplex fiat hujuſce inventarii exemplar; alterum in Archivo ejuſdem Eccleſiæ, aut pii loci aſſervetur; in quo Archivo etiam beneficiorum ſimplicium, legatorumve piorum, etiam de Jurepatronatus ipſi Eccleſiæ addictorum Inventarium ſimile reponatur; alterum vero ad Archivum Cleri in Cathedrali noſtra Viterbienſi cum legibus per Nos præſcribendis erigendum deferatur; quo exinde generale Cataſtum omnium Eccleſiaſticorum bonorum efformetur in Curia noſtra Viterbienſi aſſervandum.

XV. Ne autem in re tantæ neceſſitatis, ac negotii, ignave, aut deſidioſe (ut alias factum eſt) procedatur, mandamus omnia hæc inventaria ab iis, quos librorum cenſores in hac Synodo deputavimus, vel ſaltem a duobus ex iis, accurate recognoſci, & ſubſcribi; eorumque conſcientiam oneramus, ſi favore, vel gratia ducti, aliquod cujuſcumque inventarii caput (ſeu, ut vocant, *partita*) non ad ſupraſcriptam methodum minutiſſime concinnatum approbarint. Sine ſubſcriptione autem horum cenſorum, quodcumque Inventarium, tanquam non legitime conſtructum, neque in Archiva, neque in Cancellariam noſtram recipiatur, & qui illud detulerit, pœnam pecuniariam ſupra taxatam ſubeat, perinde ac ſi Inventarium nullum confeciſſet. Ad idem Cleri Archivum deferatur etiam ſub eadem pœna Inventarium, ſeu Index omnium Librorum in utraque Bibliotheca Cathedralium noſtrarum exiſtentium, qui Index per Bibliothecarium conficiatur, & ſubſcribatur, addita enumeratione librorum, qui forte, facta collatione cum antiquis indicibus, deeſſe dignoſcentur.

XVI. Inventarium etiam infra idem temporis ſpatium, & ſub eiſdem

R pœnis

(1) *Conc. Rom. 1725. tit. 12. cap. 1., & 2., noſtræq. Syn. fere omnes.*

pœnis conficiendum mandamus omnium, & ſingulorum ſupellectilium, vaſorum, & ornamentorum ad præfatas Eccleſias, & loca pia pertinentium; nec non omnium Reliquiarum in Eccleſia exiſtentium; tum etiam Scripturarum, & Codicum in Archivis Eccleſiaſticis aſſervatorum. Ea autem Inventaria, ſicut & librorum Bibliothecæ Index ſingulis Annis ſubſcribantur a Sacriſtis, Camerariis, Archivi, & Bibliothecæ cuſtodibus reſpective, qui capitulariter ad ea munera obeunda deſignabuntur, facta obligatione integræ, & fidelis traditionis ſucceſſori faciendæ in fine cujuſcumque anni. Si quis aſſumpto officio intra quindecim dies Inventarium non ſubſcribet, pœna trium aureorum ut ſupra applicanda multabitur.

CAPUT QUINTUM

De Miſſarum Oneribus, ac Legatis piis.

I. E*Xterminabitur anima illa de populis ſuis, quia Sacrificium Domino non obtulit tempore* (1) *ſuo*. Horribile piaculum, quo nonnulli propriæ ſalutis immemores comedunt ſacrificia mortuorum, Animas Fidelium piacularibus flammis addictas debitis ſuffragiis fraudantes, dum eleemoſynis, reditibuſve per eas, dum viverent, relictis, lætanter fruuntur, adigit Nos, ut de Miſſarum oneribus, legatorumve piorum ſatisfactionibus opportuna decreta ſtatuamus ad cohibendam vigili noſtra ſollicitudine, ac juſtitia horum injuſtitiam nefariam, antequam Deo juſto Judici, & vindici tanti criminis exactiſſimam reddant rationem.

II. In primis mandamus Miſſarum onera Beneficiis, legatiſve piis adnexa ſtatutis diebus, & ad Altare a Teſtatore ſtatutum implenda eſſe. Inter hæc Miſſam Parochialem diebus feſtis pro populo, Conventualem quotidie pro Benefactoribus in genere, ut ſuis locis dicemus, applicandas. Præterea in Cathedralibus, & Collegiatis (ut veteris erat (2) inſtituti) optaremus, ut ſaltem diebus feſtis per Chori Præfectum fieret Miſſarum diſtributio in temporum intervalla. At omnino ſervandum præcipimus, ut per turnum, cujuſcumque Sacerdotis beneficium de reſidentia poſſidentis, ſucceſſive, & per ordinem onus ſit, feſtis diebus Miſſam ultimam media ante meridiem hora celebrare, dato per aliquot campanæ pulſus certo ſigno, ut fidelibus innoteſcat; indicta in eum, qui per ſe, vel per Subſtitutum hoc munus non obiret, multa duorum juliorum (3) in beneficium Sacriſtiæ. Eamdem multam

(1) *Num.* 9. 13. *Syn.* 4. *ejuſd. pag.* 11.
(2) *Syn. Montilj pag.* 98., *Syn.* 2. *Branc. p.* 2., (3) *Syn.* 2. *Branc. pag.* 2., *Syn.* 8. *ejuſd. p.* 14.

tam ſolvat etiam ille, qui poſt Concionem tempore Adventus, & Quadrageſimæ, etiam diebus ferialibus, ultimam Miſſam in Tabella deſcriptus non celebraret. Ab hoc tamen ultimæ Miſſæ ſucceſſivo onere exemptos volumus infirmos, abſentes, atque eos, qui ex officio, ad excipiendas fidelium Confeſſiones obligantur. Excipimus & eas Eccleſias, in quibus alia ratione huic ultimæ Miſſæ proviſum eſt.

III. Diebus etiam ſolemnioribus hortamur Canonicos omnes, ac Beneficiatos de reſidentia peragere ſacrum in propria ſolum, non (1) in aliena Eccleſia; quo videlicet diei ſolemnitati frequentior Miſſarum numerus reſpondeat, & propriæ Eccleſiæ ſplendidior cultus appareat. Die autem ſolemni ejus Sancti, cujus titulo inſignitur Eccleſia etiam Parochialis, (præter titulum, ob præcipuam ſolemnitatem in Cathedrali noſtra Viterbienſi, quoad hoc adjungimus Feſtum translationis SS. Martyrum Valentini, & Hilarii) ne dum hortamur, ſed etiam diſtricte præcipimus, ut omnes, & ſinguli, qui beneficium, vel præbendam, ſive de reſidentia ſit, ſive ſimplex, in ea Eccleſia obtinent, per ſe, aut ſi legitimo impedimento detenti fuerint, per alium Sacerdotem, hoc obſequii tributum illi Eccleſiæ, Sanctoque Titulari præſtent, ut ibi Miſſam peragant, vel pro onere beneficii, ſi ea die tenentur, vel ad libitum applicandam. Onus ſit ea die Sacriſtæ, vel Rectoris Eccleſiæ, ita præfatas Miſſas diſtribuere, ut ab illuceſcente die ad meridiem uſque extendantur, appenſa tribus ante diebus in Sacriſtia diſtributionis deſcriptione; & pœnam ab inobedientibus exigere, quam in ipſius Sacriſtiæ beneficium taxamus in dimidia ceræ albæ libra ſolvenda ab eo, qui ſibi aſſignatam horam præverterit pro libito, & in libra una ſolvenda ab eo, qui ad celebrandum dicta die non acceſſerit. Excipimus pariter ab hac diſtributione ſupra memoratos Confeſſarios, abſentes, & (2) infirmos, circa quos tamen ſervatam volumus antiquam conſuetudinem hic vigentem, ut ad onus Conventualis Miſſæ (3) teneantur ſupplere per alium, ſi per ſe non poſſint.

IV. Ut onera Miſſarum exacte recognoſcantur, veſtigiis alterius ex Prædeceſſoribus (4) noſtris inhærentes, Reviſorum Congregationem iterum erigemus per publicum Edictum cum obſervationibus, & inſtructionibus opportunis in noſtra Civitate Viterbii. Hi deputati Reviſores, noſtra auctoritate ordinaria in hac parte fungentes, tam Tabellas in Sacriſtia affixas, quam, ubi non ſunt, affigendas recognoſcant, corrigant, & approbent.

(1) *Ex iiſdem Syn.*
(2) *Syn. 6. Branc. pag.* 21.
(3) *Syn.* 7. *Brancat. pag.* 5., *Syn. Sermattb. pag.* 168.
(4) *Edict. b. m. Epiſc. Abbati ann.* 1742.

Ad Tabellæ tramites libros Miſſarum deſcriptos videant, ac Miſſas, quæ forte deeſſent, menſe Januarii cujuſque anni colligant, appoſitis in libro terminis congruis, & quoad ejus fieri poteſt, brevioribus ad eas remittendas; exhibita etiam in Curia noſtra ſimili Miſſarum deficientium, & terminorum aſſignatorum notula, ut poſt elapſum terminum præſcriptum, niſi per moroſos exhibeatur Reviſorum documentum de ſatisfactione, deveniatur illico ad ſequeſtrationem fructuum abſque alia monitione. Quocirca jubemus ſub pœna aureorum trium piis locis applicandorum ſolvenda, per Sacriſtas, Rectores, alioſve Eccleſiarum adminiſtratores, intra Januarii menſem cujuslibet anni exhiberi reſpectivis cujuſque Eccleſiæ Reviſoribus librum Miſſarum anni antecedentis, ac præterea novam extenſionem onerum anni labentis, ut iidem Deputati inquirant, an ea cum tabella concordet, & concordantem ſubſcribant.

V. Hæc, quæ ſanximus pro noſtra hac Civitate, peragantur etiam Tuſcanellæ, ac in quolibet Diœceſis loco per Vicarios noſtros, qui, adſcitis ſibi uno, alterove ex Sacerdotibus peritis, hanc reviſionem auctoritate noſtra conficiant, terminos præſcribant, & in moroſos per ſequeſtrationem procedant, propoſita eadem pœna in eos, qui negligentes forent ad libros præfato menſe exhibendos. Deputatorum autem, & aliorum per Diœceſim reviſorum conſcientiam gravatam volumus, ſi amore, vel gratia, vel alia ulla humana affectione, veritati, & juſtitiæ quidquam detrahent, & Edicto per Nos promulgando aliqua in parte non ſe conforment in proprio munere exequendo. Interim ſuſpenſionem a Divinis ipſo jure, aliaſque etiam corporales (1) arbitrio noſtro pœnas confirmamus in eos, qui in libro Sacriſtiæ Miſſas non celebratas doloſe adnotarint. Eamdem ſuſpenſionis pœnam ipſo facto incurrendam (2), juxta Urbani VIII. Bullam, declaramus in eos, qui auſi fuerint recipere eleemoſynas manuales, etiam ſponte oblatas, niſi prius ſatisfecerint, vel infra breve tempus ſatisfacere poſſint propriis oneribus, vel niſi offerens eleemoſynam conſenſerit dilationi Miſſæ poſt propriorum onerum ſatisfactionem.

CA-

(1) *Syn. Albati pag.* 35.

(2) *Ap. Syn.* 7. *Brancat. pag.* 7.

CAPUT SEXTUM

De Sacris Proceſſionibus, Funeribus, ac Sepulturis.

I. ASCENDERE *feci principes Juda* (1) *ſuper murum, & ſtatui duos magnos choros laudantium*. Ritum ſupplicationum Sacrarum, quas Proceſſiones appellamus, jam inde a veteri lege adumbratum, a ſuis uſque primordiis (2) ſacravit, & in uſu habuit Eccleſia. Eas igitur, quæ ex Eccleſiaſtico Inſtituto, vel laudabili de more haberi conſueverunt, non omittendas mandamus. Novas autem, ſine noſtra licentia, etiam exempti (3) indicere, & habere non poſſint per civitates, & loca ſub graviſſimis pœnis. Privatas Proceſſiones, quas Nos, vel Prædeceſſores noſtri etiam Regularibus faciendas conceſſimus, (4) transferri ad aliam diem, aut viam ſemel electam immutari pro eorum libito (5) prorſus vetamus. Exemptos etiam commonitos volumus, non licere ſibi in ſuis proceſſionibus ducere, aut puellas habitu fictitio Angelorum, aut Bizzocheras, aut alias feminas cum ſuis veſtibus ordinariis, Eccleſiaſticorum cœtui, aut proceſſioni intermixtas, ſed tantum (6) in loco ſolito aliarum mulierum; qua in re, facultate Nobis in exemptos procedendi tributa utemur, ſi, quod aliquando factum eſt, mulieres cum cereis accenſis ante Reliquiam, vel ſtatuam in proceſſione circumferri ſolitam, poſt, aut infra Regularium ſeriem, etiam ſub Sanctenſium, aut Prioriſſarum nomine, incedere permiſerint; aut ſi in Monialium Eccleſias, etiam eorum regimini ſubjectarum (7), proceſſiones, prætextu etiam conſuetudinis, inferent, aut introducent.

II. Ad conſuetas publicas Proceſſiones, quibus in hac Civitate (præter eas, quæ in Feſto SS. Corporis Chriſti, & in Litaniis majoribus, & minoribus ex Eccleſiæ inſtituto habentur) etiam ex conſuetudine, & Civitatis voto, adjungimus illam, quæ die undecima Junii cum reliquiis SS. Martyrum Valentini, & Hilarii fieri mos eſt, omnes de Clero ſeculari intereſſe teneantur, ſub ſolita punctatura unius julii perſolvenda a Dignitatibus, & Canonicis, ac Beneficiatis de reſidentia favore Sacriſtiæ ejus, cui adſcripti ſunt,

(1) 2. *Eſdr.* 12. 31.
(2) *Baron. in not. ad Martyrol. 7. Kal. Mar.*, *Durand.*, *Gretſerus &c.*
(3) *S. R. C. pluries, & præcip. in Eiboren.* 28. *Mar.* 1628., *& in Squillacen.* 9. *Mar.* 1693.
(4) *S. R. C. in Hiſpalen.* 3. *Sept.* 1695., *&* 21. *Jul.* 1696.
(5) *Ead. in Belcaſtren.* 28. *Apr.* 1690., *& in Quiten.* 1. *Sept.* 1696., *Syn. Sermatth. p.* 35.
(6) *S. C. Ep. ap. Nicol. in Floſc. v.* Proceſſio *num.* 8.
(7) *S. C. E. in una Olivetanor.* 27. *Mar.* 1602., *& in Piſauren.* 24. *Nov.* 1617. *ap. eund. Nicol. num.* 19.

ſunt, Eccleſiæ; reliqui vero Clerici, ac Sacerdotes (1) abſentes, qui quodcumque Beneficium etiam ſimplex in hac Civitate, vel Diœceſi poſſident, eamdem multam modo infra dicendo Sacriſtiæ Cathedralis applicandam ſubibunt, reſervata nobis etiam per cenſuras procedendi (2) poteſtate, ſi contumacius parere recuſarint. Abſentes autem cenſentur etiam, & multæ obnoxii, qui incipiente Proceſsione, cum in Litaniis canitur *Sancta Maria* non aderunt in choro ejus Eccleſiæ, unde inchoatur ſupplicatio; quive in Eccleſia, ubi deſinit, non aſſiſtunt precibus, & benedictioni (ſi danda ſit) cum Sanctiſſimo Sacramento, aut Reliquiis. Si poſt Proceſſionem ſequatur (ut in Litaniis majoribus, & minoribus) Miſſa conventualis, etiam huic intereſſe tenentur ſub conſuetæ punctaturæ pœna.

III. Major tamen multa indicta eſt in eos ex ſeculari Clero, qui, vel die Sanctiſſimi Corporis Chriſti, vel in pervigilio S. Roſæ, proceſſioni non interſunt abſque ulla ex legitimis cauſis, quæ a chori excuſant ſervitio, a Nobis probanda; quam multam in Edicto quotannis publicato taxatam in ſuo robore permanere ſemper volumus. Eam autem multam extendimus in eos, qui licet proceſſioni interſint, attamen, vel illi jam inchoatæ ſeſe in via comites adjungunt, vel, antequam terminetur, ſeſe a ſupplicatione ſubducunt; mandantes, omnes, & ſingulos præſto eſſe debere in choro Eccleſiæ una cum cæteris ad Proceſſionis initium, & una cum cæteris fini ejus adeſſe, donec vel Benedictione, vel antiphona, & oratione reſpective a digniore ex Clero (ſi Sacerdos in ſacris paramentis non adſit) unice, & ubique decantanda compleatur; alias præfatam multam, tanquam abſentes ſubibunt.

IV. Regulares autem, qui ultra dimidium (3) milliare a Civitate non diſtant, exceptis iis, qui privilegio eximuntur, ad conſuetas Litaniarum, & Sanctiſsimi Corporis Chriſti Proceſsiones, nec non ad alias ob publicam cauſam a Nobis indictas, vel per (4) Edictum, vel per Cleri Camerarium moniti, & vocati (5) intereſſe tenentur, per Nos, ſi renuant, etiam compellendi. Eoſdem etiam monitos volumus, teneri accedere hora condicta ad Eccleſiam, unde inchoatur, & aſsiſtere precibus, ſeu benedictioni in Eccleſia, (6) ubi terminatur Proceſſio. Si autem Regularis Parochiali Eccleſiæ præſit, hunc quoad ea, quæ animarum curam reſpiciunt, &, regulari obſer-

(1) *S.C.C. in* Nullius *Altamur.26.Mar.1678., & Lambertin. Inſt.* 31.
(2) *Ead. in Surrentin. 6. Aug.* 1689.
(3) *Cong. partic. ſub Urb. VIII. 27. Jul.* 1638. *ap. Pignatel. tom.* 1. *Conſ.* 122.
(4) *Ap. Monacell. tom.1. tit.5. form.7. n.23.*
(5) *Trident. ſeſſ.* 25. *de Reg. c.* 13. *S. C. C. in Neapolitan.* 11. *Nov.* 1724., *& S. R. C.* 27. *Jul.* 1609. *in Ferrarien.*
(6) *S. R. C. in Siracuſan.*, *& in Piſauren. ap. Pignat. tom.*3. *Conſ.*45. *n.*31., *Syn. Sermatib. pag.* 37.

obſervantia unice (1) excepta, quoad reliqua Parochorum ſecularium propria, juriſdictioni, ac punitioni noſtræ immediate ſubjectum, tam ad (2) Synodum, quam ad Proceſſiones publicas obligatum volumus, quocumque privilegio Ordini generaliter conceſſo, aut conſuetudine non obſtantibus. Ipſe autem Regularis (3) parochus digniorem locum cedere debet aliis Parochis ſecularibus; unico excepto caſu, ſi Regularis fuerit Eccleſiæ Matricis Parochus, ſecularis autem Eccleſiæ ſubjectæ; tunc enim, juxta Sac. Rit. Congr. decreta, Regularem Parochum ſeculari præferendum mandamus.

V. Parochos in omnibus proceſſionibus ſtola ampliore ex aurea lamina inſignitos incedere debere volumus, eam deferentes tanquam eorum proprium, & honorificentiſsimum ſignum, quo diſcernantur ab aliis. Si abſque legitima cauſa a Nobis probanda abſuerint, multam alias ſancitam (4) trium juliorum Sacriſtiæ Cathedralis applicandam ſubibunt. Inter parochos incedere volumus ſtolam deferentes etiam parochos amovibiles ad nutum (5); immo & eorum Œconomos, ſeu ſubſtitutos in locum defunctorum, infirmorum, ſeu abſentium parochorum a Nobis (6) ſuffectos, ſi quando eo tempore proceſsiones haberi contingeret; modo tamen hi amovibiles, aut ſubrogati ultimum inter Curatos perpetuos obtineant locum. Quoad præcedentiam tamen inter perpetuos Parochos ſervandam, renovamus antiqua (7) noſtrarum Synodorum decreta juris (8) diſpoſitioni conformia, ut nempe (excepto S. Mariæ Novæ Rectore, cui digniorem vetus conſuetudo aſſeruit locum) cæteri juxta antianitatis ordinem, quo ad parochiale munus aſſumpti ſunt, præcedant; ſi quis vero una parochiali dimiſſa aliam obtinuerit, ni privilegio muniatur retentionis ſtalli, ad inſtar Canonicorum ad novas præbendas tranſeuntium, ad ultimum locum, tanquam recens (9) adlectus, deſcendat.

VI. Quod attinet ad Confraternitates, præter ſolemnem SS. Corporis Chriſti proceſſionem, aliaſque, quæ die S. Marci, & undecima Junii Viterbii habentur, etiam ad eam ſupplicationem obligantur, quæ (10) Fer. II. Paſchatis ad B. Mariæ ſupra Quercum nuncupatæ templum ex antiquo, ſolemnique hujus urbis ritu quotannis fieri conſuevit. Hiſce igitur ſupplicationibus, & ſi quæ aliæ ſunt ex antiqua per Diœceſim conſuetudine peragen-

(1) *Bened. XIV. Conſt.* Firmandis 1744.
(2) *Bened. XIV. de Syn. lib. 3. c. 5. n.2.*
(3) *S.R.C. 27. Febr. 1723. ap. Pitton. par. 3. diſcept. 57. num. 14.*
(4) *Syn. Sacchetti p.75., Syn. Sermatth. p. 36.*
(5) *S.C.C. in Comen. 27. Mar. 1706. ap. Monacell. ſupplem. ad 3. tom. n. 105.*
(6) *S.C.R. 20. Jan. 1691. ap. eumd. l. c. n.106.*
(7) *Syn.1. Muti pag. 151., Syn.4. Branc. p. 14.*
(8) *S. R. C. in Aſten. 21. Mar. 1609.*
(9) *Ead. 21. Mar. 1609. in Callien., & 11. Jun. 1701. in Sutrina* præcedentiæ.
(10) *Syn. Montilj pag. 50.*

agendæ, aut ob publicum bonum, honoremque a Nobis indicentur, intereſſe teneantur, ſub redacta (1) ad minimam taxam pœna in abſentes librarum decem ceræ, in beneficium Sacriſtiæ Cathedralis, vel Matricis reſpective, ab Officialibus perſolvenda. Pro abſentibus autem habebuntur, ſi condicta hora in numero ſaltem duodecim confratrum cum ſuis ſaccis, & vexillis aliqua Confraternitas non aderit in templo, unde inchoatur Proceſſio; ita ut juxta ordinem ſucceſſivum præſto non ſit in loco ſibi proprio ad progrediendum cum aliis. Vetamus prorſus, ſub ea, ac graviore pœna ut ſupra applicanda, per aliquam ſocietatem, ſi ſerius accedat, interſecari jam progredientem ſupplicationem, ut locum ſuum occupet; unde fit crebro, ut reliqua pars Fidelium, & Clerus conſiſtere debeant diutius, non ſine aliquo confluentium faſtidio, atque ordinis, & devotionis perturbatione. Vetamus etiam, tam in hiſce proceſſionibus, quam in funeribus, ab aliquo ex confratribus indui, vel exui ſaccum in via, aut in templis; ſed omnes ab Oratorio Confraternitatis induti exeant, eoque pariter induti revertantur, ſub pœna carceris in contrafacientes; qua etiam puniemus eos confratres, qui elata voce loquentes, aut riſibus, & jocis ſe oblectantes, aut cum ſaccis in tabernas vinarias divertentes, minus congruam ſacræ functioni præſeferent modeſtiam. Onus ſit Officialium, nomina hujuſmodi irreligioſorum ad Nos deferre, alias in ipſos ſimili, vel graviore pœna animadvertemus.

VII. Quas pro Sacriſtia Cathedralis pœnas in hoc capite taxavimus, eas exigere teneatur ejuſdem Cathedralis Cæremoniarum Magiſter, cui onus imponimus abſentes notandi, eorum nomina ad Curiam noſtram deferendi, & multæ taxatæ executionem procurandi, collata eidem tertia ejus multæ parte, tum in mercedem laboris in exigendo, tum in aliquod (2) ſui officii emolumentum, juxta Cæremonialis monitum. Idem Magiſter tres, quatuorve in ſolemnioribus (3) Proceſſionibus adſciſcet ſocios, vel ex ſimplicium Sacerdotum, vel ex Clericorum cœtu, ut ſibi videbitur, quos ad dirigendas ſupplicationes adhibebit. Ab horum monitione; & nutu Clerus noſter pendeat, monitiſque morem gerat. Idem Cæremoniarius ad Nos nomina deferat eorum, qui ab ipſo moniti munus ſubſtituti detrectarint, aut eorum, qui ſubſtitutorum monitionibus parere recuſarint.

VIII. Triumphalem præ cæteris ſupplicationem in Feſto SS. Corporis Chriſti, quam maxime ſolemnem, & honorificentiſſimo apparatu inſtructam volumus. Ad eam Dignitates, Canonici, & Parochi cum intorticiis; reli-

(1) *Syn. Montilj p. 43. S. C. Ep. in Viterbien. 9. Dec. 1586., & alias pluries ap. Ferraris in Biblioth. ver.* Confraternitas *art. 3. n. 14.*

(2) *Cærem. Ep. Bened. XIII. lib. 1. c. 5. n. 8.*

(3) *Cærem. l. 2. c. 32., Syn. Sermatth. pag. 35., Syn. Abbati pag. 25.*

reliqui inferiores (1) Sacerdotes cum cereis, Clerici in minoribus cum candelis accenſis confluant. Cereos etiam geſtantes confratres adveniant. Magiſtro Cæremoniarum, ſubſtitutiſque curæ ſit, ne laici, aut curiales, quibus hinc, & inde a Cleri ſecularis lateribus (2) locus eſt aſſignatus, intermixti cum Sacerdotibus incedant. (3) Viæ omnes a ſordibus purgatæ floribus conſpergantur. Feneſtræ, & parietes ſtragulis, vel aulæis ornentur. In feneſtris, aut præ foribus (4) mulieres ne ſe præbeant conſpiciendas; ſed, niſi ſupplicationi ſe adjungant, domi incluſas ſe contineant, & abditæ, ac eo, quo decet, religioſæ pietatis ardore ſuccenſæ Regem Regum, ac Dominantium Dominum adorent, & ſubmiſſæ revereantur. Poſt umbellam, ſeu baldachinum frequens ſit populus; at viri a feminis ſemper ſecernantur ſub gravibus pœnis etiam carceris; eaque ſecretio in cæteris ſupplicationibus etiam Regularium omnino ſervetur.

IX. Nocturnas omnes (pervigilio S. Roſæ excepto) ſupplicationes omnino vetamus, aliarum (5) Synodorum Decreta, gravioreſque in ſanctenſes arbitrio noſtro pecuniarias pœnas confirmantes. Bombardarum, aut breviorum ſclopetorum exploſiones, & equeſtrium hominum obequitationes in proceſſione, quæ Viterbii in honorem SS. Salvatoris in parochiali S. Mariæ Novæ Eccleſia peragitur, tota legis diſtrictione interdicimus. Homines, qui equo inſidentes, juxta antiquum morem, ad eam confluunt, omnino arma ne deferant ad concipiendum ignem fabricata. Recta via ad fores templi accedant, & a loco ante proceſſionem aſſignato nunquam deflectant, per urbem, quaſi facto agmine, circumcurſantes. Si ſecus (6) egerint, etiam per inquiſitionem procedemus, & pœnis pecuniariis, carcere, vel exilio arbitrio noſtro inobedientes puniemus. Idem ſancitum eſto per Diœceſim, ſicubi forte idem abuſus invaleat.

§. Alter

De Funeribus, & Sepulturis.

X. Ne in morte quidem, quæ rerum finis eſt omnium, lites, ac contentiones finem habent. Plurima igitur hac ſuper re ſtrictim nobis ſunt decernenda, ut plurimis, quæ in dies erumpere ſolent, occurramus contro-

S verſiis;

(1) *Syn. Montilj pag.* 43.
(2) *Syn.* 1. *Muti pag.* 46.
(3) *Syn. Montilj pag.* 43.
(4) *Syn. Montilj loc. mox cit., Syn. Abbati p.*25.
(5) *S.C. Immunit. in Soanen.* 2. *Dec.* 1698. *ap. Ricc. in Synopſ. v.* Proceſſio, *Criſpin. par.*2. §. 25. *n.* 6.

verſiis; id univerſim ſtatuentes, ut ſiquid in poſterum evenerit, quod noſtris legibus, aut rationabili conſuetudine dirimi non poſſit, id, quoad ejus fieri poterit, cohærenter ad ſtatuta Cleri Romani per Curiam noſtram decidatur; quæ ſtatuta in iis, quæ noſtris mandatis, aut conſuetudini non adverſantur, vim legis habere debere jubemus.

XI. Statim ab obitu cujuſcumque fidelis ſignum detur per campanam parochialis Eccleſiæ, per quod excitentur fideles ad preces pro illius anima fundendas. Si poſt primam noctis horam ſequatur mors, campanæ ſignum non detur (1), etiam in Regularium Eccleſiis, uſque ad novam illuceſcentem diem. Parochiæ propriæ jus (2) funerandi, ac ſepeliendi competit. Ubi quis dum viveret duo habuit domicilia, & in utroque (3) æqualiter ſe collocaverat, præferatur in funere faciendo ea, ſub qua deceſſit parochia; obventio autem, de qua mox, æqualiter dividatur inter ambos Parochos. Eadem obventionis diviſio fiat inter parochum ruralem, & urbanum, ſi quis villicus rure domicilium habens, & in urbe ægrotans, ab urbano Rectore extrema Sacramenta, & morientium pia ſolatia receperit; ad quæ Sacramenta miniſtranda quemlibet Rectorem urbanum adſtrictum volumus, tam quoad ruricolas, quam quoad peregrinos, & exteros in propria ejus Rectoris parochia decumbentes, ſi parochus morientis proprius præſto non ſit; & ob laboris eleemoſynam pro Sacramentis, atque aſſiſtentia exhibitis dimidium obventionis parocho proprio competentis recipiat. Parochum autem exterorum, & peregrinorum proprium, juxta conſuetudinem, vocamus Parochum Cathedralis, ſi intra (4) ſuæ moræ menſem in Civitate objerint; niſi legitimis probationibus (non vero conjecturis) probetur, exterum illum revera domum in aliqua parochia conduxiſſe ad incolendum. Idem ſancimus ſi exteri in Regularium cœnobiis hoſpitentur, ibique (5) moriantur, quos, niſi ſepulturam elegerint, ad Cathedralem ſpectare decernimus, etiam menſe elapſo.

XII. Poſt parochialem idem edat ſignum per campanas Eccleſia, apud quam tumulatur cadaver. Tumulandi vero ſunt extra parochialem Dignitates, Canonici, aliique de reſidentia beneficiarii, quibus privative quoad ſepulcrum etiam majorum, ſepultura danda eſt in propria, cui adſcripti ſunt

(1) *Syn. 3. Branc. pag.8., Syn. Sacchetti p.90., Syn. Sermatth. pag.89.*

(2) C. ex parte, *c.* in noſtra *de ſepult.*, & *c.* animarum, *c.* is qui *eod. in 6.*

(3) C. cum qui *de ſepult. in 6. Syn. Sermatth. pag. 97.*

(4) *S. C. Ep. in Fulginat. 5. Jul. 1592. ap. Sperell. dec.87., S.C.C. in Piſauren. 15. Jun 1651. Syn. Sacchett. p. 92., Syn. Sermatth. pag.92., Syn. Abbat. pag.75.*

(5) *S. C. C. in Ripana 3. Febr. 1652., in Ravennat. 20.Jan. 1674., in Gerunden. 3.Febr. 1694., ap. Card. Petra tom. 2. in Conſt. 9. Innoc. III. num. 49.*

ſunt Eccleſia; modo (1) hæc ſepulcrum habeat ſeparatum pro Presbyteris, & Clericis. Si quis autem ex his Canonicis, Beneficiatiſque de reſidentia apud aliam Eccleſiam, vel in ſepulcro majorum ſepulturam elegiſſet, adhuc tamen exequiarum functiones in Eccleſia beneficii perſolvantur ſuper cadaver; quibus expletis, addictiſque eidem Eccleſiæ omnibus funeris obventionibus, per hæredes advocatis Eccleſiæ tumulantis Rectore, vel Regularibus, apud quos ſepultura electa foret, ſecreto, & cum duabus laternis cadaver ab exequiali Eccleſia ad tumulantem transferatur; niſi novam funeris pompam defunctus indixiſſet. Idem ſervetur circa parochos extra propriam Eccleſiam tumulandos.

XIII. Nullum etiam parochiali jus competit tumulandi eorum cadavera, qui ſepulcrum habent (2) majorum, etiamſi infantes (3) forent. Mulier, quæ pluribus viris fuerit copulata, quamvis ab obitu ultimi viri habitationem (4) mutarit, domumque paternam redierit, nihilominus in ſepulcro ultimi viri condenda eſt; *ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum ſepulcrum*; tametſi forte ſepulcrum majorum haberet. Si autem uxor non electa ſepultura, & adhuc ſuperſtite marito ſuo decedat, tumulanda eſt in ſepultura mariti, ſi hic (5) propriam habeat, aut eam jam determinarit, ſeu elegerit; ſin minus in ſepulcro majorum ipſiuſmet uxoris, aut ſi non habeat, in propria (6) parochia.

XIV. Excipiuntur etiam a parochiali ſepultura ii, qui puberes (7) ſepulturam ſponte elegerunt; quæ electio, vel per teſtamentum, aut codicillum etiam invalidum, vel per duos teſtes etiam ſingulares, vel per dictum ſolius etiam parochi, aut confeſſarii (8) eſt probanda; ſemelque facta hujuſmodi (9) electio, donec, vel expreſſe, vel tacite, non revocetur, vim habet etiamſi poſt eam diu vixerit eligens. Cavendum eſt tamen, ne parochus, vel confeſſarius (10) ad proprium commodum teſtetur. Eadem ratione teſtes (11) adſcripti ne ſint Eccleſiæ, quæ eligitur; ſicut & ad teſtimonium ferendum ex antiquis noſtris conſtitutionibus non admittimus eos, qui ſunt de eligentis familia, vel ipſius affines, & conſanguinei uſque ad

(1) *S. C. Ep. in Foroſempron.* 1. *Sept.* 1690.
(2) *C.* Nos inſtituta *de ſepult.*, & *c.* cum quis, & *c.* is qui *eod. in* 6.
(3) *S. C. C. in Novarien.* Funerum 15. *Mar.* 1704. *ad* 1.
(4) *Can.* Ebron 13. *qu.* 2.
(5) *S. R. C. in Senogallien.* 15. *Jan.* 1633. *ap. Panimoll. dec.* 5. *adnot.* 3. *n.* 32.
(6) *C.* Nos inſtituta, *c.* ex parte, *c.* in noſtra *de ſepult.*, & *eod. in* 6.
(7) *Cit. c.*, & *c.* Fraternitatem, *c.* cum liberum &c. *de ſepult.*
(8) *S. C. C. pluries*, & 13. *Febr.* 1666. *ad* 1.
(9) *Ead. S. C. C. decr. cit.* 1666. *ad* 3.
(10) *Ead. decr. cit. ad* 1.
(11) *Syn. Sacchetti p.* 95., *Syn. Sermatth. p.* 94.

ad quartum gradum. Horum autem Teſtium depoſitio (1) ſit, non ſuper propoſito eligendi, ſed de vera, &, ut vocant, effectiva electione; quæ ſi facta dicatur per nutus, & ſigna, neceſſe eſt, ut hi nutus, quando eligens loqui non poteſt, ſufficienter indicent eligentis voluntatem (2).

XV. Infantes nutricibus (3) ad alendum traditos; carceri ad tempus mancipatos (4) in cuſtodiam (ſecus de damnatis ad carcerem perpetuum); adoleſcentulos, qui ſtudii cauſa (5) extra domum propriam habitant; famulos, qui apud Dominos degunt, ſed (6) in alia parochia domum pro uxore, ac familia propria conductam habent; & educandas, quæ (7) in civitate domicilium paternum, aut fraternum habent, non ad parochiam, ſub qua forte obierint, ſed ad parochiam, ubi proprium, vel paternum, fraternumve habent domicilium, pertinere decernimus. Excipimus puellas in Conſervatorio Orphanarum, aut expoſitas, ſupra quas, utpote alimenta, & dotem a Conſervatoriis recipientes, & paterno domicilio derelicto, illius quodammodo loci pii (8) filias effectas, volumus per omnia, tam in funeribus, quam in matrimoniis, ejus Parochiæ jus extendi, ſub qua Conſervatorium ſitum eſt, ut hactenus fuit ſervatum.

XVI. Sine noſtra licentia (9) nova ſepulcra extruere pro humandis defunctis, aut pavimenta excavare nemini liceat ſub pœna ſcutorum viginti. Quæ vero Nobis annuentibus, conſtruenda forent, intus opere fornicato extruantur, ac lapideo operiantur (10) integumento, quod ſepulcrali ori undique apte cohæreat, & reliquo Eccleſiæ pavimento adæquetur; atque is lapis circumcirca ita diligenter calce obſtruatur, ut nullus inde fætor egredi poſſit. In quibuſcumque parochialibus Eccleſiis aliud ſeorſim ſepulcrum ſit pro Eccleſiaſticis, aliudque pro parvulis ſeptennio minoribus (11) cum Baptiſmo decedentibus, a cæteris adultorum ſepulcris ſeparatum. Fœtus in ventre matris exiſtens, tanquam viſcerum ejus pars (12), cum matre ſepeliatur. Cadavera autem infantium, qui ſine Baptiſmo moriuntur, non in Eccleſia, ſed juxta, & prope illam in loco ad id ſpecialiter conſtituto (13) condantur. Sepulcrum hoc pro non baptizatis in unaquaque matrice per Diœceſim; Viterbii autem propter ejus amplitudinem in omnibus ſaltem Colle-

---

(1) *S. C. C. in Viglevaven.* Funerum 18. *Mar.* 1744., & 27. *Jul.* 1744.
(2) *S. C. C. decr. cit.* 1666. *ad* 6.
(3) *Addit. ſtatut. Cler. Rom.* §.7., *Lambertin. Inſt.* 105. *num.* 56.
(4) *Ex eod. ſtatut. c.* 3. *lit. f.*, & *S. C. C. in Firſen.* 26. *Mar.* 1707.
(5) *Ibid.*
(6) *Id. ſtatut.*, & *Lambertin. Inſt.* 33. *n.*17.
(7) *Inſtr. tit.* 4. *cap.* 4. *num.* 8.
(8) *Lambertin. Inſt.*33. *num.*14.
(9) *Syn. Sacchetti pag.* 91., *Syn. Abbati p.*75.
(10) *S. Pius V. Conſt.* Cum primum 1566.
(11) *Ritual. Rom.*
(12) *Gl. in can.* Eccleſiam *de conſecr. diſt.* 1.
(13) *Syn. Sublacen.* 1674. *c.*78. *num.*9.

Collegiatis Eccleſiis (ſicubi non adeſſet) omnino infra bimeſtre extruatur præ foribus, aut in aliquo prope Eccleſiam pervio latere, ſub pœna decem aureorum. Præſtaret tamen, ut in unaquaque parochiali hoc conditorium efformaretur.

XVII. Nemo ſive Parochus, ſive alius quivis etiam Regularis (1) ſub pœnis per ſacros Canones ſtatutis, aliiſque arbitrio noſtro, ſepelire audeat in loco ſacro eos, quibus eſt Eccleſiaſtica ſepultura deneganda. Hujuſmodi ſunt Infideles, Hæretici, Judæi, Schiſmatici, eorumque fautores, publice excommunicati, & denunciati, notorii uſurarii, raptores, meretrices (qui nullo dato contritionis ſigno impœnitentes obierint) qui in ſingulari certamine occiſi ſunt, vel qui crudeli manu mortem ſibi intulerunt; ac denique ii omnes, quos recitat Rituale Romanum tit. de exequiis, attente, ubi caſus occurrerit, perlegendum. In iis tamen caſibus nihil, niſi Nobis conſultis, decernant Parochi. Horum cadavera ſordide contecta ita longe ab Eccleſia terræ mandentur, ut inde Clericorum divina canentium voces exaudiri non poſſint.

XVIII. Cadaver antequam ad Eccleſiam efferatur decenter ad modeſtiæ leges indutum ſit; vel ſi miſeræ ſortis homo fuerit, linteo ſaltem obvolvatur; vanas vero pompas prorſus ſuper cadaveribus interdicimus. Clericorum in Sacris corpora non (2) aliud habere poſſunt indumentum, quam ſuo Ordini reſpondens; unde neque regulari, neque cujuſcumque pii ſodalitii habitu indui permittat Parochus. Sacerdotum autem manibus (3) vetamus aptari calicem, ſed omnibus Presbyteralibus indumentis veſtito cadavere, manus, vel in formam Crucis ſupra pectus, vel hinc, & inde extenſæ collocentur; contrarium abuſum quoad hoc penitus improbantes. Sacras veſtes cum defuncto tumulandas exhibeat Eccleſia, niſi proprias ille habuerit; at hæredes tantundem Eccleſiæ reſtituant; niſi tanta defunctus egeſtate preſſus fuiſſet, ut aliunde veſtiri non poſſet.

XIX. Pauperum defunctorum cadavera (4) gratis omnino efferantur, & pro defuncto (5) Canonico, vel Beneficiario de reſidentia, ſi hæredes pauperes forent, Capitulum ipſum decentis funeris expenſas faciat ſub decem aureorum pœna. Nihil etiam exigi permittimus (6) pro aſſociatione cujuſcumque ex Eccleſiaſtico cœtu in Sacris conſtituti; & apprime commendamus,

(1) *Clement.* 1. *de ſepult.*, *& c.* Quicumque *de Hæret. in 6.*

(2) *Edict. Clem.XI. 9. Jan.1705., Syn.Abbati pag.* 74.

(3) *Conc. Prov. Beneventan.* 1693. *cap.* 18., *Syn. Fulginaten., & ex can.* nemo per ignorantiam *de conſecr. diſt.* 1. *ap. Urſaya tom.*7. *par.* 2. *diſc.* 31. *cap.*23. *de funer.*

(4) *Rit. Rom. tit. de exequiis* §. Pauperes.

(5) *Syn. Montilj pag.*145., *Syn.*1. *Branc. p.*24.

(6) *Ex ead. Syn. Montilj p.* 145., *Syn.* 1. *Muti pag.* 148.

damus, & auctoritate noſtra confirmamus etiam fraternæ pietatis conſuetudinem, qua pro parentibus Sacerdotum de Clero tumulandis nihil exigatur. Cujuſcumque gradus autem ſit pauper defunctus, haud quaquam permittimus, ut corpus ſepulturæ mandetur, niſi una ſaltem Miſſa (1) pro ipſius anima celebretur ſaltem ex eleemoſynis per pias perſonas collectis. Id curæ incumbat Parocho, qui fideles ad hoc ſuffragium præſtandum cohortetur. Incumbat & Officialibus Oratorii S. Crucis, qui, ex eleemoſynis per urbem colligi per eos ſolitis reſervato ſemper ad hanc rem ſtipendio, unam ſaltem Miſſam curent celebrandam pro anima ſingulorum in hoſpitali morientium, ea ipſa die, qua cadavera tumulantur.

XX. Quantum poſſumus etiam hortamur, & monemus, accurate retinendam piiſſimam conſuetudinem, ut in obitu Sacerdotis (quem vocant de Clero) univerſus Cathedralium, (2) Collegiatarum, ac Parochorum cœtus in noſtris Civitatibus, totius autem oppidi per Diœceſim Clerus conveniat in exequiarum juſtis perſolvendis, & ejus funere (ubi in uſu eſt) ducendo, nullius mercedis intuitu, etiam ſub eleemoſynæ prætextu; omneſque de gremio ejus Eccleſiæ, cui defunctus, dum viveret, adſcriptus erat, teneantur, vel per ſe, vel per (3) alium unam Miſſam pro anima fratris ſui defuncti celebrare, *quæ* (4) *notetur in libro, ut illis, qui hoc pietatis officium non prætermiſerint, metiatur eadem menſura, qua ipſi aliis menſi fuerint, juxta Euangelicum axioma*. Parochi etiam fratribus ex eorum gremio defunctis idem præſtent.

XXI. Subdiaconi (5) Subdiaconum, Diaconum Diaconi, ac Presbyteri Presbyterum efferant. Optaremus proinde, ut Canonici Cathedralis noſtræ, jus qui exequiarum Cappellanis Beneficiariis (6) ceſſerunt, in fratris ſaltem defuncti funere ducendo convenirent; id enim videtur expoſcere arctior charitatis fraternitas, per quam non modo, dum vivunt, mutua amoris pignora alter alteri exhibeant, ſed & decedentibus reliqui ſuperſtites impenſius ſuffragiorum auxiliis opitulentur. Tum vero ſi noſtrum in funeribus adſit Capitulum, nedum alia Crux erigi (7) non poſſit, & ad Cathedralem Eccleſiam cuncti ad funus evocati, etiam Parochus ipſe defuncti convenire (8) debeant, ut exinde ad mortui domum procedatur; ſed & Parochus defun-

---

(1) *Rit. Rom. tit. c. Lambertini Inſt.* 36., *Syn. Abbati pag.* 75.

(2) *Syn.* 1. *Muti p.*148., *Syn.* 1. *Brancat. p.*24., *Syn.* 7. *Branc. p.* 7., *Syn. Sermatth. p.* 95.

(3) *Cit. Syn.* 7. *Branc.*

(4) *Cit. Syn. l. c.*

(5) *Syn.* 1. *Muti pag.* 148. *ex Cærem. Ep.*

(6) *Syn.* 8. *Branc. pag.* 18.

(7) *S. R. C. in Foſſanen.* 21. *Jul.* 1645. *ap. Monacel. tit.* 5. *form.* 7. *n.* 37., & *in Æſina* 29. *Jan.* 1671.

(8) *S. R. C. in Viterbien.* 25. *Jun.* 1611. *ap. Pignatell. tom.*3. *conſult.* 51. *num.*6.

defunćti ſtolam geſtans eidem integro Capitulo digniorem (1) cedat locum, aliamque ſtolam dignior, qui aderit ex eodem Capitulo, a collo pendentem deferat.

XXII. Si Capitulum Cathedralis, vel ejus loco Beneficiatorum cœtus collegialiter non adſit, conveniant (2) omnes ad Parochialem defunćti Eccleſiam, tam Regulares, apud quos tumulandum eſſet cadaver, quam Confratres ad funus invitati; ejuſque Crux deferatur (3) Eccleſiæ, ad quam defunćtus ſepeliendus effertur. Liberum tamen cum ſit (4) Regularibus expećtare cadavera in janua propriæ Eccleſiæ, eo caſu Crucem Parochialis defunćti erigendam mandamus. Confraternitates ad funus advocatæ ſex ſaltem confratrum numerum præter eos, qui loculum geſtent, & intorticia, cum faccis mittant; alias funerali (5) obventione priventur. Interim, dum funus convocatur, & progreditur uſque ad tumulantem Eccleſiam, dumque in ea Eccleſia Miſſa pro defunćto cantatur, permittimus campanarum lugubrem ſonitum; at præter id tempus campanas (6) pulſari diſtrićte inhibemus.

XXIII. Ad tollendas de præcedentia controverſias, ſi quando alii, atque alii e Sacerdotibus ad funus advocentur, præcipimus, ut tam Canonici, quam Beneficiati, niſi collegialiter, ſed uti ſinguli incedunt, geſtare (7) non poſſint Almutium, aliave inſignia, ſed tantum ſuperpelliceum, & inter cæteros præcedant juxta Sacerdotii antianitatem. Si autem Collegialiter ſub ſua Cruce incedunt, tum quibuslibet aliis inferioris ordinis præcedant, ſuique Collegii (8) inſignia deferant; Beneficiatique cum ſuo Capitulo, nullo interjećto, conjungantur. Monitum volumus Parochum, ut, ſi quando alii Sacerdotes non invitantur ab hæredibus ad funus, ſecum ſemper deferat Sacerdotem ſimplicem, vel Clericum, cum quo (9) alternatim poſſit Pſalmos concinere.

XXIV. Diu, nunquam nočtu (10) ad Eccleſiam cadavera efferantur. Si quando autem (11) hæredibus ad majorem luminum pompam veſpertina hora arrideat, licentia noſtra, vel Vicarii noſtri accedat, depoſita tamen prius eleemoſyna ſcuti unius aurei applicanda Monaſterio Convertitarum in Civi-

(1) *Ex eod. decr. S. R. C.*
(2) *S. C. Ep. plur., & in una Civ. Caſtell.* 16. *Apr.* 1723. *ad* 2.
(3) *S.C.C. pluries, & in Aquen.* 9.*Jun.* 1708. *ad* 13.
(4) *S. C. Ep. in cit. Civ. Caſtell. ad* 6.
(5) *Syn. Sermatth. pag.* 98.
(6) *Syn. Montilj p.*143., *Syn.* 3. *Branc. p.* 8.
(7) *S. C. Ep. in Piacentin.* 2. *Maii* 1659., & 10.*Nov.*1662. *ap. Pignatell. tom.* 3. *conſ.* 50. *S. R. C.* 12. *Sept.* 1705. *in Aretin.*
(8) *Pignatell. l. c.* §. ad 2.
(9) *Lambertin. Inſt.* 36. *num.*24.
(10) *S.C.C.* 15.*Mar.*1704.,& *Edićt. Clem.XI.* 9. *Dec.* 1704. *Syn.* 1. *Branc. p.* 24., *Syn. Sermatth. pag.* 90.
(11) *Syn. Abbati pag.*74.

Civitate Viterbii; aliis vero in locis; piis aliis operibus arbitrio noſtro addicenda. Multo magis (adjecta trium aureorum pœna in Parochum ſecus facientem, vel permittentem) vetamus privatam delationem cadaverum, juxta abuſum nuper invectum, & jam Bononiæ reprobatum, eruditiſque (1) rationibus convulſum a S. M. Benedicto XIV., cum eum Archiepiſcopatum adminiſtraret, videlicet cum aliquibus laternis, & Parocho pallium ſupra cottam gerente; aut ſi infantis baptizati cadaver ſit, capſula incluſum ſub veſtibus etiam clara luce occultatum deferendo. Siqua in privatis hiſce delationibus ſubſit cauſa, ea ad Nos deferatur, quæ ſi rationabilis erit, opportunum Nobis ſuggeret remedium. Sub eadem etiam pœna vetamus Parochis aſſiſtere delationi cadaveris in curru, cujuſcumque dignitatis, aut gradus (2) foret, abſque eadem noſtra licentia, quam nemini ad hanc vanam pompam tribuemus, niſi decem depoſitis aureis in beneficium Bibliothecæ Cathedralis noſtræ.

XXV. Taxam jam præfinitam in Synodo habita anno 1724. una cum ceteris ad funus ſpectantibus confirmamus, ea ſolum adjecta cautione, vetitum eſſe quidquam amplius ob aſſociationem cadaveris exigere (3) ab exteris, quam a civibus; aut ab iis, qui in aliena (4) Eccleſia tumulantur, quam qui in parochiali. Eadem æqualitate taxanda ſunt funera cadaverum (5) tumulandorum in Confraternitatibus, cum hæc major ſtipendii exactio turpe lucrum redoleat, & quodammodò liberam ſepulturæ electionem impedire videatur. Si quando autem in noſtris civitatibus, vel in Diœceſi ea taxa minus congrua, aut minus rationabilis videretur, committimus Capitulo noſtro Viterbienſi, ut recurrentium rationibus rite perpenſis ad conficiendam juſtam, rationabilemque taxam procedat, quam Nobis exhibitam, ad Sacram Concilii Congregationem approbandam (6) tranſmittemus. Addimus hic, non poſſe a Capitulis exigi taxatum ſtipendium, niſi in número ſaltem quatuor (7) ad aſſociandum cadaver accedant; alias portionem ſimplici parochiæ ſtatutam dumtaxat lucrentur.

XXVI. Quarta funeralis ſemper (8) reſervata ſit Parocho, eaque tollenda eſt de omnibus intorticiis, funalibus, cereis, aut candelis, quæ tum in

(1) *Lambertin. Inſt. 36. a num.20.*
(2) *S. C. E. 13. Jul. 1646., 26. Febr. 1649., & 15. Febr. 1658., Edict. cit. Clem. XI., & S. C. decreta ap. Card. Petra tom. 2. relat. a Lambertin. cit. Inſt. 36. num. 26.*
(3) *S. C. C. 27. Maii 1617. in Syn. Sacchetti pag. 92.*
(4) *S. C. Ep. pluries ap. Nicol. V.* Sepultura *n. 24. & 25.*
(5) *S. C. Ep. in Mileten. 25. Jul.1606., & in Piacentin. 24. Nov. 1713. ad 3.*
(6) *S. C. C. in* Nullius, *ſeu Montis Caſin. 26. Jan. 1726. ad VIII.*
(7) *Syn. 8. Brancat. pag. 18.*
(8) *Benedict.XIII. Conſt.* Romanus Pontifex *1725., Syn. Abbati pag.75.*

in aſſociatione, tum in expoſitione cadaverum etiam in altaribus accenduntur die funeris, vel alia die, ad quam funus differtur, quoties ad aliam a Parochiali Eccleſiam etiam Regularium deferretur cadaver. Detracta quarta pro Parocho defuncti, quod reliquum erit inter tumulantem Eccleſiam, ac Confraternitatem, ſeu Confraternitates funus aſſociantes æqua lance duabus factis portionibus dividatur ex funalibus in aſſociatione accenſis. Quæ autem in exequiis circa cadaver accenſa erunt, ea nulla in parte Confratribus debeantur; ſed ſola quarta reſervata pro Parocho defuncti, cætera ad tumulantem Eccleſiam ſpectent. Si inter duas parochiales agatur res, ut una ſit Eccleſia, *a qua*, altera Eccleſia, *ad quam* cadaver effertur, tum de funalibus, ac candelis altarium tam aſſociationis, quam exequiarum utraque Eccleſia (juxta antiquiſſimam hujus Diœceſeos (1) conſuetudinem, cui vim legis ineſſe decernimus) æqualem partem habeat, detracta ea, quam pro aſſociatione Confratribus debitam ſanximus. Si in parochiali propria Eccleſia tumuletur cadaver, tum detracta pro Confraternitate funalium aſſociationis quarta parte, & dimidia, cætera omnia tumulanti Eccleſiæ cedant. Oratorium S. Mariæ de Roſis Viterbii, cum jus non obtinuerit adſcribendi conſorores, interdictum volumus ab aſſociatione mulierum defunctarum.

XXVII. Morem in aliquo Diœceſeos oppido invectum reprobamus, quo (expletis exequiis) ex intorticiis, vel cereis circa cadaver accenſis alterum uni, alterum alteri ſacello addicatur. Salvis igitur, ſi quæ circa hoc vigerent, concordiis legitima authoritate initis, inhærentes communi conſuetudini, probatiſque Sacræ Congregationis (2) decretis edicimus, omnia funalia in funere accenſa, eo, quo ſupra retulimus, modo inter Parochum, Confraternitatem, ac tumulantem Eccleſiam ubique locorum dividenda. Unum hoc hæredibus liceat, mittere cum defuncto candelas, vel intorticia extincta donanda huic, vel illi Confraternitati, aut ſacello, modo *duplum eorum deferatur accenſum*; unde ſi (3) ex extinctis duo deferantur, debeant accenſa eſſe quatuor. Excipiuntur tantum ab hac diviſione cerei, quos forte aliqua Confraternitas afferret de proprio in tumulatione pauperum confratrum; niſi enim ſubſit (4) fraus aliqua, quod ex iis cereis poſt funus ſupereſt, totum Confraternitati reſtituatur.

XXVIII. Cadavera ne ante viginti horas (5) ab obitu terræ mandentur. Si qui autem improviſa morte obierint, & in morte mulierum in partu decedentium, quarta ſupra vigeſimam expectetur hora, ſub pœnis in alia Syn-

 odo

(1) *Syn. 1. Muti p. 150., Syn. Sermatth. p. 97.*
(2) *S. C. Ep. 14. Oct. 1598. ap. Nicol. v.* Sepultura *num. 22.*
(3) *Ferraris in Biblioth. v.* Candelæ *n. 22.*
(4) *S. C. Ep. pluries ap. Ferr. l. c. n. 21.*
(5) *Syn. Abbat. pag. 76.*

odo ſtatutis. Ante ſepulturam, invitis hæredibus, cadaveri nihil detrahatur ex ſudariolis, velis, aliiſque (1) ornamentis, ſuper quibus neque Parocho, neque confratribus, neque Eccleſiæ tumulanti jus aliquod competit. Qui ſecus fecerit, pœnis contra ſpoliantes funus ſtatutis teneatur, videlicet reſtitutione ablatorum, & amiſſione quartæ, ſeu obventionis ſibi contingentis. Sine noſtra licentia cadavera ad faciendam anatomen (2) ne tradantur, neve exhumentur pro facienda recognitione (3) per curiam; qua licentia etiam accedente, nequaquam in Eccleſia, aut (4) loco immuni, ſed extra peragi tantum ea poſſit, ſub pœnis in violatores Eccleſiaſticæ Immunitatis ſancitis.

XXIX. Conſtitutionem noviſſimi Romani Concilii ſub unius julii punctatura in abſentes ſervatam volumus (5) „ in univerſis Cathedralibus, & „ Collegiatis, aliiſque conventualibus, ſeu receptitiis Eccleſiis, ut præter „ ſolemne anniverſarium pro ultimi defuncti Epiſcopi anima in ejus die obi- „ tus celebrandum, alterum etiam per ſingulos annos peragatur in perpe- „ tuum pro omnibus propriæ Diœceſis Epiſcopis infra Fidelium omnium „ defunctorum octavam „. Ex antiqua item conſuetudine, ac (6) Synodis aliud infra Octavam eamdem peragatur anniverſarium ſub eadem punctatura in iiſdem Eccleſiis pro defunctis capitularibus Presbyteris fratribus. Parochi etiam eadem die pro prædeceſſoribus defunctis privatam Miſſam celebrent; aliamque die obitus anniverſaria prædefuncti ſui anteceſſoris. At in Miſſis ſolemnibus (7) defunctorum, ſicut & per Adventum, & Quadrageſimam (feſtis diebus, ac Dominicis *Gaudete, & Lætare* exceptis) organa pulſari diſtricte interdicimus.

XXX. Defuncto Summo Pontifice, vel Epiſcopo ſub eadem pœna Miſſa ſolemnis in præfatis Conventualibus Eccleſiis decantetur, vel ipſa obitus, ſeu depoſitionis die, vel proxima die non impedita poſt habitum mortis nuncium. Sede autem vacante Epiſcopali, piæ ſupplicationes intra ambitum Eccleſiæ pro pio, ſancto, ſolli itoque ſucceſſore impetrando quotidie habeantur, & in qualibet Miſſa collecta de Spiritu Sancto ad eum finem recitetur. Idem per Œconomum a nobis deputatum præſtetur poſt obitum Parochi, commoneaturque populus preces ad Deum fundere pro optimo novo Paſtore obtinendo (8).

TITU-

(1) *Syn. Montilj pag.* 143., *S.C.C. in Tudertin.* 13. *Aug.* 1718. *in Theſaur. tom.* 1.
(2) *Syn. Albat. pag.* 75.
(3) *S. C. Immunit. in Sutrina* 1. *Jun.* 1604.
(4) *Ead.* 2. *Maii* 1639.
(5) *Conc. Rom.* 1725. *tit.* 15. *cap.* 5.
(6) *Syn. Montilj pag.*146., *Syn.*1.*Muti p.*150., *Syn.* 2. *ejuſd. pag.*30., *Syn. Sermatth. p.* 100.
(7) *Conc. Rom. l. c. cap.* 6.
(8) *Syn. Montilj*, *Syn.* 1. *Muti*, *aliæq. ll. cc.*

TITULUS QUARTUS

De Eccleſiaſticis, Deoque dicatis perſonis, ac Locis piis.

CAPUT PRIMUM

De vita, & honeſtate Clericorum, & de Seminario.

I*N omnibus exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei* (1) *miniſtros, ut non vituperetur miniſterium noſtrum*. Vitam, moreſque Eccleſiaſticorum intueri, ac contemplari ſolent hominum reliqui, ut inde ſumant, quod imitentur. Quapropter ſpiritu, & corpore ſanctos eſſe oportet Clericos, & maxime Sacerdotes; atque ita vitam, & mores ſuos componere, ut qui vident, diſcant diſciplinam, neque ulla ex improba Sacerdotum converſatione Eccleſiaſtico Ordini irrogetur vituperii macula. Id certe fiet, ſi quæ ſequuntur adjecta ſuperioribus Synodis decreta plenam, ut ſperamus, obſervantiam obtinebunt.

I. Internam ante omnia ſanctitatem Clero noſtro commendamus; omnis enim gloria filiæ Regis (2) ab intus eſt. Ad eam augendam plurimum confert attenta propriæ dignitatis conſideratio, & piarum meditationum, & lectionum aſſiduitas, per quas mens enutrita ſpiritum concipiat Eccleſiaſticum, & divinæ gratiæ donum conſervet, & augeat. Hinc, quantum poſſumus, monemus omnes, & in Domino hortamur, ut Apoſtolicæ Sedis monitis (3) obtemperantes, anno quolibet ſinguli e ſæculi tumultibus ad ſacros ſeceſſus ſe recipientes, decem ſaltem dierum ſpatio, Exercitiis ſpiritualibus vacent. Quo tempore a chori etiam ſervitio ex Pontificio indulto exempti, & plenaria indulgentia ditati, toti ſint in guſtanda ea, qua Deus in ſolitudine commorantes animas paſcit, benedictionum dulcedine.

(1) 2. *Cor.* 6. 3. (2) *Pſ.* 44. 14. (3) *Clem. XI. Encycl.* 1. *Febr.* 1710.

II. Ut autem tam pio, & neceſſario operi facilior in poſterum pateret aditus, propriam Patrum Soc. Jeſu, prope templum B. M. V. ſupra Quercum nuncupatæ, domum, novis aliquot excitatis cubiculis, propriis noſtris ſumptibus nuper amplificavimus; eo ſcilicet conſilio, ut Clerici, Sacerdoteſque noſtri, urbano remoto ſtrepitu, domeſticiſque ſecluſis negotiis, cœleſtium rerum meditationi, ac ſpiritualibus S. Ignatii de Lojola, ut vocant, Exercitiis commodius vacare poſſint.

III. Hiſce autem dilectæ nobis in Chriſto Societatis Patribus tum ſupra commemoratæ domus, tum exercitiorum ſpiritualium, quæ certis per ipſos ſtatuendis legibus peragenda ſint, curam, ac directionem omnem committimus, quod eos præcipue ad hæc munia præſtanda idoneos judicemus. Habent igitur Succeſſores noſtri quibus eos, qui vel Ordines ſuſcepturi ſint, vel reformatione, aut correctione aliqua indigeant, magna cum utilitatis ſpe, ſacris excolendos exercitationibus commendent. Ceteri vero tam ex Eccleſiaſtico, quam ex ſeculari cœtu, ex noſtra non ſolum, ſed & ex alia quacumque Diœceſi, quo ſe, certis infra annum per eoſdem Patres ſtatuendis temporibus, interdum recipiant.

IV. Internæ ſpiritus ſanctitati externa corporis inſtitutio reſpondeat, ut habitu, colloquio, inceſſu nil, niſi grave, modeſtum, ac ſanctum appareat. In primis autem religionis ſtudium effulgeat in ſacris peragendis, ſacrorumque reverentia. Clerici in ſacris bis quolibet menſe, ſemel autem minores Clerici communionem ſacram ſuſcipiant, ſacramentali confeſſione præmiſſa. Quæ Dei ſunt, ferventer curabunt, diviniſque officiis, Sacroſancto Sacrificio, & Eccleſiaſticis cæremoniis rite peragendis ſint intentiſſimi. Nobis Pontificalia obeuntibus, (1) ex antiqua conſuetudine, quam vim legis hac in re habere decrevit (2) pluries Sac. Conc. Congr., univerſus urbis, ſeu loci Clerus accedat; ac Feria V. in cœna Domini ſinguli, ſive Canonici, ſive Beneficiati, Clericive ſint, de manu noſtra ſacrum Chriſti Corpus recipiant cum ſtola e collo pendente, ſi Sacerdotes fuerint, & cum ſtola tranſverſa, (3) ſi Diaconi. Presbyteri autem ſimplices, ex eadem conſuetudine (4), ſaltem ſolemnioribus feſtis, in Cathedrali Miſſæ cantatæ & Veſperis interſint.

V. Veſtem talarem in Miſſæ Sacrificio (5) ſub pœna ſuſpenſionis adhibendam ſupra præmonuimus. Eamdem veſtem, etſi (6) per totam diem geſtan-

(1) *Syn. Montilj pag. 94., Syn. 1. Branc. p. 5., Syn. Abbati pag. 86.*

(2) *S. C. Conc. in Trojan. 20. Sept. 1704., & in Bellocaſtren. 15. Nov. 1670., & 21. Aug. 1706.*

(3) *Lambertin. Inſt. 38. num. 2.*

(4) *Ex citat. Synodis.*

(5) *Supr. tit. 2. cap. 2. num. 62.*

(6) *Bened. XIV. de Syn. lib. 7. c. 59., & Trident. ſeſſ. 14. cap. 6. de ref.*

geſtandam jubere poſſemus, attamen tolerantiæ ſummæ (1) indulgentes, (reſervata tamen Nobis, noſtriſque Succeſſoribus facultate plenam Sacrorum Canonum diſciplinam urgendi) hac noſtra ſanctione mandamus, ut quicumque ex Canonicatu, aliove Eccleſiaſtico beneficio choro intereſſe tenentur, tam ad matutinas, & diurnas, quam ad veſpertinas horas accedere non audeant, niſi talari nigri coloris veſte induti, qua etiam ſemper utentur, quicumque in Sacris conſtituti Superiorem adibunt. Qui ſine ea veſte domo allata, non in ſacrario, aut in vicina æde impoſita, (multo magis ſi ea foret ſine manicis, vel tantum dimidia, quæ lateribus circumligetur) ad chorum accederet, ut mitiore pœna, quam alii ſapientiſſimi (2) Epiſcopi facere conſueverunt, per Nos caſtigetur, notabitur a punctatore tanquam abſens a choro, & trium librarum ceræ albæ pœna favore Sacriſtiæ propriæ Eccleſiæ illico multetur; & punctatorem, vel ſacriſtam ad ſolvendam præfatam pœnam de proprio damnamus, ſi in punctando, aut reſpective exigendo negligentes forent.

VI. Extra Miſſæ celebrationem, & chorum permittimus breviores, at modeſtas veſtes, atque item breve pallium, quod hiberno tempore violacei, vel alterius modeſti coloris (3) tolerabimus, modo ſub punctaturæ pœna non deferatur, quando ad chori ſervitium accedendum eſt. Toleramus etiam extra urbem, & cum in campeſtria eſt exeundum, veſtes breviores alterius modeſti coloris; dummodo ſemper collare geſtetur, neque habitus venationi accomodatus per oppida circumferatur, ſub pœna carceris formalis, ac decem aureorum ſingulis vicibus. Detonſus itidem circulus in ſummo capitis apice habeatur. Breviores, neque nimium fluentes ſint capilli, iique non ſtudioſe intorti, ſeu calamiſtrati, ſed ita tonſi, ut pateant (4) aures, comaque fictitia, niſi de noſtra licentia, non adhibeatur.

VII. Haſtiludia, torneamenta, circumcurſationes (5) per vicos, & plateas in agitationibus taurorum, aliarumque beſtiarum, alearum luſus, ſcenica ſpectacula, & profana cantica, aut inſtrumentorum pulſatio per vias, vetita omnino ſint Clero noſtro. In minoribus conſtituti, ſi in his deliquerint, in carcerem rapiantur illico, & ſpe aſcendendi ad ulteriores gradus interdicentur. Sacerdotes autem, vel in ſacris conſtitutos in ſupradictis delinquentes, aut vetitis alearum ludis etiam privatim ludentes, vel teſſeris, rotulis, pilis, follibus, aut globis, qui malleis ligneis impelluntur, indulgentes in tabernis, aromatariis, tonſtrinis, aliiſque officinis, etiam clauſis fori-

(1) *Lambertini Inſt.* 71.
(2) *Lambertin. Inſt.* 71. *num.* 13.
(3) *Id. l. c. num.* 10.
(4) *Conc. Rom.* 1725. *tit.* 16. *c.* 3.
(5) C. Felicis *de torneamen. S. Pius V. Conſt.* de Salute, *Greg. XIII., Clem. VIII.*

foribus, aut in publicis viis, & compitis, puniendos (1) decernimus pœna carceris, & ſcutorum quinque. Privatos tantum, ac moderatos ludos iis permittimus ad animi honeſtam relaxationem; ſi ii ludi non indecori ſint, neque a fortuna (2) potius, quam ab induſtria, & arte regantur.

VIII. Acrius animadvertemus propter fœdiorem morum corruptelam in eos, qui ex Eccleſiaſtico cœtu choreas ducent, vel ſaltationes edent, vel profana cantica modulari, vel inſtrumentum ſonorum ibi pulſare auſi fuerint, ſi inibi feminæ cum viris (3) conveniant. Quandoquidem ſi Clerici in minoribus ſint, carceris, & decem aureorum pœna plectentur; ſin autem in ſacro Ordine fuerint conſtituti, præter eamdem pecuniariam pœnam, excommunicationem illico incurrant Nobis reſervatam, quando choreæ publicæ ſint; ſi autem forent privatæ, foribuſque clauſis, ſuſpenſi ſint a divinis per tres dies, abſolutione Nobis reſervata. Eidem ſuſpenſioni, & pœnæ pecuniariæ ſubjicimus eos, qui larvati incedent ſacris initiati. Qui vero Sacerdos, Diaconus, aut Subdiaconus in theatris publicis perſonam aget, aut ſcenica ſpectacula promovere, dirigere, aut inſtituere non erubeſcet, vel a clamoroſa venatione non ſe cohibuerit, ultra pecuniariam pœnam, excommunicatione (4) plectetur; Clericus in minoribus carceri mancipabitur. Quæ de conſtitutis in ſacris mandavimus, ea etiam de proviſis Eccleſiaſtico beneficio dicta intelligantur.

IX. Indecorum eſt etiam, ut Sacerdotes, quorum vita abſcondita debet eſſe cum Chriſto in Deo, aſſiduam cum ſecularibus hominibus familiaritatem habeant; ex qua verum fit ut plurimum Pſaltis oraculum: *commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & factum eſt illis* (5) *in ſcandalum*. Turpius autem, & flagitioſius eſt cum mulieribus conſuetudinem (6) inire. Propterea omnem cum feminis cohabitationem, ſub ſeveriſſimis ſacrorum Canonum pœnis, omnino prohibemus, niſi eæ conſanguineæ ſint, vel affines, ſaltem in ſecundo gradu; atque ita honeſtæ, ut nulla oriri poſſit incontinentiæ ſuſpicio, præſertim cum earum famulabus. Si affines, aut conſanguineæ non aderunt, poſſint Sacerdotes, aliique in ſacris conſtituti unam, alteramve ſibi famulam aſſumere, quæ tamen ſit quadragena-

(1) *Syn. Sacchetti p.*85., *Syn. Sermatth. p.*110.
(2) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *c.* 61. *num.*3.
(3) *Id. de Syn. l. c. a n.*11., *Lambertin. Inſt.*76., *Syn.* 1. *Branc. pag.*26., *Syn. Sacchetti p.*86., *Syn. Sermatth. pag.* 110.
(4) *S. C. C. in Sulmonen.* 22. *Aug.* 1655., & *Epiſt. S. C. ad Vicar. Capitular. Aquilan.*31. *Oct.* 1706.
(5) *Pſ.* 105. 35.
(6) *Can.* Volumus, *can.* oportet, *can.* Feminas *diſt.* 81., *c.* inhibendum, & *ſeq. de cohabitat. Cleric.*, *Lambertin. Inſt.* 82., & 83. *Bened. XIV. de Syn. lib.*7. *c.*57., *Syn.* 1. *Muti pag.*96., *Syn. Sacchetti p.*83., *Syn. Sermatth. pag.*109., *Syn. Abbati pag.* 78.

genaria major, bonæque famæ, atque obtenta a Vicario noſtro in ſcriptis licentia.

X. His exceptis, vetamus prorſus Eccleſiaſticis hominibus acceſſum ad domos ſuſpectarum mulierum, aut cum illis quomodolibet converſari, vel ſuſpecta loca adire, vel feminis paſſim ſe comites adjungere, ſub pœnis (1) a Concilio Tridentino ſtatutis. Nulli prorſus mulieri quilibet Clericus præceptor fiat ad eas docendas legere, ſcribere, canere, aut quodcumque muſicum inſtrumentum pulſare, niſi (2) hoc a Nobis ſpecialiter indultum fuerit, ſub pœna decem aureorum fabricæ ejus parochialis Eccleſiæ, ſub qua Clericus deliquerit, applicandorum. Cauponis, & tabernis (præterquam in itinere) ſub carceris pœna abſtineant. Conviviis præſertim nuptialibus, in quibus, ut plurimum, propudioſæ licentiæ fræna laxantur, iiſque compotationibus, unde temperantiæ leges infringuntur (3), ſub eadem pœna decem aureorum pauperibus elargienda, nunquam interſint. Carceris item pœnam, atque amiſſionem armorum comminamur in eos, qui ſine noſtra licentia in ſcriptis arma deferent, etiam prætextu venationis.

XI. Contra Clericos negotiatores nil eſt, quod decernamus, poſtquam Sanctiſſimus D. N. Clemens XIII. Encyclicis (4) ad Patriarchas, & Epiſcopos omnes datis, quas jam per Edictum noſtrum publici juris fecimus, nihil non molitus eſt, ut corruptelam hanc ab Eccleſiaſticis hominibus eliminaret. Antiquorum Canonum, & Romanorum Pontificum, præſertim Pii IV., Urbani VIII., Clementis IX., & Benedicti (5) XIV. conſtitutiones, & pœnas innovans, eaſque, tam ad Seculares, quam ad Regulares Clericos extendens, Epiſcopiſque uſum, tum ordinariæ, tum delegatæ facultatis commendans, damnat omnes, & quaſcumque negotiationes, vel per ſe, vel per interpoſitam perſonam, aut per alterius nomen, a Clericis geſtas, etiam ad damnum vitandum, vel ad ſuſtentationem ſuorum ex charitatis officio, niſi per Sedis Apoſtolicæ diſpenſationem poteſtatem dirigendi ſuorum conjunctorum res impetrarint. Inter negotiationis fines definit comprehendi cambium activum, ideoque Eccleſiaſticis vetitum pronunciat, tam proprio nomine, quam per interpoſitas perſonas initum. Damnat contemptum Clericalis moderationis, & Eccleſiaſtici decoris in bonis propriis adminiſtrandis, ſeu colendis, in venditione, & emptione, & acceſſum ad nundinas, atque mercatus, laicali quaſi apparatu, ac ſpecie;

(1) *Trident. ſeſſ. 25. de Ref. c. 14., Syn. Montilj pag. 136.*

(2) *Syn. Montisſal. 1710. h. t. §. 9., Syn. Ravennat. 1749. par. 5. c. 1.*

(3) *Lambertin. Inſt. 54., Syn. Montilj pag. 135.*

(4) *SS. D. N. Clem. XIII. Encycl.* Cum primum *17. Sept. 1759.*

(5) *Bened. XIV. Conſt.* Apoſtolicæ 1741.

cie; contra quos turpes rei adminiſtrandæ modos, actuſque indecoros, dignitatis celſitudinem deturpantes, per cenſurarum gladium Nos animadvertere debere hortatus eſt. Tandem in eos Eccleſiaſticos ſtylum intorquet, qui operam ſuam laicorum obſequiis, ſervitiiſque addicunt, eorumve negotia adminiſtrant, pacta mercede; etſi honeſtioribus in ſpeciem titulis ſuſceptum ſervitii genus aliquando obtegere adnitantur. Quæ omnia ideo hic inſeri mandavimus, ut ſciant tam Seculares, quam Regulares Clerici, Nos Pontificiæ voluntatis fore expeditos, atque inexorabiles executores.

XII. Eodem referimus patrocinandi exercitium. Exceptis dumtaxat cauſis a jure permiſſis (1), aliiſque de noſtra licentia, diſtricte prohibemus, ſub decem (2) aureorum pœna, & in ſubſidium etiam Cenſurarum, quemlibet in Sacris conſtitutum obire munera Procuratoris, Advocati, Judicisve in Laico Tribunali, tam in Criminali, quam in Civili Judicio. Neque item liceat coram judice laico teſtimonium dicere ſine Sedis Apoſtolicæ licentia in cauſis criminalibus; in civilibus autem ſine licentia Vicarii noſtri Generalis in ſcriptis danda, præſtitoque prius in curia noſtra juramento de veritate dicenda.

XIII. Otium poſtremo Clericis noſtris interdicimus; eoſque, quantum poſſumus, in Domino hortamur, ac graviſſime monemus, ne horas inutiliter inſumant in officinis, atque ludicris oblectationibus; ſed honeſtis occupationibus addicti nunquam ab aliquo opere vacent. Præſertim ſacris ſtudiis, quæ ſacros viros decent, quam maxime incumbant per totum vitæ (3) tempus; cum nulla ætas ſera ſit ad diſcendum. Eos habeant, volvantque libros, ex quibus Sacræ Scripturæ, Canonum, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, Rituum, Polemicæ, Scholaſticæ, ac Moralis Theologiæ ſcientiam poſſint haurire; ut nempe duplici honore digni habeantur, ſi verbo, & exemplo Chriſti gregem juvantes ad æternam ſalutem conſequendam, effectique ſal terræ, fecerint ſimul, & docuerint. De ſacris ſtudiis ideo meminimus, ut norint (4) Eccleſiaſtici noſtri a profanis ſtudiis abhorrere, & amatoria, aut poetica volumina odiſſe; ne, ut ajebat Hieronymus, quod in pueris adeſt cauſa neceſſitatis, crimen in ſe faciant voluptatis.

§. Alter

(1) *Can.* Nullus, *can.* teſtimonium 11. *qu.* 1. *can.* ſuper prudentia, *can.* quamquam 14. *qu.*2., *c.*multa, *c.*Sacerdotibus, *c.*Clericis *ne Cler. vel Monachi; decret. de Reform. Tribun. 9. Febr.* 1708. *in Bullar. Clem. XI. pag.*613.

(2) *Syn. Montil. pag.*135., *Syn.* 1. *Muti p.*92., *Syn.* 1. *Branc. p.* 26., *Syn. Sacchetti pag.*84., *Syn. Sermatth. pag.* 108.

(3) *Gl. in can.* Si habes 24. *qu.*3. *ver.* Senex, *can.* Ignorantia *diſt.* 38., *Conc. Arelat. VI. an.* 813. *can.* 3.

(4) *Can.* Sacerdotes *diſt.* 37.

§. Alter

De Seminario.

XIV. Optimam nacta eſt laudem hæc Eccleſia, quod ſtatim a Tridentini lege Clericorum Seminarium fuerit inſtitutum. Novellas has plantationes, quas in bonam Eccleſiæ ſpem adoleſcere curamus, ut pupillam oculi noſtri ſemper cuſtodiemus. Hujus loci regimini præpoſiti, præfecti, Magiſtri, & Rector præſertim in id incumbant omni conatu, ut adoleſcentes ſuæ curæ concreditos accurate ad pietatem, morum candorem, & litterarum ſcientiam informent; ut exinde Eccleſiarum regimini, & populorum ſaluti maxime utiles operarii efficiantur. Leges a Nobis præſcriptas ſingulis menſibus legi, & diligentiſſime facient obſervari; nec eas aliquo modo lædi patiantur. Curabunt, ut quotidie ſacro interſint; certo diei tempore ſpiritualium rerum meditationi aſſueſcant, atque B. M. V. Officium parvum quotidie perſolvant; pios item quotidie libros legant, hortationes pias frequenter audiant, & aliquem (1) ſemper teſtem vitæ habeant, cujus nunquam oculos effugiant; & ſingulis ſaltem menſibus ad Sacram Communionem, bis vero in menſe ad Pœnitentiæ Sacramentum accedant.

XV. Pietatis officiis morum ſuavitas, ac liberalitas conjungatur. Ea erit proinde Alumnorum omnium domi, foriſque converſatio, quam Nos hic deſcribendam mandavimus. Rectori præcipue, tum Magiſtris, ac Præfectis perpetua venerationis, atque obedientiæ munia impendant. Æquabiles ſint erga omnes ſocios, & neminem aut averſione, aut amore præ ceteris proſequantur. Silentium ſervent accuratum in menſa, & ſacræ lectioni, qua ſemper cibus erit condiendus, attendant; neque unquam abſint a precibus, quas menſam præcedere, & ſubſequi præſcripſit Breviarium Romanum. Ne domo exeant, niſi de Rectoris licentia, incedantque bini per urbem, neque ullus a reliquis ſejungatur. Feſtis diebus in Cathedrali noſtra Divinis aſſiſtant, tonſuraque, & veſte Clericali, munda quidem, at non vanis ornamentis fucata utantur; ad omnem denique modeſtiam tam domi, quam foris ore, inceſſu, habitu ſemetipſos componant.

XVI. Litterarum ſtudium omni conatu proſequantur. Præcipue autem ad (2) Grammatices, cantus, computi Eccleſiaſtici, Philoſophiæ, Theologiæ, Sacræ Scripturæ, Catechiſmi Romani, ac Sacrorum Rituum diſciplinam incumbant; quorum quidem ſtudiorum ſingulis annis coram Nobis rationem reddi mandamus in examine, quod ob eum finem exeunte anno

(1) *Can.* Omnis ætas 12. *qu.* 1.

(2) *Trident. ſeſſ.* 23. *de Ref. c. ult.*

ſcholaſtico, accitis Deputatis, aliiſque litteratis viris indicemus. Quos ignavos in ſtudiis, aut hebetis ingenii, & multo magis, quos in pravos mores degenerare noverimus, eos prius paterne monitos e Seminario ejiciemus, omnique prohibitos aditu ad Ordines ſuſcipiendos declarabimus.

XVII. Ditiorum Filios non excludimus, modo ſuis ſumptibus alantur, & ſtudium præſeferant Deo, & Eccleſiæ inſerviendi. At cum Tridentina (1) Synodus pauperum filiis præſertim Seminaria patere voluerit, hos præcipue prævio examine eligemus, qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati ſint, & quorum indoles, & voluntas ſpem afferat, eos Eccleſiaſticis miniſteriis perpetuo inſervituros. Ob eam rem, quando iidem recipientur, adſit idonea fidejuſſio de ſolvenda ea minima taxa, quam præſcripſimus; facta tamen (2) obligatione, ut ſi alumnus ad ſtatum conjugalem, vel ſecularem migraverit, reliquam penſionem ſolvat pro rata præſtitorum alimentorum ad rationem julii unius in diem; cum æquum non ſit, ut quæ ad Eccleſiæ propagines alendas, tum ex piorum relictis, tum ex Eccleſiaſticis reditibus collata ſunt, ea ad laicorum commoditatem convertantur. Si Œconomus, aut Miniſter Seminarii hanc fidejuſſionem idoneam, penſionemve reſpective, exigere neglexerit, proprio ipſius ære refundet.

XVIII. Quoniam vero per plures Congregationes ſuper œconomico Seminarii ſtatu habitas liquido conſtitit, reditus ejuſdem haud ſatis eſſe ad alendos alumnos, magiſtroſque neceſſarios; hinc, de Deputatorum a Nobis, a Capitulo Cathedralis, & a Clero reſpective ad normam Tridentini electorum conſilio, deveniendum duximus ad taxam præſcribendam. Ea autem taxa de ſemeſtri in ſemeſtre anticipate (3) ſolvatur ab omnibus, ſub cenſurarum pœna, poſtquam a Sacra Congregatione, juxta S. M. Benedicti XIII. conſtitutionem, quæ incipit *Creditæ Nobis*, approbata fuerit. Eam taxam in manibus exactoris per Nos, ac Cathedralis Capitulum approbandi ſolvi mandamus; qui exactor juſſu noſtro, Deputatorumque conſilio pecunias œconomo tribuet in expenſas faciendas.

XIX. Nobis, & quatuor iis (4) deputatis Œconomus, ſeu Miniſter rationem reddat ſingulis annis infra menſem Octobris. Nihil idem miniſter faciat (5) circa quotidianas expenſas, circa proviſiones bladarum, & circa admi-

(1) *Trident. ſeſſ.* 23. *de Ref. c. ult.*

(2) *Syn. Sermatth. p.* 158., *Syn. Montisfal.* 1710. *h. t.* §. 5. *Syn. Abbati p.* 61.

(3) *S. C. Ep.* 8. *Mar.* 1588., & *S. C. C. in Mexican. ap. Ferrar. v.* Seminar. *num.* 40. & 55.

(4) *Trident. l. c.*

(5) *S. C. in Mediolanen. ap. Pignatell. tom.* 9. *conſ.* 81., & *in Salernit. lib.* 6. *Decretor. p.* 22. *ad* 3.

adminiſtrationem bonorum quorumcumque, ac redituum ipſius Seminarii, non habito prius eorumdem deputatorum conſenſu; cum & Nos in tota Seminarii temporali adminiſtratione, & miniſtrorum, famulorumque temporalium deputatione eorum Conſilium adhibere, licet non (1) ſequi teneamur. Sin autem miniſter quicquam ex proprio arbitrio moliatur ſine Deputatorum conſenſu, ſique in reddenda ratione præfixum tempus neglexerit, ultra remotionem ab officio, pœnas dabit arbitrio noſtro.

XX. Duos alios ex mente ipſius Concilii graviores Canonicos ſelegimus ob ejuſdem Seminarii diſciplinam. Eos vero adhibendos mandavit (2) Sacra Congregatio in conſtituendis Seminarii regulis; in electione Rectoris, & Magiſtrorum; in electione, punitione, viſitatione, & expulſione puerorum; & in Confeſſarii, librorumque electione. Porro horum Deputatorum conſcientiam oneramus, ut vigiles ſint in diſpicienda alumnorum diſciplina, atque educatione; Nobiſque identidem referant, ſi quæ corrigenda adverterint, ut opportune providere poſſimus. Quatuor vero Deputatorum onus ſit quolibet menſe in ipſo Seminario, adhibitis Rectore, ac Miniſtro, pro re œconomica congregationes habere, ſuper bonorum locatione, aut manutentione, ſuper redituum exactione, ſuper expenſis, & proviſionibus faciendis, ſuper litibus, ſi quæ adſint, expediendis, ac ſuper Officialium temporalium, & colonorum moribus, & diligentia in rebus pio loco addictis cuſtodiendis. Quæ in iis Congregationibus decernentur, Nobis ſignificabit Rector; ac, ſiquæ graviora occurrant, indicabit, ut remedium afferamus, vegetuſque ſemper permaneat, ac florens Seminarii ſtatus.

CAPUT SECUNDUM

De Capitulis, et Canonicis.

§. I.

De Canonicorum Reſidentia.

I. E*T cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros, commendaverunt eos Domino* (3). Canonicorum Capitula (4) antiquo Presbyterii vocabulo a primis Eccleſiæ ſeculis forte indicata, ac præcipue Cathe-

V 2 dralium

(1) *S. C. C. in Fundan. 26. Mar. 1689. ad 2. lib. 39. Decret. pag. 129. Bened. XIV. de Syn. lib.5. c.11. num.7. & 8.*

(2) *S. C. in Mediolan., & Salern. ll. cit.*

(3) *Actor. 14. 22.*

(4) *Tertull. Apologet. c. 39. Siric. Pp. Ep. 2. ap. Cabaſſut. Not. Eccleſ. ſec. 2. diſſert. 18., & in can. 15. Laodicen. Conc.*

dralium (1) capitula ad conſervandam, augendamque Eccleſiaſticam diſciplinam inſtituta, ea eſſe debent, ut non niſi viris conſtent pietate præcellentibus, qui & aliis exemplo ſint, & Nos opere, & officio juvent, atque ea morum integritate polleant, ut merito Eccleſiæ Senatus dici poſſint. Hos, quo nova in dies ſumant incrementa virtutum, illuſtriorque effulgeat ſemper eorum diſciplina, ſequentibus monitis duximus alloquendos.

II. Ac primo quidem Dignitates omnes in unaquaque Eccleſia obtinentes meminerint, ita eos præeſſe cæteris de Clero, ut præeant etiam omnibus exemplo bonorum operum. Præſint tamen, non tanquam dominantes in Cleris, ſed tanquam vocati in partem ſollicitudinis, ſervatis ſemper legibus charitatis, quæ in fratres debet eſſe ſincera. Idcirco quæ Dei ſunt, quæ Eccleſiæ ritibus conſonant, quæ chori diſciplinam, templi nitorem, & ſacrorum accuratam cuſtodiam reſpiciunt, enixe curabunt. Et cum primi Cathedralium Præſides, noſtri videlicet Archidiaconus, & Primicerius, morum (2) univerſi Cleri ſint inſpectores, in id ſemper incumbant, ut ſiquem ex Clericis, cujuſcumque ſit ordinis, & gradus, noverint in ſuo munere negligentem, moneant, ac paterne corrigant; reluctantes vero, ac contumaces ad Nos deferant. Illud autem in primis curet (3) Archidiaconus, ut in vitam, & mores ordinandorum diligenter inquirat; quo, interrogantibus Nobis, ad Pontificalis Romani præſcriptam formam, an ſciat illos dignos eſſe, non ex inutili cæremonia, ſed ex certa ſcientia, & ex animi ſui ſententia valeat reſpondere.

III. Dignitatibus quibuſcumque in qualibet Eccleſia conſtitutis curam mandamus, ut infra ſex menſium ſpatium a publicatione hujus Synodi computandorum, ſtatuta capitularia conficienda omnino ſatagant. Si qua priſca habent ſtatuta, & Capitulares conſtitutiones depromant; ac minus apta, & antiquata in bonam formam reſtituant. Hanc provinciam omnibus (4) Capitulis demandatam voluit nuperum Concilium Romanum, ſub Eccleſiaſtici interdicti pœna. Eamdem legem præcedentes (5) Synodi, irrito conatu, inculcarunt, ob eam nempe rationem, qua communiter præcepta, communiter negligantur. Nos, ut omnem cunctationi præcludamus viam, id Dignitatibus præcipimus, ut ſtatim poſt hanc Synodum qualibet die Dominica (excepto Adventus, & Quadrageſimæ tempore) cœtum univerſum Capitularem indicant poſt nonam habendum; atque in ſingulis cœtibus, deputatis duobus, vel tribus extenſoribus, conficiatur, vel reformetur aliquod ſtatu-

(1) *Trid. ſeſſ.* 24. *de Ref. c.* 12.
(2) C. ut Archidiaconus *de off. Archid.*
(3) C. ut noſtrum *eod. t.*, *Syn. Montilj p.* 151.
(4) *Conc. Rom.* 1725. *tit.* 2. *c.* 4.
(5) *Syn. Montilj pag.* 153., *Syn. Abbati p.* 83.

ſtatuti caput, præſentibus (1) duabus ſaltem Capituli partibus, & attente perlectum; per ſecreta ſuffragia (2) a majore præſentium parte approbetur. Ea vero (3) ſtatuta in unum volumen redacta, & juxta methodum in eodem Romano Concilio præſcriptam concinnata, infra idem temporis ſpatium, Nobis exhibeantur examinanda, corrigenda, atque approbanda; quo etiam ad ſucceſſores Canonicos (4) extendantur. Dignitates, ſi cœtus præfatos indicere neglexerint, aureum unum; quilibet autem Canonicus, qui abſque legitima cauſa Capitulo non interfuerit julios tres qualibet die Dominica Sacriſtiæ ſolvant in pœnam. Expletis autem ſex menſibus, ni ſtatuta eadem fuerint Nobis exhibita, illico Eccleſiaſtici interdicti pœna Dignitates obſtringantur. In Canonicos autem ſimili cenſura animadvertemus.

IV. Cum aliquis primo Dignitatem, aut Canonicatum aſſecutus eſt, meminerit poſſeſſionem capiendam eſſe (5) capitulariter, ad campanæ ſonum convocato Capitulo. Satis eſt tamen, ſi duo, treſve (6) interſint, cum cæteri vocati intervenire noluerint. Statim poſt captam poſſeſſionem jurejurando ſe obliget coram univerſo Capitulo novus Canonicus, tactis ſacris Dei Euangeliis, ſtatuta, rationabileſque, & honeſtas conſuetudines ſuæ Eccleſiæ ſe ſervaturum, ac jura omnia pro viribus defenſurum juxta formam, quam in appendice damus num. XIV. Reſidentiam tantopere a ſacris Canonibus (7) præceptam inculcamus, ſub pœnis a jure ſtatutis; vi cujus, ultra tres menſes (quos vocant conciliares) in annos ſingulos, abeſſe non poſſint. Hi menſes computandi ſunt, tam continui, quam (8) interpolati; ita ut qui ultra nonaginta integros dies in anno (9) abſuerit a Choro, pœnis a jure contra non reſidentes ſtatutis ſubjiciatur; etiamſi in Civitate, locove ſit præſens; ac præterea tranſacto trimeſtri, ſingulis diebus (10) punctetur, applicatis Sacriſtiæ punctationibus, quæ diebus ſervitio non addictis reſpondent.

V. Ne tamen hujus vacationis prætextu fas ſit Canonicis, aliiſque reſidentiæ obnoxiis abeſſe eodem tempore ſimul, ita ut Eccleſia deſtituatur (11) omni ſervitio; cum arbitrio noſtro, & Capituli reſervetur decernere, quota pars

(1) *S.C.C.* 31. *Maii* 1607., *L.*3. & 4. *ff. quod cujuſq. univerſ.*
(2) *Barboſ. de Canon. c.* 42. *n.* 18.
(3) *Conc. Rom. l. c.*
(4) *S. C. C.* 31. *Maii* 1607. *ap. Fagnan. in c.* cum omnes *de Conſtitution. n.* 43.
(5) C. Si capitulo *de conceſſ.* Præben. *in* 6., *Rot. par.* 5. *tom.* 1. *dec.* 97., & *par.* 10. *dec.* 140. *num.* 12.
(6) *Rot. par.* 5. *tom.* 1. *dec.* 34.
(7) *Trident. ſeſſ.* 24. *de Ref. c.* 2.
(8) *S. C. C. ap. Fagnan. in c.* licet *de præben. num.* 54.
(9) *Id. ibid. num.* 41., & 56.
(10) *Syn.* 3. *Branc. p.*4., *Syn.* 8. *ejuſd. pag.*16., *Syn. Sacchetti p.*71., *Syn. Sermatth. p.*167.
(11) *S. C. C. ap. Fagn. l. c. n.* 55.

pars Canonicorum ſimul abeſſe poſſit; amiſſis tamen, etiam in trimeſtrali vacatione, (1) diſtributionibus quotidianis; cum non plures (2) tertia parte eodem tempore frui vacatione poſſint. Si quis velit eo tempore (3) extra Diœceſim commorari, ſciat, ſibi id non licere, ſine noſtra expreſſa licentia. Vetitum tamen eſt a choro abeſſe diebus (4) Dominicis, aliiſque de præcepto Feſtis, & tempore Adventus, Quadrageſimæ, & Octavarum Nativitatis Domini, Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, ac Corporis Criſti; quibus ſolemnioribus, aliiſque, quos Priorales vocant, diebus abſens (5) pœna duplicis punctaturæ punctandum mandamus. Qui vero per ſex continuos dies ſine licentia a Diœceſi abſuerit, & pernoctaverit, multam (6) unius aurei ſubeat, beneficio Sacriſtiæ applicandam pro qualibet vice; indicta etiam ſuſpenſionis pœna a Divinis in ſubſidium.

VI. Firmas, & in ſuo robore obſervandas declaramus diſpoſitiones omnes, ac regulas in fundatione cujuſque Capituli impoſitas, ac etiam privilegia, indulta, & conſuetudines ſingularum Eccleſiarum rationabiles, aut legitime approbatas, inſerviendi per mediarias, ut vocant, aut tertiarias. Conſuetudines vero abuſivas, & irrationabiles omnino abrogatas decernimus, reſervata Nobis, noſtriſque ſucceſſoribus facultate in eas inquirendi, ac prohibendi. Interim denunciamus „ immemorabilem (7) conſuetudinem „ non excuſare a reſidentia in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis inſi„ gnibus. In Collegiatis autem non inſignibus poſſe excuſare, dum tamen „ ſint rurales, prorſus deſtitutæ, & in quibus nunquam antea ſupra homi„ num memoriam ſolitum eſſet reſidere; aut quæ adeo tenuis reditus eſ„ ſent, ut Canonicos aliunde non habentes, unde vivant, alere non poſſint.

VII. Ob eam rem tanquam juri, uſui Romanæ Eccleſiæ, (8) ac Synodis contrariam prorſus reprobamus conſuetudinem introductam in aliquibus Collegiatis inſerviendi per mediariam, ſeu alternativam, etiam in Octava Sanctiſſimi Corporis Chriſti; præcipientes, ut per totam eam Octavam omnes, & ſinguli, qui ad reſidentiam tenentur, tam Nocturnis, quam diur-

(1) *S. C. C. ap. cit. Fagn. l. c. n.93., & in Aſculan. 15.Jan.1707., in Sueſſan.18.Aug.1708.*

(2) *S.C.C. in Farſen.13.Nov.1655., in Atrien. 19. Dec. 1722. Theſaur. Reſ. tom. 2.*

(3) *S. C. C. in un. Acerrar. 23. Aug. 1727. ad dub. 20. Theſaur. tom. 4.*

(4) *Ead. in cit. Farſen., & Atrien., & in S.Severini 23.Jul.1725. lib.75. Decret.*

(5) *S.C.C. in Salernit. Edictor. 27.Sept. 1732. ad x. in Theſaur, Reſ. tom. 5., Syn. Montilj pag. 140.*

(6) *S.C.C. in un. Caſtri maris Servit. Chor. 4 Maii 1737. ad 1., Lambertin. Inſt.107. n.36., Syn. Albut. p. 86.*

(7) *S. C. C. approbante Greg. XIII. relat. a Fagn. c.* cum omnes *de Conſt. num. 31., & Lambertin. Inſt. 107. num. 2.*

(8) *S. C. C. in Farſen., in Atrien. l. c., & in Aſculan. 15. Jan. 1707., in Capuan. 5. Dec. 1739., in Tranen. Indulti 22. Nov. 1738., Syn. Montilj pag.140., Syn.6. Brancat. p.26., Syn. 8. ejuſd. pag.17.*

diurnis horis mane, & veſpere perſolvendis, choro interſint, expoſito (1) ſemper SS. Sacramento cum Miſſa quotidie decantanda, ſub ſolitæ punctaturæ pœna. Damnamus itidem aliam irrationabilem conſuetudinem, qua diebus Feſtis Inventionis S.Crucis, Annunciationis, & Conceptionis B.M.V., Dedicationis S. Michaelis Archangeli, & Ss. Joſeph, Annæ, Silveſtri, ac Innocentium, media tantum pars choro intereſt, ut mos eſt ferialibus diebus; parique pœna præcipimus, ut quibuſcumque (2) diebus feſtis per annum jam de præcepto ſtatutis, aut in poſterum ſtatuendis, omnes indiſcriminatim choro addicti, horis diurnis, Miſſæ cantatæ, ac Veſperis cum cantu celebrandis interſint; cum in indultis tam alternativæ, quam tertiariæ ſemper Dominici, aliique feſti dies excipiantur.

VIII. Reſervato Nobis, noſtriſque ſucceſſoribus jure cognoſcendi, an legitima ſit conſuetudo in Eccleſia Collegiata SS. Fauſtini, & Jovitæ, aſſiſtendi tantum Choro diebus Dominicis, (quam conſuetudinem, quæ tempore prædeceſſoris noſtri Caroli Montilj profecto (3) non aderat, dumtaxat tolerari, non approbari per Nos declaramus) præcipimus, ut iis ſaltem diebus Dominicis integrum Eccleſiæ ſervitium præſtent in perſolvendis, tam diurnis, quam nocturnis ejus diei Horis Canonicis, una cum Miſſa cantata; quam etiam omnino decantandam jubemus die S. Paſchatis, quacunque conſuetudine non obſtante. Si omnes ſimul abſuerint, aureorum ſex ſingulis vicibus (4) pœnam luant; fructuumque, aut diſtributionum rata integre una cum pœna prædicta in ejuſdem Collegiatæ Sacrarii cedat utilitatem. Si non omnes, ſed aliqui abſuerint, punctaturam juxta taxam aliarum Collegiatarum non effugiant.

IX. Multo magis reprobamus abuſum non multis ante annis inductum in Collegiata Terræ Balneariæ inſerviendi tantum diebus Feſtis; cum ex diſpoſitione Teſtatoris, & ex erectione per Acta Curiæ noſtræ die 2. Septembris 1672. facta, onus incumbat alternativi ſervitii, iis plane modo, ac forma, quibus hujus Collegiatæ Viterbienſis S. Angeli Canonici ad ſervitium Eccleſiæ tenentur. Proinde, niſi prædicti Balneariæ Presbyteri docuerint de Apoſtolico reſcripto, quo menti, ac voluntati teſtatoris derogetur, diſtricte præcipimus ſub pœnis contra non reſidentes a jure ſtatutis, & ſub cenſurarum (5) interminatione, ut omnino ſervetur erectionis forma, quacumque conſuetudine, aut temporario prædeceſſorum noſtrorum reſcri-

(1) *Cæremon. Ep. lib. 2. cap.* 33. *Syn.* 1. *Muti pag.* 46.

(2) *S. C. C. loc. cit.*, *& in Auximan.* 12. *Jun.* 1631. *lib.*14. *decretor. pag.* 467., *Syn. Montilj pag.* 140., *aliæque*.

(3) *S. n. Montilj pag.* 93. §. Volumus.

(4) *Syn.* 1. *Muti pag.* 119.

(5) *C.* ex tuæ devotionis §. contra *de Cler. non reſid.*, *& S. C. C. in Palentin.* 18. *Nov.* 1673.

reſcripto (quod hac noſtra conſtitutione pro nullo, caſſo, & irrito haberi volumus) minime obſtantibus. Interim vero, ſi iidem concorditer, etiam unius horæ recitationem in choro omiſerint, multam ſubeant unius aurei pro qualibet hora, ad ratam a quolibet obligato ſolvendam, & fabricæ ipſius Eccleſiæ applicandam. Punctationes ad inſtar ejuſdem Collegiatæ S. Angeli regulentur, & quolibet ſemeſtri ſub pœna ſuſpenſionis extrahantur. Pro ſervitio autem elapſis annis non præſtito, conſulat unuſquiſque conſcientiæ ſuæ, videatque, an fructus præbendæ ſuos facere potuerit.

X. Præcedentia inter Canonicos omnino ſervetur juxta ordinis gradum, & receptionis anterioritatem. Canonicus Presbyter, quamvis poſſeſſione Canonicatus poſterior, ubi præbendæ non ſunt diſtinctæ, ſemper, & ubique præferendus eſt (1) Canonico inferioris ordinis, etiamſi poſſeſſione Canonicatus ſit prior, non obſtante conſuetudine in contrarium, quam abuſum imperceptibilem declaravit (2) fel. rec. Alexander VII. Canonicus autem coadjutor ſedere debet (3) poſt omnes Canonicos ejuſdem ordinis; at præcedit (4) Canonico inferioris ordinis, etiam præſente coadjuto. Verumtamen extra ſuam Eccleſiam, & ſine Capitulo nullam habet prærogativam (5) ſupra antiquiores in ordine Sacerdotali, ac ſi coadjutor non eſſet; unde neque Epiſcopo ſolemniter celebranti, vel cum cappa divinis inſervienti (6) aſſiſtentiam præſtare poteſt; ejuſque præcedentia, quo ad locum, (7) numeranda eſt ab obitu coadjuti.

§. Alter

De Chori diſciplina, & Punctaturis.

XI. Qui Eccleſiæ ſtipendiis aluntur, in eam præ cæteris curam intendere debent, ut Deum jugiter in loco ſancto ſuo collaudent, eique ſtatis horis in templo ejus dicant gloriam. Ii igitur, qui Cathedralium, aut Collegiatarum ſervitio ſunt addicti, ore, & corpore ad omnimodam religionem compoſito, eamdemque omnes in choro diſciplinæ legem tenentes, regulas has ad amuſſim obſervabunt.

XII. Ho-

(1) *C. Statuimus de Majorit.*, *S.C.C. in Farſen.* 15. *Sept.* 1668., *in Sutrina* 30. *Jul.* 1689. *S. R. C.* 27. *Aug.* 1707.

(2) Apud *Ferraris in Biblioth. v.* Canonicatus *art.* 7. *n.* 26.

(3) *S. R. C. in Æſin.* 31. *Maii* 1670.

(4) *Ead. in Æſin.* 4. *Apr.* 1705.

(5) *S. R.C. in Anconitan.* 18. *Mar.* 1623., & *in Lauden.* 7. *Mar.* 1637.

(6) *Ead. in Civit. Caſtel.* 24. *Maii* 1636.

(7) *Ead. in Bergomen.* 7. *Aug.* 1627., & *Rot. in Majoricen. Canonicat.* 27. *Nov.* 1744. *cor. b. m. Vicecom.*

XII. Horis juxta tabellam a Nobis reformatam, & in calce appoſitam notatis, datiſque conſuetis æris campani pulſibus, dimidia expectetur hora per clepſydram horariam metienda; qua elapſa, omnes, qui ad chorum tenentur, dato per campanulam minorem ſigno, veſtibus choralibus induti e Sacriſtia bini, & bini, diebus ſaltem feſtis, (1) a minoribus ad majores progredientes, ad chorum tacite, & modeſte accedant. Eamdem legem expleto officio omnes ſervabunt in redeundo, ut bini prius exeant minores, (2) majoribus eodem ordine ſubſequentibus, niſi adſit Canonicus paratus, ad cantandas Veſperas, vel Miſſam; tunc enim ipſum ſequuntur Canonici a majoribus incipiendo. Habeant ſecum biretum, & Breviarium vel Diurnum. Choro qui interfuerit, vel ſine (3) integro, & conſueto chorali habitu, vel ſine Breviario, aut Diurno, tanquam abſens punctetur.

XIII. Ejus, qui ex dignitatibus, vel Canonicis primus ſedet in choro, quemque chori Præfectum eſſe debere (4) declaramus, oneramus conſcientiam, ut accurate omnia ſervari curet, quæ in inſtructione in ſuperiori Synodo publicata decernuntur; cujus ſumma hæc eſt, ut chorum ingreſſi prius aliquantulum orent; tum ſtantes ſecreto dicant *Pater Noſter*, *&c.* Exinde Hebdomadarius, annuente chori Præfecto, officium inchoet. Supervacaneum ducimus hic exponere, quanta oris, & cordis (5) devotione ſint Canonicæ Horæ perſolvendæ, non curſim, non feſtinanter, ſed tractim (6), & cum pauſa decenti, præſertim in medio verſu, ubi adnotatus eſt aſteriſcus; alternis choris ita modulando, aut pſallendo, ut pars una non incipiat, niſi altera expleverit. Flores, flabra, chirothecas, aut caniculos in chorum non deferant ſub punctationis pœna.

XIV. Punctentur, qui (7) tempeſtive non interſunt in Matutinis ante finem Invitatorii; in reliquis horis ante finem primi Pſalmi, & in Miſſa ante ultimum *Kyrie eleiſon*. Si quis inchoato officio advenerit, in plano chori genuflexus aliquantulum oret; tum facta Altari debita reverentia, & hinc, & inde ceteris conſalutatis, ad ſtallum ſuum pergat, interim aſſurgentibus aliquantulum aliis ex eodem ordine. Minores ſtando, omnes vero caput aperiendo, advenientis reſpondeant (8) ſalutationi. Punctetur item,

X qui

(1) *Cærem. Ep.*, *&* *S. R. C. in Vicentin.* 16. *Jun.* 1628., *& S.C.C. in Salernitana Edictor.* 27. *Sept.* 1732. *ad* v. *in Appendice Num.*xv.
(2) *Syn.* 8. *Brancat. pag.* 16.
(3) *S. R. C. in Lunen. Sarzanen.* 3. *Mar.* 1633., *Syn. Montilj pag.* 139., *Syn.* 1. *Muti p.* 120.
(4) *Ex ceteris Syn.*
(5) C. Dolentes *de celebrat. Miſſar.*
(6) *Lambertini Inſt.* 107. §. v.
(7) *S. C. C. in Interamen.* 24. *Maii* 1674. *ap. Lambertin. l. c. n.* 23.
(8) *Syn.* 1. *Brancat. pag.* 23., *& in Inſtruct. in calce Syn. Abbati.*

qui ſine licentia (1) a chori Præfecto obtenta diſceſſerit, dum divina peraguntur officia, quive etiam obtenta licentia in ſacrario tempus teret longiuſculis confabulationibus. Idem autem chori Præfectus eam licentiam non impertietur pluſquam duobus (2) eodem tempore. Punctationi etiam ſubdantur Capellani, aliique, qui decantata in Hebdomada majore Paſſione Domini, poſtquam ſacris ſe veſtibus exuerint in Sacriſtia, ad chorum non redeunt ad reliquum Miſſæ, & ad inſequentes Horas. Pari ratione edicimus, ut qui munere Diaconi, Subdiaconique fungitur, vacet a choro per duas ex Horis ante Miſſam, & per duas, ſi immediate ſequantur, poſt Miſſam; quantum videlicet ſatis eſt, ut ſacras veſtes induat, & exuat.

XV. Septem Horæ Canonicæ omnes in choro recitentur (3) ſingulis diebus, nec ulla unquam prætermittatur, quacumque non obſtante conſuetudine. Si qua omittatur ex quocumque prætextu, punctatura omiſſæ Horæ reſpondens, per omnes ſervitio addictos perſolvenda, in Sacriſtiæ cedat utilitatem. In Cathedralibus, diebus omnibus cum cantu celebrentur una, vel plures Miſſæ juxta Rubricas, & Veſperæ; feſtis diebus decantetur etiam Hora tertia. In Collegiatis autem (4) ſaltem diebus feſtis decantentur Miſſa, & Veſperæ, ſicut & infra Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti. In Prioralibus vero Miſſa, & Veſperæ cum Miniſtris, & tertia ſimul Hora cantetur. Matutinum cum cantu recitetur in omnibus tam Cathedralibus, quam Collegiatis nocte Nativitatis Domini, die omnium fidelium defunctorum, in tribus officiis triduo ante Paſcha, & matutino tempore diei Sancti Paſchæ, & Pentecoſtes (5). Laudes vero, tam die Paſchatis, & Pentecoſtes, quam die titularis Eccleſiæ cujuſcumque decantentur (6) cum pluvialibus, & incenſatione, ut in Veſperis; iiſque diebus decernimus ſervitium eſſe commune, ut nequeat quis ſe eximere, alternativæ prætextu, juxta indultorum (7) ſupra commemoratas leges. Sin autem cantum præſcriptum omiſerint, trium aureorum pœnam (8) ſubeant omnes Eccleſiæ adſcripti contumaciter refragantes, facta inter ipſos repartitione, & dupla parte abſentibus aſſignata; eamque pœnam Sacriſtiæ addicimus. Cunctis vero Prioralibus diebus in matutino de mane perſolvendo cantetur *Te Deum*, & *Benedi-*

(1) *S. C. Ep. in Aprutin.* 18. *Apr.* 1617., & *S. C. C. in Lunen. Sarzanen.* 4. *Jun.* 1701., *Syn.* 4. *Branc. pag.* 11., *Syn.* 5. *Branc. p.* 6., *Syn.* 2. *Muti pag.* 21.

(2) *S. C. Ep. in Theat.* 18. *Apr.* 1617. *ap. Barboſ. l. c. cap.* 34. *n.* 17., & *Syn. Sermatth. pag.* 166.

(3) *Syn.* 1. *Muti pag.* 118.

(4) *S. R. C. in Favent.* 25. *Jun.* 1611., & 28. *Jan.* 1612. *in Oſcen.*

(5) *Syn. Montilj pag.* 139., *Syn.* 1. *Muti p.* 16.

(6) *Syn.* 8. *Brancat. pag.* 16.

(7) *Ex decret. cit. hoc cap. num.* 7.

(8) *Ex relat. in fol. S.C.C. in Ferentin.* 7. *Jun.* 1760., & *ad II. in Theſaur. Reſol. tom.* 29.

nedictus; idemque cantus habeatur per totam Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti in Matutinis poſt Veſperas recitandis ante expoſitum Sanctiſſimum Sacramentum. Si cantus omittatur, cuncti præſentes, & abſentes ſine legitima cauſa pari modo perſolvant ſacriſtiæ conſuetam punctaturam.

XVI. In Cathedralibus noſtris ex Pontificio (1) indulto Matutinæ preces diei ſequentis poſt Veſperas recitantur; at cum Collegiatæ Eccleſiæ ſimili conceſſione (quod ſciamus) careant, idcirco conſuetudinem recitandi pridie Matutinas Horas dumtaxat toleramus; præcipientes, ut hyemis tempore Matutinum non inchoetur, niſi poſt horam (2) primam, & vigeſimam, alias muneri ſuo non ſatisfaciant. In Prioralibus autem, & ſollemnioribus feſtis (quibus etiam Sanctiſſimæ Trinitatis feſtum, juxta Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta, ipſæ quoque Collegiatæ adnumerent) Matutinum ſemper recitetur mane, campanæ ſonitu per mediam horam anticipato. Quæ autem præſcripſimus circa aſſiſtentiam in choro, atque Horarum recitationem, ea ſervari volumus, non obſtante prætextu modici numeri intereſſentium, ita ut ſi fuerint etiam duo, vel tres (3) Canonici, teneantur perſolvere Officium Divinum in choro, ſolitis choralibus indumentis induti, ſub pœna puncturæ, ſi ſecus egerint, & in ſubſidium etiam cenſurarum.

XVII. Præter Miſſam principalem, quæ Conventualis dicitur, quæque pro benefactoribus in genere applicanda eſt, præcipimus, ut in ſingulis Collegiatis (quarum in numero ſemper comprehendi volumus etiam Collegiatam Vetrallæ inſignibus decoratam) ſecunda etiam, tertiave Miſſa conventualiter celebretur, vel decantetur iis diebus, quibus id faciendum eſſe (4) Rubricæ jubent. Hanc Rubricam, (5) utpote præceptivam, omnino ſervandam volumus, non obſtante quocumque abuſu in contrarium, ſub pœna unius aurei Sacriſtiæ perſolvendi pro qualibet vice, aliiſque arbitrio noſtro pœnis, ſi in abuſu retinendo obfirmatæ fuerint. Volumus etiam, ut in Ordine divini officii quotannis edi ſolito, indicentur dies, quibus, ultra conſuetam, aliæ Miſſæ erunt celebrandæ; & in libris Miſſarum appareat nomen ejus, qui ſecundam hujuſmodi, tertiamve Miſſam celebrarit. Unum id indulgemus, ut ſecunda hæc, tertiave Miſſa (6) applicari poſſit pro celebrantis libito; dummodo in commemoratione pro Defunctis, Eccleſiæ benefactorum in genere non obliviſcatur. Hortamur etiam quantum poſſumus,

 ut

(1) *Ex Brev. Paul. V. an.* 1612., *& Syn.* 1. *Brancat. pag.* 23.

(2) *S. C. C. in Mutinen.* 12. *Nov.* 1644. *in Trojan.* 14. *Nov.* 1699., *& Bened. XIII.* 8. *Jul.* 1726. *contra Capit. Papienſe ap. Lambertin. Inſt.* 107. *num.* 22.

(3) *S.C.C. in* Nullius *Orbetell.* 31. *Mar.* 1696.

(4) *Rubric. Gen. Miſſal. tit.* 3. *n.* 1.

(5) *Gavant., & Merat. in eum loc. cum plur. S. C. decret., Bened. XIV. Conſt.* Cum ſemper 1744. §. non modo.

(6) *Conſt. cit.* §. Hujuſmodi.

ut ea quoque Rubrica ſervetur, in qua (1) de Miſſis Defunctorum, cum altera de ſimplici, vel Dominica reſumenda, prima menſis die, ſermo eſt.

XVIII. Cum pluries per Sac. Rit. Congr. Decreta (2) Miſſas Conventuales cum cantu celebrandas quotidie in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis præſcriptum fuerit, jure merito verendum eſt, ne in iis Collegiatis, ubi nunc ita adauctus eſt numerus Canonicorum, ut ſatis eſſe poſſit ad Miſſarum decantationem, debitum chori ſervitium præſtetur per celebrationem ejuſdem Conventualis ſine cantu; quum Prædeceſſores noſtri, juxta Sac. Congr. Decreta, (3) id ſolum tolerarint, propter modicum inſervientium numerum. Ea vero ulterius toleranda non eſt conſuetudo non cantandi Miſſam in Aurora diei Natalis D.N.J.C., utpote Synodorum noſtrarum legibus (4), & uſui Eccleſiæ contraria. Abuſum hunc noſtra Viterbienſis Cathedralis Eccleſia ad cohortationem alterius ex prædeceſſoribus noſtris jam pridem laudabiliter abjecit. Non dubitamus proinde, quin & Collegiatæ hujus ſe exemplo conforment, modulantes eam Miſſam, ſaltem ſine Miniſtris. Volumus autem, ut hæc Miſſa, niſi a Dignitate cantetur, concinatur a Canonicis per vices, incipiendo a ſenioribus. Eadem per vices diſtributio in Collegiatis fiat, quoad ſecundam, tertiamve Miſſam ultra Conventualem.

XIX. Punctaturas juxta olim taxatam quantitatem ſervandas mandamus in Cathedralibus, & Collegiatis; ut nempe duos obolos ſolvant Canonici, qui Matutino cum Laudibus, vel Miſſæ, vel Veſperis non interſunt. Reliquis Horis, videlicet Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorio, unus obolus in ſingulas reſpondeat. Beneficiati in dimidio præfatæ taxæ multentur. Is, cujus (5) culpa Miſſa Conventualis non celebrabitur, ultra ſolitam punctaturam inter præſentes diſtribuendam, & ultra onus Miſſam remittendi, pœnam quinque juliorum ſacriſtiæ perſolvat pro qualibet vice. Similem pœnam duorum juliorum ultra ſolitam punctaturam luat, qui munus Diaconi, vel Subdiaconi diebus præſcriptis per ſe, vel per ſubſtitutum impleturus non aderit abſque ulla ex cauſis, quæ a reſidentia excuſent, cujus multæ dimidia pars ſupplenti, reliquum Sacriſtiæ applicetur. Diebus ſollemnioribus, quos Priorales communi vocabulo nominamus, juxta indicem in calce apponendum, abſentium punctatura Horis ſingulis reſpondens, ut ſupra (6) innuimus, duplicetur. Quolibet ſemeſtri punctaturæ extrahantur. Debitores, qui eas ſolvere ultra trimeſtre ab extractione diſtule-

---

(1) *Cit. Rub. Gen. tit.* 5. *num.* 1.

(2) *Ex decr. cit. ſup. hoc c. n.* 15., *&* *Fagnan. in c.* cum Creatura *de celebrat. Miſſar.*, *& in Append. N.* xv.

(3) *Ap. Merat. par.* 3. *tit.* 11. *n.* 29., *Syn. Montilj pag.* 99., *Syn.* 1. *Muti pag.* 121.

(4) *Syn. Montilj pag.* 98.

(5) *Syn.* 2. *Muti p.* 22., *Syn.* 1. *Brancat. p.* 42.

(6) *Sup. h. cap. num.* 5.

ſtulerint, dupli (1) pœna teneantur ad favorem Sacriſtiæ abſque ſpe relaxationis; ea lege adjecta, ut ſi quid per Sacriſtam remiſſum, aut omiſſum fuerit in harum pœnarum exactione, de proprio eidem Sacriſtiæ rependat: Si quis ſe indebite punctatum crederet, ſolvat primum; inde jura ſua ad Nos deferat.

XX. Ut cuicumque fraudi in punctando aditus occludatur, duos punctatores eligendos volumus, (2) alterum a Nobis, a Capitulo alterum; uterque vero coram Vicario noſtro, & Capitulo juramentum de fideliter punctando emittat, ac in ſeparatis libris unuſquiſque notet punctandos, habito inter ſe ſemper colloquio, ut, quantum fieri poteſt, concordes ſint; quilibet tamen conſcientiæ ſuæ ſatisfaciat. Punctator a Capitulo electus erit is, qui per turnum, vel aliam Eccleſiarum conſuetudinem, hactenus id munus obivit. Nos vero contrapunctatorem tam pro Canonicis, quam pro Capellanis, ex officio eligimus eum, quem chori præfectum ſupra declaravimus, atque ob eam rem ab onere punctandi per turnum exemptum volumus, ut officio punctatoris noſtri in qualibet ſui ſervitii hebdomada fungatur. Librum uterque caute cuſtodiat in capſula Sacriſtiæ, exhibendum (3) cuicumque poſtulanti. Si alteruter ex his abſit, ſequens in ordine munus exequatur. In caſu diſcordiæ inter binos hos punctationum libros, Capitulum examinet veritatem, ac definiat; reſervato (4) Nobis eorum, qui ſe gravatos ſenſerint, recurſu.

XXI. Horum punctatorum conſcientiam oneramus, ut incorrupte munus exequantur, nec amore, odio, ſpe, aut metu adducantur, ut aliquem injuſte gravent, aut levent; alias ſciant, ſe, præter perjurii reatum, teneri de ſuo ſatisfacere. Nemini ex illis liceat aliquid e libro delere. Si quis autem vel librum laceraverit, aut abripuerit, vel ab aliis exaratas punctationes abraſerit, aut alteraverit, pœnam (5) quinque aureorum ſubeat Sacriſtiæ applicandam. Punctandos autem mandamus, præter abſentes, etiam eos, qui aderunt, vel ſine habitu chorali, vel colloquendo (6), vel litteras legendo, vel dormiendo, vel extra ſtallum ſedendo, vel minus modeſte riſum edendo, vel in ſacrario, aut alibi notabilem trahendo moram. Hos omnes pro rata defectus punctandos decernet chori præfectus, non minus ac

(1) *Syn. 3. Brancat. pag.5., Syn. 7. ejuſd. p.6., Syn. Sermatth. pag.169., Syn. Abbati p.86.*

(2) *S. C. Ep. in Fundan. 15. Febr. 1595., in Licien. 18. Febr. 1605. ap. Nicol. v.* Punctator *num. 1., & Bened. XIV. de Syn. lib. 4. c. 4. num. 2., & in Append. N.* XV.

(3) *S. C. Ep. in Piſauren. 19. Nov. 1659.*

(4) *S.C.C. in Converſan.* Punctaturar. 4. *Dec.* 1706. *ad* 2.

(5) *Syn. 4. Brancat. pag. 12.*

(6) *S. C. Ep. Nucerin. Epiſc. 7. Sept. 1594., & in Theatin. 18. Apr. 1617. ap. Barboſ. de Canon. c. 34. num. 17.*

ac eos, qui cum aliis non recitant, nec pſallentium Beneficiatorum cantui ſe adjungunt (1); etſi forte Pſalmos ex officio, aut B. M. V. Roſarium tunc recitent.

XXII. Non reprobamus conſuetudinem (2) in noſtro Epiſcopatu jandudum receptam inſerviendi per ſubſtitutum; attamen, ne æquitatis, ac Canonum fines tranſiliantur, his legibus volumus eam conſuetudinem circumſcribi. Primo, ut ſubſtitutus ejuſdem ſit ordinis (3) cum ſubſtituente, tam pro officio, quam pro Miſſa decantanda: Secundo, ut uterque non ſit eodem die (4) ſervitio adſtrictus: Tertio, ut ſubſtituens non abſit a Civitate, & ſuburbiis (5) eo tempore: Quarto, ut hac ſubſtituendi facultate paſſim (6) non abutantur; quam ob rationem ſapienter edixerat alter (7) e Prædeceſſoribus noſtris, ut hæc ſubſtitutio valeat per duos tantum dies, ſive interruptos, ſive continuos in qualibet hebdomada, niſi modicus inſervientium numerus alias ſuaderet arbitrio noſtro. Quinto tandem, ut coadjutori hæc facultas ſubſtituendi (8) non permittatur. Hæc omnia ad amuſſim ſervanda mandamus.

XXIII. Nonnulla hic ducimus declaranda pro jubilatis, qui ſtante indulto a Sac. Congr. Conc. expediri conſueto, propter ſervitium continuum, (9) & laudabile per quadraginta annos non interruptos Eccleſiæ ſuæ præſtitum, gaudent etiam in abſentia fructibus, & diſtributionibus, ac ſi præſentes eſſent, quin ad ullam reſidentiæ legem, tam pro officio perſolvendo, quam pro Miſſis Conventualibus celebrandis teneantur. Attamen ſciant, laudabile ſervitium ita requiri, ut indultum (10) etiam conceſſum revocetur, quoties per Capitulum doceatur de raro ad chorum acceſſu; ſicut perſæpe jubilatos cogi ad inſerviendum, ſi viribus polleant, quoties (11) ſervitium Eccleſiæ detrimentum pateretur. Iidem, tametſi abſint extra civitatem, fruuntur (12) emolumentis aſſignatis pro Anniverſariis fixis,

(1) *Cit. Conſt.* Cum ſemper *§. ult.*, *& Lambertin. Inſt.* 107. *n.*16. *&* 24.

(2) *Syn. Abbati pag.* 85.

(3) *Lambertin. l. c. n.*17., *Syn.*4. *Brancat. p.*5. *Syn.* 6. *ejuſd. p.* 26., *Syn. Sermatth. p.* 166., *Syn. Abbati pag.* 85.

(4) *S.C.C. in Eugubin.* 1605., *in Alatrin.*1612. *in Callien.* 1628., *& in Ferentin.* 17. *Nov.* 1685.

(5) *S. C. C. in Fulginaten.* 31. *Maii* 1721. *Theſaur. tom.* 2.

(6) *Ead. in Aquilan.* 12. *Dec.* 1644. *ap. Lambertin. l. c. n.* 18.

(7) *Syn. Sacchetti pag.* 70.

(8) *S. C. C. in Caſertan.* 26. *Febr.* 1650. *ap. Lambertin. l. c.*, *&* 27. *Jul.* 1704., *Syn. Abbati pag.* 85.

(9) *S. C. C. ad dub.* Jubilation. 12. *Sept.*1717. *decretor. lib.*67., *&* 17. *Dec.* 1718. *Theſaur. tom.* 1., *& in Aquipend.* Jubilationis 27. *Maii* 1697. *ad* 1.

(10) *S. C. C. in Rom.* Jubilat. 6. *Aug.* 1712. *lib.* 62.

(11) *Ead. in Sabinen.* 2. *Oct.* 1717., *& in Conſtantien.* 4. *Maii* 1737. *Theſaur. tom.* 8.

(12) *Ead. in Novarien.* Jubilat. 29. *Nov.*1681., *in Lunen. Sarzanen.* 30. *Dec.* 1684. *ad* 1., *in Patavina* 9. *Jun.* 1714. *lib.* 64.

xis, in quibus cautum non eſt a teſtatoribus, ut intereſſentes tantum participare debeant; at in Anniverſariis (1) extraordinariis, in emolumentis funeralium ex (2) aſſociatione cadaverum, & in iis Anniverſariis fixis, quibus a teſtatore appoſita eſt (3) conditio dividendi inter præſentes tantum, participare non poſſunt, niſi interſint.

XXIV. Ut autem cuilibet punctatori præ manibus ſint cauſſæ legitimæ abſentiæ, quibus ſtantibus punctandi non ſunt, qui abſunt, quæque a Conc. Tridentino probatæ (4) ad tres claſſes rediguntur, nempe infirmitatem; juſtam, rationabilemque corporalem neceſſitatem; aut evidentem Eccleſiæ utilitatem, ſequentem damus elenchum. Excuſantur, immo & participatione diſtributionum, quæ dicuntur accreſcentiæ ex aliorum (5) punctaturis, (non tamen Anniverſariorum diſtributionibus) fruuntur infirmi, dummodo permaneant intra Civitatem, vel oppidum, (6) juxta antiquiſſimas hujus Epiſcopatus ſanctiones, & conſuetudinem. Infirmitas hæc tamen vera eſſe debet, non ficta, (7) parvique momenti; eique dumtaxat ſuffragatur, qui alias, cum ſanus foret, ſolitus fuiſſet (8) Eccleſiæ inſervire. Si tamen ex conſilio Medicorum demorentur extra Civitatem ad captandam (9) ſaluberiorem auram, vel aliquoties e domo exeant, non tamen noctu, ad deambulandum tempore convaleſcentiæ, vel (10) ad Miſſam celebrandam, excuſandi ſunt. Huc referuntur, qui podagra (11) laborat, (12) cœcus, vel qui poſt adeptum Canonicatum (13) utroque orbatus eſt lumine; quique medicinam ſumit, (14) aut ſanguine minuitur, vel thermales undas potat; non tamen ii, qui vel dulcium, vel acidularum aquarum, aut lactis potione ſibi medentur.

XXV. Ob corporalem neceſſitatem excuſantur abſentes peſtis (15) tempore, ſi peſtis graſſetur, atque judicium Epiſcopi ita definiat; ſi abſint propter vim illatam (16), aut metum patiendæ violentiæ, & injuriæ propter

(1) *In Citat. Lunen. ad* 2.
(2) *Ead. in Aquipend. Indulti* 1. *Apr.* 1719. *ad* 2. *par. dub.* 2. *Theſaur. tom.* 1.
(3) *Ead. in cit. Patavin.* 1714.
(4) *Trid. ſeſſ.* 24. *c.*12. *de ref.*, *S.C.C. in Mediolanen.* 7. *Dec.* 1715. *lib.* 65.
(5) *Ead.* 15. *Apr.* 1611. *ap. Lambertin. l. c. num.* 46.
(6) *Ead. in* Nullius 12. *Dec.* 1666. *ad* 2. *ap. eumd. l. c.*, *Syn.*6. *Brancat. p.* 27., *Syn. Sermatth. pag.* 167.
(7) *Lambertin. ibid. n.* 47.
(8) *S. C. C. pluries ap. eumd.*
(9) *Ead. in Lauretan.* 6. *Aug.* 1711. *lib.*61.
(10) *Ead. in Lauretan.* diſtribution. 2. *Maii*, 1716. *ad* 1. *lib.* 66.
(11) *Ead. ap. Fign. c.* licet *de præben. n.* 142.
(12) *S. C. C. in Aprutin.* Diſtribution. 7. *Jun.* 1755. *in Theſaur. tom.* 24.
(13) *Ead. ap. Lambertin. l. c. n.* 48.
(14) *Ead. ap. Fignan. l. c. n.* 150.
(15) *S. C. C. ap. Lambertin. l. c. n.* 50.
(16) *Ead. in Caſpen.* 17. *Sept.* 1616. *in Caputaquen.* 18. *Aug.* 1731., *in Majoricen.* 14. *Apr.* 1736. *in Tiburtin.* 7. *Sept.* 1737. *Theſaur. Reſol. tom.* 8.

pter injuſtas potentium inimicitias, ſi alias ſoliti fuiſſent reſidere; item ſi inquiſiti, aut carceri (1) mancipati non reſideant, modo tamen carceratio fuerit injuſta, eaque injuſtitia conſtet ex favorabili judicis ſententia, quæ tranſierit in rem judicatam, quamvis hæc munita foret clauſulis, vel - *tanquam non repertus culpabilis*, vel - *ex hactenus deductis*, vel - *non moleſtetur*; multoque magis ſi uti innocens abſolvatur: nunquam tamen diſtributionibus gaudeat, ſi dimiſſus fuerit cum clauſula - *ex quo ſatis*.

XXVI. Tandem ob Eccleſiæ utilitatem (2) non privantur diſtributionibus. I. Canonicus Theologus ea die, qua legit. II. Pœnitentiarius, vel alius Canonicus a Nobis deputatus loco Pœnitentiarii ad excipiendas Confeſſiones ea hora, qua actu ſive in confeſſionario, ſive extra, confeſſiones excipit in Eccleſia. III. Canonici, ſeu Beneficiati, quorum beneficio adnexa eſt cura animarum in eadem Eccleſia, actu eam exercentes, & Sacramenta miniſtrantes tempore divinorum Officiorum. IV. Exercitiis ſpiritualibus de noſtra licentia (3) vacantes in aliqua Religioſa domo extra Adventus, & Quadrageſimæ tempus, ac ſolemniores feſtivitates. V. Accedentes ad viſitationem ſacrorum liminum vel una cum Epiſcopo, vel Epiſcopi vice, dummodo trium menſium (4) ſpatium non tranſiliatur. VI. Canonici vel Beneficiati inſervientes Epiſcopo fructus præbendæ faciunt ſuos, licet in abſentia diſtributionibus careant; modo hi ſint tantum (5) duo, & (6) coadjutores non ſint, neque curam (7) habeant animarum. At Canonici Cathedralis, qui aſſiſtentiam (8) præbent, ut tenentur, Nobis Pontificalia exercentibus, vel generales Ordinationes habentibus, vel cum pluviali & mitra, aut cum cappa aſſiſtentibus divinis Officiis, & Miſſæ ſolemni tam in noſtris Cathedralibus, quam extra eas in Eccleſiis aliis intra Civitatum fines, vel ſuburbia exiſtentibus, nunquam diſtributionibus privari debent.

XXVII. Obiter hic pro aſſiſtentia nobis debita per Canonicos Cathedralium declaramus, nonniſi ad eos (9) ſpectare Nobis Pontificalia exercentibus aſſiſtere, etiam in aliis Civitatis Eccleſiis extra Cathedralem; dummodo in Cathedrali remaneat numerus ſufficiens Canonicorum, qui chori ſervitium præſtent; cum minime (10) conveniat, ut Epiſcopo inferiores Presby-

(1) *Ex plur. decret. congeſt. ap. Labertin. l. c. num.* 53.
(2) *Lambertin. cit. Inſt.* 107. §. IX.
(3) *Sup. h. tit. cap.* 1. *num.* 1.
(4) *S. C. C. in Brixien.* 18. *Septemb.* 1626., *in Regien.* 18. *Decemb.* 1627., *in Pennen.* 1. *Oct.* 1672.
(5) C. de cetero *de Cler. non reſid.*, & *S. C. C. in Viterbien.* 12. *Apr.* 1617.
(6) *Ead.* 15. *Jan.* 1685.
(7) *Ead. in Montisfaliſc.* 26. *Apr.* 1659.
(8) *Ead. ap. Lambertin. l. c. a num.* 60.
(9) *S. R. C.* 7. *Jul.* 1612. *in Elboren.*
(10) *Ead.* 2. *Aug.* 1631. *ap. Ferrar. v.* Canon. *art.* 6. *num.* 51.

Presbyteri inſerviant, quando & in (1) Collegiatis, & in Eccleſiis ipſis (2) exemptis munus hoc ad Canonicos ſpectat noſtros, cum quibus & circulum ad *Gloria &c.* habere debemus. Quin immo licet generaliter ſtatutum ſit, non frui diſtributionibus eos Canonicos, qui privatam Nobis Miſſam celebrantibus (3) aſſiſtunt; ex conſuetudine tamen (4) in Epiſcopatu noſtro laudabiliter inducta, in reverentiam Epiſcopo a Cathedrali Viterbienſi ſemper præſtitam, duo ejus Eccleſiæ Canonici in privatis Miſſis in eadem Eccleſia aſſiſtant, ſi quando in aliquibus feſtivitatibus ibi celebramus; eoſque diſtributionibus eo tempore non fraudandos ex S. R. C. decreto ſancimus. Hoc tamen advertant iidem noſtri Canonici, qui Nobis in choro aſſiſtunt, ut ſi quando inchoato (5) officio ſuperveniant Dignitates, ſenioreſque Canonici, debeant his dignioribus cedere locum aſſiſtentiæ, niſi paramentis eſſent ſacris induti.

XXVIII. Exceptis iis, quos ſupra memoravimus, ceteri omnes abſentes punctentur, quin excuſari poſſint munere, vel Vicarii (6) Generalis, vel Examinatoris (7) Synodalis, vel officialis tam ſacræ Inquiſitionis (8) quam Cameræ Apoſtolicæ, aut R. Fabricæ S. Petri, vel docentis in Seminario, aut (9) aliqua univerſitate, niſi Apoſtolico indulto Nobis exhibendo muniantur. Item non gaudent diſtributionibus conviſitatores (10) Epiſcopales, vel qui aſſiſtunt Epiſcopo in Monialibus velandis, vel confeſſarii abſentes a (11) choro, audiendi cauſa confeſſiones, niſi expreſſe deputati fuerint a Nobis in aliquibus ſolemnitatibus pro (12) Eccleſiæ neceſſitate; eoque minus, qui beneficii, vel devotionis intuitu Miſſas celebrant tempore divini Officii; niſi pro Eccleſiæ, populique ſervitio (13) ſpecialiter jubeantur celebrare a Præfecto chori, qui tamen cautum ſe gerat in hac licentia impertienda.

XXIX. Quod attinet ad punctaturas omnino mandamus corrigendum uſum noſtrarum Eccleſiarum, in quibus mos hactenus inolevit, eas redigi in cumulum, maſſamque communem, quæ deinde æqualiter in omnes diſtribuitur.

(1) *S. R. C. in Brunduſin.* 15. *Jul.* 1617.
(2) *Ead. in Alexandrin.* 7. *Febr.* 1604.
(3) *S. C. ap. Scipion. de Rubeis in Aphoriſm. Epiſc. v.* aſſiſtentia *num.* 2.
(4) *S. C. C. in Raguſin.* 16. *Mart.* 1658., & *in Catacen.* ſervitii 29. *Nov.* 1698.
(5) *S. R. C. in Iſernien.* 21. *Jun.* 1632.
(6) *S. C. C. in Tarentin.* 9. *Maii* 1671.
(7) *Ead. in Cremonen.* 20. *Sept.* 1642.
(8) *Ead. in Mediolanen.* 3. *Febr.* 1635., & 22. *Aug.* 1672.
(9) *V. Lambertin. Inſt. cit. num.* 72.
(10) *S. C.C. in Verulan.* Punctaturar. 10. *Aug.* 1694. *decretor. lib.* 44., & *ap. Fagnan. c.* licet *de præben. num.* 109.
(11) *Ead. in Senogallien.* 17. *Nov.* 1753. *ad VIII. in Theſaur. tom.* 22.
(12) *S. R. C. in Reatin.* 15. *Mar.* 1692.
(13) *S. C. C. ap. Lambertin. l. c. n.* 74., & *ſup. tit.* 2. *c.* 2. *n.* 49.

tur. Uſus hic, utpote Canonicis (1) legibus, juſtitiæque contrarius (2) omnino tollatur; cum æquum non ſit, diſtributiones ſolum præſentibus debitas cedere in non intereſſentium, imo & in ipſorum punctandorum utilitatem. Poſthac quælibet punctatura in ſolos præſentes dividatur, uti mos eſt in diſtribuendis Anniverſariorum emolumentis; ut, qui abſuit neque de alienis, neque de propriis puncturis participet. Vetamus etiam quamvis colluſionem, (3) remiſſionem, aut condonationem etiam de conſenſu totius Capituli factam non obſtante quacumque conſuetudine; declarantes, teneri ad reſtitutionem (4) eos, qui perceperunt diſtributiones pro tempore, quo ſervitium Eccleſiæ non præſtiterunt.

§. III.

De Congregationibus Capitularibus.

XXX. Legem in omnibus ſuperioribus Synodis (5) indictam, & per quam raro executioni mandatam, iterum promulgamus, ut ſemel ſaltem in ſingulos menſes, dato per campanam ſigno, habeantur Capitulares cœtus, in quibus ea, quæ ad Dei cultum, & res Eccleſiæ ſpectant, collatis conſiliis, pertractentur. Præmittantur conſuetæ preces, quæ in Tabella Sacriſtiæ ſint conſcriptæ. Adſint omnes in habitu chorali, quin integrum Capitulum valeat (6) ſuper hoc diſpenſare. Abſentes æque, ac inabſoluto Capitulo exeuntes punctentur; Canonici quidem in obolis decem, Capellani vero in quinque. Eæ ſolæ excuſent abſentiam cauſæ, quæ excuſare ſolent a choro, ut ſupra memoravimus. Ne habeantur (7) hæc comitia tempore divinorum Officiorum, niſi negotii urgens gravitas citam exigat expeditionem. Unuſquiſque juxta gradum, aut antianitatem ſedeat. Seniores prius ſententiam proferant; at ne deſpiciatur juniorum ſententia. Abſint rixæ, jurgia, & clamores quicumque; qua in re, qui peccarit, præcipiente digniore, tanquam abſens punctetur; et ſi quandoque gravius quis deliquerit conviciando, ab eodem digniore Nobis deferatur, ut publice per delinquentem juſſu noſtro petita venia coram iiſdem Capitularibus, honos cuique debitus reſarciatur.

XXXI. Ex-

(1) *S. C. C. in Aſculan. 5. Jun. 1706., & 5. Jan. 1707. ad v. dub.*

(2) *Pignatell. tom. 6. Conſult. 6., & S. C. C. in Cathacen. Edicti 18. Jul. 1699. decretor. lib. 49.*

(3) *Trident. ſeſſ. 24. c. 12. de Ref., S. C. C. in Avenionen. 25. Sept. 1700., & in Tridentin. 7. Jun. 1727. Theſaur. tom. 4.*

(4) *In citat. Aſculan. ad dub. x.*

(5) *Syn. Montilij pag. 152., Syn. 1. Muti p. 126., Syn. Sermatth. p. 163., Syn. Abbati p. 83.*

(6) *Barboſ. de Canon. c. 36. num. 1.*

(7) *S.C.C. in Oriolen. 27. Mar. 1632. ad 11., & ap. Barboſ. de Canon. cap. 35. num. 14.*

XXXI. Experientia docuit, perſæpe ſimultates gigni ex revelatione rerum in Capitulis pertractatarum, ſententiarumque libertati plurimum officere publicationis metum. Hinc non ſolum reſolutiones (1) capiendas mandamus per ſecreta ſuffragia ſub nullitatis pœna; ſed & privationis activæ, & paſſivæ vocis pœnam ſtatuimus, & in ſubſidium etiam excommunicationis cenſuram (2) jamdiu a prædeceſſoribus noſtris ipſo jure latam comminamur in eos, qui rerum, ac negotiorum in Capitulo geſtorum, alteri, quam Nobis, ſecretum prodent. Si de re ad aliquem ex ipſis Capitularibus ſpectante agatur, ſicuti is, de quo agitur, a Capitulo (3) exire debet, ita & eidem revelationem Actorum, aut dictorum fieri, ſub eadem pœna, vetamus. Has pœnas volumus habere locum, quoties ſuam ſententiam proferens, annuente majore Capituli parte, ſecretum requiſierit.

XXXII. Ob extraordinarias cauſas convocari poteſt Capitulum etiam ad inſtantiam cujuſcumque. Attamen ſolus chori Præfectus, aut, eo abſente, vel renitente, dignior, qui ſequitur, illud convocet. Menſtrualia capitula idem ipſe Camerarius pro tempore, tanquam hac lege præfinita convocet prima Dominica cujuſque menſis die non impedita longioribus Eccleſiæ functionibus, excepto Adventus, & Quadrageſimæ tempore propter aſſiſtentiam concionibus debitam; qui camerarius ſi in eo negligens fuerit, multam ſubeat ſingulis vicibus aurei unius Sacriſtiæ applicandam; qua etiam puniatur, ſi captas reſolutiones in librum infra hebdomadam non retulerit, eique, qui Capitulo præfuit, non exhibuerit legendas, & ſubſcribendas, ne unquam ſuper ſuſceptis deliberationibus dubitandi occurrat occaſio.

XXXIII. Si de re aliqua gravioris momenti tractetur, in qua enucleanda non parum diligentiæ, ſtudiive requiratur, præcipimus, ut quæ in uno Capitulo proponuntur definiantur, in alio, ut quilibet inſtrui poſſit in veritate inveſtiganda, nec præceps fiat, & inconſulta reſolutio. Porro reſolutiones quælibet validæ ſint, cum major, ſaniorque pars ſuffragiorum in eas (4) conveniet, niſi agatur (5) de negotio Canonicos uti ſingulos concernente. Nemini vero ex Capitularibus, etiamſi (6) Vicarius foret, jus competat duplex ferendi ſuffragium, ſed unum tantum. Suffragium non det, qui ſaltem

(1) *Trident. c. 6. ſeſſ. 25. de Regul., Syn. Montilj pag. 153., aliæque.*

(2) *Syn. 2. Muti p.22., Syn. 4. Brancat. p.12., Syn. Sermatth. pag. 164.*

(3) *Barboſ. de Canon. c.35. num.8., Rot. in Gerunden. 12. Jun. 1703. cor. Priol., Syn. 1. Muti pag. 127., Syn. Sermatth. p. 163.*

(4) C. cum in cunctis *de his, quæ fiunt a major. par. capit.*

(5) *C. fin. de majorit., & obed., Gl. v.* noluerint, *& Fagnan. in cit. c.* cum in cunctis *num. 8., & ſeqq.*

(6) *Card. Petra tit. 1. Comment. in Conſt. 1. D. Leonis ſect. 2. num. 19.*

tem in ſacro Ordine non ſit conſtitutus etiam in Collegiatis (1). In ſuffragio ferendo unuſquiſque conſulat conſcientiam ſuam, ne privatis ſtudiis, aut affectionibus abducatur; ſed Dei gloriam, publicamque utilitatem præ oculis habeat, ſciens ejus ſuffragii veritatem, & juſtitiam exquirendam eſſe tandem aliquando a Deo Judice, ac Vindice.

XXXIV. Quolibet anno fiat Officialium electio per ſecreta ſuffragia ſub pœna nullitatis actorum. Inter hos præ cæteris habeatur ratio eligendi aptiores ad Camerarii, Sacriſtæ, Cæremoniarum Præfecti, Archiviſtæ, & Syndicorum munus exercendum. Quicumque librorum, ſcripturarum, mobilium, aut Archivi traditionem accipiet, illico in codice ad hoc præparato confeſſionem receptarum rerum proprio charactere, & nomine exharabit, & juramentum coram (2) Capitulo præſtet de ſuo munere fideliter, & diligenter, ſicut humana conditio patitur, exequendo; cujus juramenti formulam in Appendice exhibemus ſub numero xvi. Munus, ut præfertur, per ſecreta ſuffragia demandatum reſpuat nemo, ſub pœna ſcutorum trium Sacriſtiæ perſolvendorum; reſervata Nobis graviore coactione, ſi neceſſariam ad munus exequendum detrectantem perſonam putabimus.

XXXV. Quæ hactenus de Capitulis mandavimus, ex proportionali ratione intelligenda ſint (3) circa Congregationes Cleri noſtri Viterbienſis, quas bis in anno, videlicet Junio, & Decembri habendas ſtatuimus ab Officialibus, ac Deputatis ex Eccleſiis ſæcularibus, & Regularibus ſelectis; in quibus Congregationibus ſtatuta vetera reformentur: Cleri bona, ac jura examinentur: & Eccleſiaſtici ordinis immunitati caveatur, ne ſenſim abuſus irrepant, per quos Clericalis exemptio infringatur. Siquæ graviora occurrant, ea ad Nos delata, & juſſu noſtro in generali totius Cleri convocatione examinata pro viribus, juxta ſacrarum ſanctionum jura, tuebimur.

XXXVI. Tam Capitulorum, quam Cleri Exactores, Adminiſtratores, ſeu Camerarii omnino infra bimeſtre ab expleto munere libros adminiſtrationis tradant diſcutiendos, & ſolidandos (4) a Syndicis reſpective electis. Bimeſtri elapſo Camerarii, aut Syndici, per quos ſteterit, quominus ea ſolidatio facta ſit, pœnam luent unius aurei in ſingulos, Sacriſtiæ applicandam; quolibet autem menſe ea pœna duplicetur, donec juſſa noſtra hæc impleantur. Qui nomine Capituli, vel Cleri, hoc, illove inſciis, quidpiam aget, vel ſcribet, ſuſpenſus ſit a divinis ipſo facto, abſolutione Nobis (5) reſervata. Quæ circa chori ſervitium, Miſſarum celebrationem, aliaque in Statu-

(1) *Trident. ſeſſ. 22. de ref. c. 4.*
(2) *Die 3. Maii 1741. Ponent. Em. D. Card. Rezzonico, nunc CLEM. XIII. SS. D.N.*
(3) *Syn. Sermatth. p. 164., Syn. Abbati p. 84.*
(4) *Ex iiſd. Syn.*
(5) *Ex eiſd. Syn.*

Statutis Cathedralis noſtræ Viterbienſis per Nos confirmandis ſtabilita ſunt, ea ſemper in ſuo robore permanere declaramus.

CAPUT TERTIUM

De Parochis.

I. P*Aſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo* (1). His verbis primus Paſtorum, & Apoſtolorum princeps Petrus alloquens eos, in quorum locum ſuffecti ſunt Parochi, tria potiſſimum damnat, unde tam ſanctum miniſterium Dei gregis paſcendi fœdiſſime deturparetur; eaque ſunt deſidia, cupiditas, & ambitio; quibus ſi, eodem Apoſtolo monente, vigilantia, bona voluntas, & charitas opponantur, indubium eſt, quin Parochus boni paſtoris officio functus percepturus ſit *immarceſcibilem gloriæ coronam, quum apparuerit Princeps* (2) *Paſtorum*. His igitur dotibus acquirendis ſicut bonus Parochus inſudare debet, ita & Nos monita ſequentia tradimus.

II. Quicumque ad Parochialem Eccleſiam regendam evectus eſt, is ſe illico cogitet ex hominibus aſſumptum, & pro hominibus conſtitutum in iis, quæ ſunt ad Deum. Optaremus, ut ſtatim ab electione in aliquam ſe reciperet Religioſam domum, ibique incluſus, antequam animarum curæ manum apponat, ad octo dies piis meditationibus cor pararet, ut abjectis deliciis, luxu, temporalis lucri amore, & prælationis ambitu, ſerio perpenderet, ſe uni Deo, animarumque ſaluti in poſterum ita litatum eſſe, ut, ſi opus ſit, animam ſuam ponat pro ovibus ſuis. Cogitet, mercenarii Paſtoris indicia portendere eum, qui *terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris paſcitur, & impenſa ſibi ab hominibus reverentia* (3) *lætatur*: optimum autem Paſtorem eum eſſe, qui Chriſti Domini Paſtoris ſummi humilitatem, patientiam, manſuetudinem, & ferventiſſimam charitatem in conquirendis, ac ſalvandis ovibus ſuis imitetur.

III. Primum onus a capta Parochiæ poſſeſſione ſit, profeſſionem fidei (ut initio harum Conſtitutionum ſanximus) coram Nobis, vel Vicario noſtro emittere; ac ſibi comparare, ſi non habet, utriuſque teſtamenti codicem, Tridentinum Concilium, Catechiſmum Romanum, Doctrinam majorem Card. Bellarmini, Synodum hanc noſtram, & probatum aliquem aucto-

---

(4) 1. *Petri* 5. 2. (2) 1. *Petr. l. c.* (3) *S. Gregor. hom.* 14. *in Evang.*

auctorem homiliarum, & Theologiæ moralis, ſuper quibus exquirendis in ſacra Viſitatione eum urgebimus (1) ſub pœnis pecuniariis arbitrio noſtro. Alte infixa ſit cordi Parochorum reſidentia; quæ primo quidem ſita eſt in perſonali habitatione in ſua Parochia, a qua, ſi abſque juſta cauſa abfuerint, pœnis a Tridentino latis (2) ſubjicientur; quarum ea potiſſima eſt, ut, præter mortalis peccati reatum, pro rata temporis fructus non faciant ſuos. Juſtam autem abſentiæ cauſam per Nos approbandam ſciant; ita ut ipſis non liceat ultra biduum (3) abeſſe ſine noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis licentia in ſcriptis, & gratis concedenda, ſub pœna ſubtractionis fructuum pro rata abſentiæ; quæ tamen licentia in caſibus (4) repentinis etiam per Vicarios foraneos concedi poſſit, modo tamen quam primum Nos faciant de abſentia certiores.

IV. Arctioribus etiam legibus hæc Parochorum reſidentia concluditur; ut neque ſenilis (5) ætas, neque mala valetudo eos excuſet a perſonali commoratione in ſua Parochia; unde, ſi ruralis ſit, celebrataque ibi ſummo mane Miſſa, nequeant ſe conferre (6) ad civitatem, & in ea diurno tempore majore parte anni commorari, licet noctu ſemper ad ſuas Eccleſias ſint reverſuri; tametſi apud eaſdem Eccleſias adſit eorum ſubſtitutus; quem quamvis a Nobis approbatum habere eis liceat, imo vero (ubi frequentia populi id exigit) neceſſe (7) ſit, ipſi tamen per ſe ipſos populum ſibi in curam traditum paſcere haud (8) minus tenentur. Eos autem monitos volumus, non aſſumendos ſubſtitutos, aut coadjutores, quoties non impediti, nec in aliis magis neceſſariis exercitiis occupati, poſſint citra omne auxilium per ſe ipſos munia parochialia, præſertim (9) principalia adimplere; inter quæ connumerantur Doctrina Chriſtiana, Catecheſis, & prædicatio ab ipſomet Parocho facienda, ſub pœnis arbitrio noſtro ſtatuendis, non vero per (10) coadjutores, vel ſubſtitutos exercenda.

V. Ab eadem localis reſidentiæ lege profluit, non poſſe Parochum habitare, niſi (11) in ædibus Parochialibus; & quanquam domus propria, vel conjunctorum intra Parochiæ fines ſita eſſet, ex eaque commode poſſet mune-

(1) *Syn. Montilj p.* 137., *Syn.* 1. *Muti p.* 138., *Syn. Sacchetti p.* 77.
(2) *Trident. ſeſſ.* 23. *c.* 1. *de Reform.*
(3) *Concil. Rom.* 1725. *tit.* 17. *c.* 6.
(4) *Fagnan. c.* relatum *de Cler. non reſid. n.*42.
(5) *S. C. C.* 3. *Octobr.* 1671. *lib.*27. *decretor.*
(6) *S. C. C.* 10. *Maii* 1687. *in Fulginaten.*
(7) *Lambertin. Inſt.* 94.
(8) *Lambertin. Inſt.* 17. *num.* 20., *S. C. C. in* Nucerin. *Paganor.* 26. *Febr.* 1707. *decretor. lib.*57., & 19. *Maii* 1708. *lib.*58.
(9) *S. C. C. in Sabinen.* 10. *Mar.* 1742. jur. Parochial. *ad* v. *in Theſaur. tom.* 11.
(10) *Ead. in* Nullius *Orbetelli* 28. *Apr.* 1736. *ad* 1., & *in Tolentin.* 16. *Maii* 1739. *ad* 2. *in Theſaur. Reſol. tom.* 9.
(11) *S. C. C. in Fulginaten.* 19. *Nov.* 1718., & 13. *Jun.* 1720., & *Rot. in Tarraconen.* Juris reſiden. 15. *Mar.* 1734. *cor. Arrach.*, & *S. C.C. in Tarraconen.* reſident. 24. *Mar.* 1736.

muneri ſuo ſatisfacere, adhuc tamen, Parochiali deſerta, minime fas eſt domum (1) propriam incolere. Poteſt quidem a Nobis ad tempus licentia Parocho impertiri commorandi, ex aliquo gravi motivo, in domo non Parochiali intra limites Parochiæ ſita; nihilominus neceſſitate ceſſante ad ædes Parochiales redire (2) eſt compellendus. Has localis reſidentiæ leges Parochis omnibus indicimus, pœnaſque ſupra memoratas comminamur, ſi abſque Sedis Apoſtolicæ indulto extra Parochialem domum incolatum figant.

VI. Gravior eſt reſidentia, quam vocant formalem; ejuſque partes egregie inſinuantur (3) in Romano Concilio, ut videlicet *plebem per ſe in Catholica Fide inceſſanter inſtruant, Sacramentis reficiant, infirmos viſitent, moribundis adſiſtant, quotidianas pro populo ad Deum preces, & orationes effundant, & laudabili vitæ, ac converſationis exemplo, virtutibus, & morum diſciplina omnibus præluceant, viamque ſalutis præmoſtrent*. Harum nonnulla alibi jam expendimus, dum de Doctrina Chriſtiana, ac Sacramentis ageremus; quin immo univerſa pene Synodus Parochorum officia complectitur, quum ii ſint præcipui in Paſtorali ſollicitudine Epiſcoporum adjutores. Supereſt tantum, ut nonnulla commoneamus, quæ ad id loci, eos ſpeciatim allocuturi, reſervavimus.

VII. Singulis Dominicis, & Feſtis diebus de præcepto Miſſam pro populo ſibi commiſſo (4) applicent, & offerant, quacumque conſuetudine etiam immemorabili in contrarium non obſtante. Si quis Parochus adeo tenues reditus, & proventus exiguos habeat, ut onus hoc ipſi detrimento foret ad vitam alendam, Nos ejus inopiæ, juxta modum a S. M. Benedicto XIV. propoſitum, conſulemus. Si vero Dignitas curata cantet Miſſam Conventualem, tunc alteram Miſſam (5) pro populo alteri celebrandam demandet, collata eidem eleemoſyna. Ea Miſſa in ipſamet Parochiali Eccleſia, non vero in alia, omnino celebranda eſt, quacumque conſuetudine (6) non obſtante. Hora ſeligatur, non ad Parochi arbitrium, ſed populi commoditati magis congruens, & accomodata.

VIII. In Parochiali Miſſa, præter conſuetam Euangelii explanationem, Feſtos dies, ſacra jejunia intra hebdomadam occurrentia, edicta, & Indulgentias a Nobis recognitas populo denuncient, & præcipuarum ſolemnitatum myſteria explicent. Item qualibet ſexta feria, hora prima poſt viceſimam, per campanæ ſonum excitent fideles ad recolendam D.N.J.C. acerbiſſimam mortem

(1) *S.C.C. in Pontis Curvi* Reſident. 20. *Dec.* 1755. *Theſaur. tom.* 25.
(2) *S.C.C. in Tarraconen. cit. Theſaur. tom.* 7.
(3) *Concil. Rom.* 1725. *tit.* 1. *c.* 4.
(4) *Bened. XIV. Conſt.* Cum ſemper 1744.
(5) *S. C. C. relat. in Syn. Abbati pag.* 80.
(6) *S. C. C. in Lucana* 15. *Sept.* 1625., & 17. *Nov.* 1629. *ap. Barboſ. in Summ. Deciſ. v.* Parochus.

mortem, ad quem ſonum recitantibus quinquies Orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, centum dierum indulgentia impertita eſt (1). Curabunt, ut pariter campanæ ſonitu ſignum ſalutationis Angelicæ in aurora, meridie, & veſpere ſemper detur, atque circa primam noctis horam ſimili modo excitentur fideles ad preces pro Defunctis effundendas. Idem ſignum longiuſculis pulſationibus edatur veſpere, qui jejunia præcedit; & ſpatio circiter dimidiæ horæ ante mediam noctem, quæ præcedit diem Cinerum, ad ſonitum campanæ Cathedralis, ſeu Matricis Eccleſiæ, Parochi omnes teneantur longioribus pulſibus præmonere populum de imminente ſacro Quadrageſimali jejunio.

IX. Paſcere etiam populum debet Parochus Sacramentis; in quibus adminiſtrandis ne dum promptus, & ſollicitus, ſed & obvius ſit petentibus. Diluculo diebus feſtis, ac præcipue in ſolemnioribus Paſchæ, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini, aut cum jubilæum, aut plenaria indulgentia conceditur, ſedi confeſſionali aſſideat. Nunquam faſtidio correptum ſe oſtendat; neque aliquem unquam inurbanis, & aſperis verbis deterreat, aut repellat, ſed paterna prorſus charitate, & comitate excipiat omnes, immo invitet. Infirmis præcipue præſto ſit; eo enim tempore propenſum, paternumque ſentire debent populi animum Parochi. Eos ſæpe tunc inviſat, labori non parcat, & tum temporalibus, tum ſpiritualibus ſubſidiis opituletur; & ſi quando vis morbi eo deveniat, ut in extremo vitæ agone ægrotus luctetur, ſciat Parochus, tunc præſertim teneri ſe adjutorem moribundo adſtare, quamvis de noſtra licentia coadjutorem, ſeu ſubſtitutum (2) detineret.

X. Huc accedit Tridentini (3) monitum, quo jubentur animarum Rectores *oves ſuas agnoſcere*. Parochi ſiquidem præ ceteris omnes, & ſingulos in parœcia ſua degentes, eorumque vitam, & mores, quantum fas eſt, ſatis cognitos habere debent. Ob eam rem ſub pœna trium aureorum præcipimus, ut quotannis poſt quindecim a Paſchate dies ad Curiam noſtram tranſmittant, juxta ſolitum, exemplar ſtatus animarum, quarum indicem ineunte Quadrageſima incipiant texere in Codice ad hoc compacto, & apud ſe detento; in quo ſingularum ovium numerum, ſexum, ætatem, conditionem deſcribant, ſecundum normam in Rituali Romano præſcriptam. Summa item vigilantia provideant, nequid inter proprias oves irrepat, quod fidem, moreſque poſſit corrumpere; ſiquid irrepſerit, opportuno fraternæ, ſecretiſſimæque correptionis remedio compeſcant. Ubi pluries adhibita ſecreta correctio non proderit, & vitium quaſi e latebris in omnium conſpe-

(1) *Bened. XIV. Conſt.* Ad Paſſionis 1740. §. Verum *Theſaur. tom.* 7.
(2) *S. C. C. in Sipontin.* 1. *Dec.* 1736. *in fol.* (3) *Trident. ſeſſ.* 23. *de Ref. c.* 1.

conſpectum erumpere cæperit, tum Sacerdotali conſtantia objurgent, increpantes in omni patientia, & doctrina. Si tandem hæc non proficiant, ad Nos deferant.

XI. Charitatem quam maxime, utpote Chriſti ſummi Paſtoris teſſeram, Parochus hæc agens præſeferat. In verbis, in cultu, & in ſuavi, æquabilique totius oris, ac corporis habitudine hæc luceſcat. Per hanc errantes in viam, peccantes ad bonam frugem, perverſos, atque obfirmatos ad veram emendationem pertrahere ſtudeat; nec perire ſinat etiam perire volentes; ut ejuſdem Paſtoris ſummi exemplo gloriari in Domino poſſit, non perdidiſſe quemquam (1) ex iis, qui ſibi ſunt traditi. Inveſtiget, an odia, ſimultateſque, præcipue domeſticæ, ovium unitatem diſcindant; an viri ab uxoribus propria vivant libertate publice ſejuncti; an filii a parentibus, a dominis ſervi pie, ſancteque inſtituantur; an inter promiſcui ſexus perſonas ſuſpectæ familiaritates, & male olentes amicitiæ foveantur; an denique publica ſcandala graſſentur. In his tamen inveſtigandis haud faciles præbeant, ut ſupra (2) monuimus, aures incertis vocibus; ſed rem quaſi manu tangant, antequam medicam manum apponant; ne præpropera, & inconſiderata correctio famam innocentium ſauciet; aut inde gravius malum emergat, unde minus medicari mens erat.

XII. Ad eamdem charitatem pertinet alterum Tridentini monitum, nempe (3) *pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere*. Viduas proinde, ac virgines, orphanos, ac pupillos pro viribus tueantur, reficiant, recreent. Egenos, ac pauperes corporali ope indigentes, vel propriis, vel de alieno penu procuratis (4) ſubſidiis juvent. Caveant, ne ſimiles ſint Sacerdoti illi Euangelico, qui in hominem incidens a latronibus ſpoliatum, & confoſſum, nulla miſeratione commotus præteriit. Sacerdotali conſtantia oppreſſorum jura tueantur, & in ſuarum ovium incolumitatem, quemvis inſumere laborem, ſubire omnes caſus, omnem vim, atque injuriam perferre; uno verbo, animam pro illis ponere (5) non detrectent. Sæpe divitum auribus, animiſque ingerant eleemoſynæ præceptum; ac ſubinde omni conatu commendent aſſertam (6) a ſummis Pontificibus libertatem pauperibus, colligendi ſpicas poſt abſolutam meſſem. Imprimis autem egenis, & mendicantibus invigilent in iis, quæ ad animam ſpectant; cum experientia didicerimus, eos, ut plurimum, in id unum intentos, ut quæritent, unde vivant, lugenda prorſus ignorantia,

Z etiam

(1) *Jo.* 18. 9.
(2) *Sup. tit.* 2. *cap.* 2. *num.* 14.
(3) *Trident. l. c.*
(4) *Syn.* 1. *Muti p.* 69., *Syn.* 1. *Brancat. p.* 28.
(5) *Jo.* 10. 11.
(6) *Bened. XIV. Conſt.* Acerbi 1742.

etiam cum ſenuerint, occupatos eſſe, & ad Sacramenta percipienda rariſſime accedere. His igitur edocendis, & ad Sacramenta trahendis pari patientiæ, & charitatis conſtantia inſudet Parochus, quippe qui Euangelizare pauperibus in Euangelio docetur.

XIII. Obiter hic Rectorem animarum monitum volumus, ne permittat feminas juvenilis ætatis ſupra ſeptem annos, ad quæſtuandum per urbem vagari, quum id ut plurimum impudicitiæ viam aperiat; ſed eas domi ſeſe continere jubeat, ut operantes conſilio manuum ſuarum ſibi victum quæritent; idemque Parochus omni conatu opera ab ipſis certa pacta mercede peragenda procuret. Si ſæpius monitæ non obtemperarint, nomina ad Nos deferat, ut laſcivientem hanc circumeundi licentiam coerceamus.

XIV. Quod autem omnium maximum cordi eſſe debet animarum Rectoribus, illud eſt, ut Pauli oraculum in facie inſculptum commonſtrent, quo dicatur: *imitatores mei eſtote ſicut, & ego* (1) *Chriſti*. Sint ipſi forma gregis, *& quæcumque juſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; ſiqua virtus, ſiqua laus* (2) *diſciplinæ*, hæc ſemper faciant, & exhibeant, antequam doceant. Nemini ſe indignatos, aut offenſos oſtendant, ſed aliorum iram lenitate, manſuetudine furorem extinguant; curentque, ut non mala pro bonis, ſed bona pro malis retribuant, & aliorum vitia virtute rependant. Procul ab eis ſordida numorum cupiditas; ſed eorum divitiæ lucra ſint animarum. A luxu, a commeſſationibus, a theatris, choreis, jocis, & ab omni vel minimum reprehenſibili familiaritate cum feminis, & cum laicis perſonis abhorreant; cum rationem habere debeant, non conſcientiæ (3) tantum, ſed etiam famæ; nihilque in eis ſit, de quo ipſi invidi obtrectatores poſſint ſuſpicari. Ipſa Parochi domus ſanctitatem redoleat, & quæ in aliis vellent virtutum ornamenta inſculpere, ea primum in ſe ipſis, & in domeſticis ſuis inſtillent, & infigant.

XV. Libros Parochiales diligenter cuſtodiant in Eccleſiæ Archivo, quod, ſicubi factum non ſit, omnino intra menſem extruatur. Adſint etiam in eo Archivo libri Inſtrumentorum Eccleſiæ, & Codex, in quo ſingulis annis deſcribatur ſtatus animarum. In Archivi interioribus poſtibus, grandiuſculis litteris deſcripti ſint libri omnes ibi contenti; eorumdem librorum index inſeratur etiam Inventario (de quo mox) bonorum Eccleſiæ mobilium, atque ſacrorum vaſorum, ſupellectilium, & Reliquiarum. Proprium ſigillum habeat etiam quælibet Parochialis Eccleſia, cui S. Titularis imago ſit

(1) 1. *Cor.* 4. 16.
(2) *Philipp.* 4. 8.
(3) *Hieronym. ad Celan.*

ſit inſculpta, & quo tantum uti debeat Parochus in teſtimonialibus firmandis, quas pro ratione officii exarabit.

XVI. Cum non ſine mœrore audierimus, in pluribus Parochiis Inventarium deſiderari, factumque nunquam fuiſſe, hac noſtra lege, ſub pœna (1) ſuſpenſionis latæ ſententiæ nobis reſervata, ſancimus, unumquemlibet Parochum omnino teneri infra ſemeſtre exactiſſimum inventarium omnium mobilium conficere coram duobus probis viris, inter ejus Parochiæ primores eligendis a Capitibus familiarum in Eccleſiam congregatis; quod inventarium ab ipſomet Parocho, & a binis illis tanquam teſtibus ſubſcriptum in Archivo retineatur. Unum hujuſce inventarii exemplar penes ſe duo illi primores aſſervabunt; aliudque exemplum ſimili modo ſubſcriptum ad Curiam noſtram deferatur; ſiquid autem, vel ex pia fidelium largitione, vel ex ipſius Parochi donatione de novo fiat, illico per eos primores in inventarii exemplaribus deſcribatur.

XVII. Ubi autem mors Parochi advenerit, ipſimet primores, accitis Cancellariis noſtris, exigant ab hæredibus fidelem traditionem librorum, ſcripturarum, ſigilli, vaſorum, ſupellectilium, ad tramites exemplarium a defuncto Parocho ſubſcriptorum. Siquid hæredes ſubtraxerint, excomunicationem (2) incurrant Nobis reſervatam, a qua, niſi facta reſtitutione, abſolvi non poſſint. Iidem primores exactam gerant cuſtodiam omnium, donec novus Parochus acceſſerit; & œconomo per Nos deputando invigilent, nequid in damnum Eccleſiæ moliatur. Inter hæc eorumdem primorum onus ſit, ut defuncti Parochi hæredes congruam ceræ quantitatem relinquant, tum ob Miſſas celebrandas, tum ob Sanctiſſimum Viaticum deferendum, ſaltem ad quindecim libras. Ubi autem de novo Parocho proviſa fuerit Eccleſia, ipſimet primores electi, coram Cancellario, Inventarium novo Parocho in actu poſſeſſionis perlegant; quæ in eo deſcripta ſunt, aperiant, & tradant; curabuntque, ut novus Parochus (quem, ſub eadem ſuſpenſionis reſervatæ pœna, volumus ad id teneri) tam Archivii Inventarium, quam utrumque exemplar propria manu ſubſcribens, traditionis ſibi factæ confeſſionem emittat, ipſis poſtea tanquam teſtibus iterum ſubſcribentibus. Defuncto aliquo ex his teſtibus, alius illico ſubrogetur ad electionem Parochianorum, ut ſupra. Dignitas Curata inventarium hoc faciat, præſente, & ſubſcribente Capitulo.

XVIII. Hactenus de Parochorum muneribus; nunc aliqua eorum juribus brevi ſunt ſermone tractanda. Atque in primis reverentiam Parochis debitam Chriſtifidelibus cunctis commendamus. Adjutores noſtri ſunt, & ad

(1) *Ex Concil. Rom. tit.* 12. *cap.* 1.

(2) *Syn. Abbat. pag.* 81.

ad formam ſeptuaginta Domini Diſcipulorum in miniſterio Eccleſiaſtico ſunt promoti (1). Eos igitur cuſtodientes, ut pupillam oculi noſtri, mandamus, ſummo honore, ac reverentia haberi a cunctis tam Sacerdotibus, quam laicis, atque ab iis præcipue, qui eorum ſunt curæ concrediti. Patres animarum ſunt; ut Patres igitur oves ſubjectæ diligant, colant, honorent. Nemo audeat, nedum conviciis, ſed ne aſperis quidem, aut rixoſis verbis, vel irato ſupercilio, cum iiſdem certare. Monita ſui Paſtoris demiſſo, atque obſequenti animo unuſquiſque accipiat; &, ſi quandoque minus juſte redarguatur, Nos adeat, ut indebitam Parochi ſeveritatem corrigamus, non autem idem ipſe Rectori ſuo convicietur. Qui ſecus egerit, carcere, fuſtigatione, exilio ſine aliqua remiſſionis ſpe punietur.

XIX. Decimas, ſive prædiales ſint, ſive perſonales, aut Sacramentales (2) exigere alterum eſt jus Parochorum, ubi conſuetudo eas exigendi viget; atque hoc jus indicta excommunicationis ſententia ſartum tectum volumus. In Civitate autem noſtra Viterbii, quum jam inde a Viſitatione Apoſtolica anno 1574. indefinite injuncta fuerit decimarum ſolutio a colonis, & bonis; cumque in erectione Parochialium ruralium auctoritate ordinaria facta huiuſmodi decimæ, ſeu præſtatio annua earum loco ſubrogata, in congruam Rectorum ſuſtentationem fuerint aſſignatæ, quod aliunde Rectores ipſi reditus Eccleſiaſticos ad vivendum non habeant; hinc profecto liquet, nullos, neque Regulares quomodolibet exemptos eximere ſe poſſe ab iis ſolvendis, niſi, per Apoſtolicum (3) Privilegium in ſuo robore permanens, capiti *Nuper* de Decimis expreſſe fuerit derogatum; præſertim quum ſpeciatim de *Prædiis* eas deberi, antiqua hujus Epiſcopatus (4) ſanctione fuerit conſtitutum. Quocirca diſtricte præcepimus, ut ab omnibus, juxta taxam, & conſuetudinem jam præfinitam, omnino ſolvantur; aperte declarantes, Nobis factam eſſe a Sac. Cong. facultatem procedendi ad executionem decretorum in Curia noſtra circa decimas emanatorum, non obſtantibus inhibitionibus coram A. C. expeditis etiam ad Regularium inſtantiam; ut in Appendice numero XVII.

XX. Dudum prædeceſſor noſter Urbanus Card. Sacchetti, ad tollendas controverſias per dominos prædiorum excitari ſolitas, declaravit, prædia (5) eſſe decimis obnoxia, quamvis domus rurales in eis exiſtentes non habitentur,

(1) *Capitul.* 1. *Theodulf. Aurelian.*

(2) C. Parochianos, c. cum contingat, c. cum in tua *de decimis*, *Trident. ſeſſ.* 25. *de Ref. cap.* 12., *Syn.* 1. *Muti pag.* 117., *Syn.* 2. *ejuſd. pag.* 27.

(3) *S. C. C. in Pampilonen.* 21. *Aug.* 1728. *Theſaur. tom.* 4., & *in fol. Pampilonen.*, & *Barbuſtren.* Decimarum 7. *Febr.* 1733. *in Theſaur.* R*eſol. tom.* 6.

(4) *Syn.* 6. *Brancat. an.* 1659. *pag.* 32.

(5) *Syn. Sacchetti pag.* 102., *Syn. Sermatth. pag.* 137., *Syn. Abbati pag.* 82.

tur, dummodo habitabiles ſint; eique ſanctioni posteriores Synodi ſe conformarunt. At cum nuper in fraudem Parochorum cœperint aliqui, ob ſubtrahendas Eccleſiis decimas, tectis domos rurales ſpoliare, ut inhabitabiles dici poſſent, Nos providentes, necui fraus patrocinetur, decernimus, ſolutionem decimarum deberi ex quocumque prædio, ubi actu eſt, vel fuit ante ruralis domus; modo tamen mapalia non ſint, nempe ædes parvæ, vel ex lapidibus, vel ex lignis conſtructæ ad cuſtodienda raſtra, & ad pluviam præcavendam. Quare ſi, vel per murorum ſemidirutorum indicia e ſolo prominentia, vel ex antiquis ſolutionum tabulis probarit Rector ruralis antiquum jus decimarum, tunc mandamus, omnino ſolutionem non retardandam; declarantes, onus hoc non perſonis, vel incolis, ſed rei debere eſſe affixum; ſcriptura enim monet, eos, *qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edere, & qui Altari deſerviunt, cum Altari participare* (1).

XXI. Unum ad extremum monemus, ut Parochi omnes tam urbium, quam Diœceſis in charitate fundati, & radicati vivant, ſibi ipſis invicem pietate, ac fraterno amore conjuncti. Conſulant ſe mutuo ſæpius, & collatis conſiliis uniformem ſemper rationem ineant, qua ovium ſuarum incommodis, neceſſitatibus, animarumque morbis occurrere valeant. Ob eam rem antiquis ſanctionibus (2) inhærentes mandamus, ut ſaltem ter in anno videlicet, in Adventu, in Quadrageſima, & circa S. Joannis Baptiſtæ Nativitatem omnes conveniant; in hac urbe quidem, nunc in unam, nunc in aliam parochiam; in aliis oppidis, in locum ſibi opportunum; ubi de rebus, & juribus ad ſuas Eccleſias, & curam pertinentibus tractent, & inter ſe conſultent. Conſultationes initæ, & captæ reſolutiones in codicem referantur, Nobis oſtendendæ in generali Parochorum Congregatione, quam ante Nos identidem convocabimus. Porro nemini Parochorum fas ſit, aliquid novitatis moliri in curæ exercitio, niſi prius conſenſu duarum ex tribus partibus ceterorum Rectorum fuerit per ſecreta ſuffragia approbatum, eoque caſu ſtatim capta reſolutio Nobis exhibeatur, ut ſi prudentiæ, veritatis, & charitatis legibus eam agnoſcamus conformem, præſcribamus, ab omnibus eſſe ſervandam, ut omnes unum ſentiant, & nulla ſint ſchiſmata.

XXII. Parochi, aut eorum coadjutores e Diœceſi Viterbium advenientes, ne prius hinc abeant, niſi Nos, aut Vicarium Generalem adierint, ut ab eis Eccleſiarum ſuarum ſtatum intelligamus. Excipimus ab hac lege Curatos Balneariæ.

CA-

(1) 1. *Cor.* 13. *relat. in c.* cum ſecundum *de præbend.*

(2) *Syn. Montilj pag.* 157.

CAPUT QUARTUM

De Monialibus, & Conſervatoriis Puellarum.

I. V*Irgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta* (1) *corpore; & ſpiritu.* Illuſtriorem portionem Chriſti, qui paſcitur inter lilia, & odoros Eccleſiaſtici germinis flores allocuturi, quonam meliore utemur exordio, quam Pauli verbis, per quæ ſacrarum Virginum ſanctitas, tam corpore, quam ſpiritu habenda, & manifeſtanda, commendatur? Atque ad corporis quidem ſanctitatem cuſtodiendam plurimum confert, immo & neceſſarium viſum fuit a primis uſque ſæculis clauſuræ præſidium. Hanc religioſiſſime inviolatam ſervare tenentur vi voti ſacræ virgines; ita ut extra ſacra ſepta (2) nemini ex Monialibus, niſi in caſibus a jure permiſſis, liceat poſt profeſſionem egredi, etiam ad breve tempus, ſub pœna (3) excommunicationis latæ ſententiæ, aliiſque pœnis per Sacros Canones, & Pontificias conſtitutiones indictis, quibus etiam afficiuntur, qui egreſſas exciperent, aut egreſſum juvarent, vel permitterent.

II. Iiſdem pœnis feriuntur etiam intra clauſtra ingredientes ſine noſtra in ſcriptis licentia; revocatis quoad hoc (4) facultatibus omnibus, ſeu conceſſionibus quibuſcumque, etiam S. R. E. Cardinalibus, Legatis, Nunciis, Internunciis, quomodolibet impertitis. Quum autem Tridentinum decretum omnes cujuſcumqne ſexus, vel ætatis comprehendat, hinc expreſſe vetamus, introduci pueros, puellaſve (5) etiam paucorum menſium, quanquam per rotas introducerentur. Caniculos etiam cujuſcumque ſexus habere, vel introducere Moniales (6) vetantur. Et ne hujus noſtræ ſanctionis tranſgreſſio impunis elabatur, ſuperioriſſis Monaſterii præſidibus diſtricte præcipimus, ut, ſi contigerit caſus, illico Nobis aperiant.

III. Inter eos, quibus generalis licentia ingrediendi per Nos in Monaſteria tam Nobis, quam Regularium (7) regimini ſubjecta jure ordinario, vel reſpective delegato conceditur, primum habent locum Confeſſarii. Eos, quoad ejus fieri poteſt, eligemus ætate maturos, conſilio graves, & doctri-

(1) 1. *Cor.* 7. 34.
(2) C. periculoſo *de ſtat. Regul. in* 6., *Trident. ſeſſ.* 25. *de Regular. cap.* 5.
(3) *Ex loc. cit.,& S. Pius V. Conſt.* Decori *Kal. Febr.* 1569., *Gregor. XIII. Conſt.* Ubi gratiæ 1575., *& Conſt.* Deo ſacris.
(4) *Bened. XIV. Conſt.* Salutare 1742.
(5) *S. C. Ep. pluries ap. Nicol. v.* Clauſura *num.* 29., *& Syn. Sacchetti p.* 104., *Lambertin. Inſt.* 29. *num.* 24.
(6) *Ead. S. C. pluries ap. Nicol. v.* Canis, *& in Juſtinopolitan.* 22. *Sept.* 1651., *Syn. Sermatth. pag.* 147.
(7) *S.C.C. in Bononien.* 17. *Maii* 1704., *& in Burg. S. Domnini* 21. *Apr.* 1731. *ap. Ferraris in cit. Bibliot. v.* Moniales *art.* 3. *n.* 90., *& ſeqq.*

doctrina, ac moribus præſtantes, qui licet ad triennium eligi ſoleant, eos tamen ad nutum amovibiles decernimus, ſi quando eos amovere Nobis expediens videbitur. Aſſideant ii in ſola confeſſionali ſede, nunquam vero ad crates collocutorii, vel ad rotas Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ, ob excipiendas confeſſiones, ſaltem cum ſtola collo impoſita: nunquam ante diluculum, aut poſt veſpertinum ſonitum ſalutationis Angelicæ; unico dumtaxat excepto die, quo, juxta Monaſterii regulas, generalis habenda eſt communio Monialium.

IV. Confeſſarius in caſu tantum adminiſtrationis (1) Sacramentorum valeat noctu ingredi cotta, ſtolaque indutus ſub ipſis Monaſterii foribus; quando tamen Monialis, aliave in Monaſterio degens infirma accedere revera (2) non poſſit ad ſedem confeſſionalem. Nunquam vero confeſſario liceat ingredi prætextu comitandi (3) Operarios, Medicos, Chirurgos &c., aut aſpergendi cellas (4) in Sabbato Sancto, aut ad celebrandas (5) exequias ſuper Monialibus defunctis, quacumque conſuetudine non obſtante; ſub pœna ſuſpenſionis quoad confeſſarios, ſi contra ſuperius memorata deliquerint, ac reſpective ſub pœnis violatæ clauſuræ circa ingreſſum, & depoſitionis ab officio quoad Abbatiſſam, ſi ſecus permiſerit.

V. Ad Sacramenta infirmis (6) adminiſtranda ſolus ingrediatur, ſi Sacerdos ſecularis ſit; ſi vero Regularis (7) cum ſocio, qui ſit probatæ vitæ, & maturæ ætatis: a duabus monialibus ſenioribus recipiatur, quæ illum recta via euntem ad valetudinarium, aut ſimili modo (8) exeuntem comitentur. Dum confeſſionem audit infirmæ, cella ſit ita aperta, ut comitatrices, quæ ad ejuſdem cellæ januam (9) morentur, confeſſarium, & infirmam commode cernere, non autem audire poſſint. Nefas eſt hac occaſione alio vagari, etiam (10) ad viſitandas alias infirmas, quibus Sacramentorum adminiſtratio non eſt neceſſaria; ſed ſine diverticulo eat, redeatque. Socius vero confeſſarii Regularis ſemper maneat (11) in ea parte Monaſterii, qua confeſſorem videre, & ab ipſo videri ſemper poſſit. Neuter tamen ex his, extra præciſam officii neceſſitatem, Moniales ipſas (12) alloqui poteſt ſine Sac.

(1) *Alex. VII. Conſt.* Felici §. 9., *& S. C. Ep. ap. Nicol. v.* Clauſura *num.* 34.

(2) *S. C. Ep.* 13. *Sept.* 1583.

(3) *Ead. ibid.*

(4) *Ead.* 4. *Sept.* 1596.

(5) *Ead. pluries ap. Nicol. v.* Sepultura *n.6.*

(6) *S. C. Ep. in Neapolitan.* 10. *Jun.* 1616. *ap. Nicol. v.* Clauſura *n.* 33.

(7) *Alex. VII. Conſt. cit.*

(8) *S. C. Ep. in Neapolitan. cit.*

(9) *Encycl. S. C. Ep. juſſu Ven. Innoc. XI.* 12. *Mar.* 1682.

(10) *S.C.Ep.* 13. *Sept.*1583., *Gavant. in Manual. v.* Monial. Clauſur. 44.

(11) *Alex. VII. cit. Conſt.*

(12) *S. C. Ep. in Nolana* 21. *Febr.* 1617. *ap. Lezan.*, *& pluries ap. Nicol. v.* Acceſſus *num.* 2.

Sac. Congr. licentia, ſub pœnis expreſſis in prohibitione allocutionis Regularium cum Monialibus.

VI. Cum bis, terve in anno juxta Tridentini monitum (1) deputabuntur a Nobis extraordinarii Confeſſores, tunc omnes in Monaſterio (2) degentes, tam Moniales profeſſæ, aut Novitiæ, quam Educandæ, nulla excepta, ſe extraordinario ſiſtant, ſive ad Sacramentalem Confeſſionem, ſi placuerit, peragendam, ſive ad ſalutaria monita audienda. Hoc idem ſervatum volumus in Conſervatoriis, & quibuſcumque mulierum Communitatibus. Extraordinarii officium ultra decem dies ſemper protrahatur; at quintum decimum diem non excedat. Eo tempore ordinarius confeſſor (cujus juriſdictionem officio extraordinarii durante ſuſpenſam volumus, niſi quoad infirmas, quæ illum exquirerent) nedum alicujus Monialis, ſive Superioriſſæ, ſive Novitiæ, ſive Converſæ, aut Educandæ Sacramentalem confeſſionem excipere (3) non poſſit, verum ne ad Monaſterium quidem ipſum (4) accedere audeat, aut præſumat ſub pœna privationis perpetuæ a munere confeſſarii, & quoad Moniales, quæ id temporis confeſſarium ordinarium accirent, aut alloquerentur ſine noſtra in ſcriptis licentia, ſub pœna privationis ab officio ſi Superioriſſa, aut vocis activæ, ac paſſivæ per annum, ſi Monialis, ac reſpective dimiſſionis a Monaſterio, ſi Educanda fuerit.

VII. Expleto officio extraordinarius nunquam ulterius ad illum Monaſterium accedat, neque cum quacumque intra illius clauſtri ſepta degente ullius generis commercium etiam per litteras continuare, & fovere, etiam ſub ſpiritualis cauſæ colore, audeat, aut præſumat, ſub pœna ſuſpenſionis a confeſſionibus audiendis, ac ſub pœnis per Sacros Canones in accedentes ad Monialium Monaſteria ſtatutis reſpective. Eadem teneatur lege ordinarius expleto triennio, niſi expreſſa noſtra acceſſerit licentia; ne videlicet (5) ullum ſucceſſori impedimentum acceſſu ſuo, aut frequenti Epiſtolarum commercio afferat. Meminerint Regulares, ſemel ſaltem in anno teneri ſe Monialibus ſibi ſubjectis extraordinarium diverſi Ordinis Regularem, aut e ſeculari cœtu presbyterum aſſignare; alias Nos eorum defectum (6) ſupplebimus.

VIII. Ad confeſſarium eumdem privative ſpectat jus Sacramenta omnibus in clauſura degentibus miniſtrandi; Aquam, Cineres, Palmas, Candelas benedicendi, & iiſdem diſtribuendi; & pro Monialibus defunctis debet idem

(1) *Trident. ſeſſ.* 25. *c.* 10. *de Regul.*
(2) *Bened. XIV. Conſt.* Paſtoralis 1748. §. Porro.
(3) *Cit. Conſt.* Paſtoralis §. Quoniam.
(4) *Edict. juſſu Clem. XI.* 12. *Dec.* 1708.
(5) *Ex citat. Edicto.*
(6) *Cit. Conſt.* §. Perſcriptum.

idem officium funeris facere, & exequias perſolvere; ita ut Parocho neque collocutoriis, (1) neque januæ Monaſterii benedicere liceat in Sabbato Sancto. Quoad Educandas vero (2) ſalva ſemper volumus Parochialia jura; ita ut ſi in Monaſterio obierint ſepultura non electa, ſepeliri debeant in Parochiali, niſi adſit alibi ſepulcrum majorum; electa autem ſepultura, debeatur Parocho quarta funeralis. Parochus autem proprius reſpectu Educandarum dicitur is, ſub cujus Parochia prædictæ (3) puellæ domicilium habent paternum, maternum, ſeu fraternum; ſin exteræ ſint, earum Parochus eſt is, in cujus Parochiæ diſtrictu ſitum eſt Monaſterium. Idem potiore jure ſervandum mandamus circa matrimonium, ſi quando, de Sac. Congr. licentia, ineundum eſſet a Puella educanda (4) ad crates Monaſterii. Præcipimus, ut idem confeſſarius, ſi quando vel in feſtivitatibus, vel in profeſſione, aut veſtitione Monialium ſolemniter celebrat, aut Miſſam, aut Veſperas cum Miniſtris, uti debeat Magiſtro Cæremoniarum Cathedralis noſtræ, aſſignantes ei honorarium trium juliorum pro qualibet functione; alias, niſi a confeſſario accitus fuerit, teneatur de proprio eidem Magiſtro etiam non aſſiſtenti hanc taxam perſolvere, quam, ut ſupra alias innuimus, pro emolumento, juxta Cæremonialis monitum, eidem aſſignamus.

IX. Quod ſpectat ad confeſſarium Regularem pro Monialibus exemptis, jubemus ad amuſſim ſervandam Conſtitutionem (5) Gregorianam cum declarationibus (6) ſuper ea editis, quibus cautum eſt, ut confeſſarius deputari non valeat, niſi per Nos judicetur idoneus, & approbationem obtineat: ut ex juſta, & rationabili cauſa, quam ſignificare non tenemur, moniti a Nobis ſuperiores debeant confeſſarium amovere, & alium ſubrogare; quod ſi facere detrectarint, Nobis ea facultas removendi competat. Ex hoc fit, ut confeſſiones exceptæ ab ipſis etiam Superioribus (7) Regularibus ſine præfata approbatione noſtra nullæ ſint, atque irritæ; confeſſariique Regulares tam ordinarii, quam extraordinarii approbati a Nobis pro confeſſionibus unius Monaſterii minime poſſint audire confeſſiones Monialium in alio Monaſterio, ſine nova hujuſmodi approbatione.

X. Alter Monialibus præpoſitus eſt Deputatus, ſeu Œconomus, quem primus omnium b. m. Card. Franciſcus Maria Brancatii Prædeceſſor noſter

(1) *S. C. C. in Novarien. 23. Aug. 1727. ad 3. in Theſaur. tom. 4.*

(2) *Pignatell. tom. 7. conſult. 67., S. C. C. in Feretran. 21. Apr. 1742. in Theſaur. Reſol. tom. 11.*

(3) *Lambertin. Inſt. 33. num. 16.*

(4) *S. C. Ep. in Cathacen. 15. Febr. 1595., & in Turritan. 19. Dec. 1648. Decretor. lib. 18*

(5) *Greg. XV. Conſt.* Inſcrutabili.

(6) *S. C. C. in reſponſ. ad dub. circ. dict. Conſt. approbant. eod. Greg. XV.*

(7) *Ead. S. C. ad x., & in Pharaonen. Juriſdiction. 14. Nov. 1733. ad 3. in Theſaur. Reſol. tom. 6.*

ſter (1) in hoc Epiſcopatu duxit ſingulis Monaſteriis præficiendum, quemque idoneum, & charitate plenum ſeligens inſtituere ſategit, ut juxta Conſt. fel. rec. Gregorii XV. *Inſcrutabili*, eidem quolibet menſe Moniales adminiſtrationi præpoſitæ diſtincta computa exhiberent examinanda. Ejus proinde electionem, utpote non miniſterialem, ſed honorariam, & conſultoriam curam in rebus Monaſterii temporalibus gerentis, & clauſuræ cuſtodiendæ Epiſcopali nomine advigilantis, ad Epiſcopum etiam in Monaſteriis exemptis privative ſpectare, jure decrevit (2) Sac. Conc. Congr. Huic licentia generalis conceditur ingrediendi, quoties pro ſuo munere explendo neceſſe fuerit; at cum ſolitis, debitiſque cautelis, & abſque diverticulo. Hujus oneramus conſcientiam, ut ſemel in anno bona ruralia Monaſterii inviſat, utque frequenter Monialium collocutorium adeat, ſeduloque inſpiciat, an crebri acceſſus exterorum, confabulationeſque inanes, aut ſuſpectæ habeantur; an januæ ad ingreſſum, & egreſſum factæ aperiantur ad collocutiones miſcendas; an cuſtodes vinearum, factores, artifices, aliive Monaſterio inſervientes munus proprium rite expleant; & tam in contractibus, quam in operarum mercedibus perſolvendis, atque in adnotandis, (3) aut exigendis rationum redditibus quolibet menſe, eam adhibeat diligentiam, quam vigiles patresfamilias in rebus propriis cuſtodiendis adhibere tenentur.

XI. Ceteris autem artificibus, villicis, vecturalibus, ac præſertim Medico, & Chirurgo ea etiam generalis licentia conceditur. Qua ſuper re cavendum eſt tamen, I. licentiam hanc ingrediendi a Nobis, vel Vicario noſtro Generali (4) ſubſcribendam, etiam pro Monaſteriis exemptis, ſaltem (5) ſingulis ſex menſibus eſſe renovandam, alias nulla habeatur elapſo ſemeſtri. II. in vim hujus licentiæ fas eſſe ingredi ad exercenda tantum opera propriæ artis, quæ exerceri extra clauſuram non poſſunt; ea adjecta animadverſione, ut qui pro uno ſervitio ingredi permiſſus eſt, non poſſit ad aliud (6) ſervitium præſtandum ingredi; neque, pluſquam requirit miniſterium (7), alio vagari, ſub excommunicationis pœna etiam in Moniales id permittentes, qua excommunicatione ligantur etiam ii, qui cum aliquo ſaxo, vel ligno, vel alia re, intrant ſub prætextu deferendi (8) neceſſaria. III. Ingreſſum hunc neuti-

(1) *Syn. 4. Braneat. 1653. cap. 14., Syn. Sacchetti pag.* 106.

(2) *S.C.C. in Viterbien.* juriſdict. 7. *Jun.* 1760.

(3) *Syn. 4. Branc. pag.* 14.

(4) *S. C. C. plur. ap. Monacell. par. 2. tit. 15. form. 15. n. 3., & recentius in Burg. S. Domnini 21. Apr. 1731.*

(5) *S. C. Ep. ap. Nicol. v.* Clauſur. *n.* 14.

(6) *S. C. Ep. in Ferrarien. 6. Aug. 1601., & in Piſauren. 14. Jun. 1630.*

(7) *S. C. Ep. in Aſſiſien. 4. Aug. 1602., & in Sulmonen., in Amerin., in Cremonen. &c. ap. Nicol. l. c. num. 42.*

(8) *Ead. S. C. ap. eumd. l. c. num. 40.*

neutiquam permitti (1) ante ortum ſolis, aut poſt ſalutationem Angelicam, exceptis Medicis, aut Chirurgis. IV. Tandem nulli prorſus licere ſub licentiarum (2) prætextu ingredi ad videndas comœdias, vel repræſentationes recitatas a monialibus etiam de noſtra licentia.

XII. Advertant hic Sanctimoniales, præſcriptum jam eſſe a Sac. Cong. ut in ingreſſu exterorum, præcedente campanulæ ſigno, Moniales (3) omnes ſecedere debeant, nec ſinere ſe conſpici, præter Superioriſſas, & comitatrices, quæ ſemper aſſocient (4) exterum illum, donec abſoluto, quo citius fieri poteſt, negotio recedat. Præſcriptum eſt etiam, ut omnes operarii, & medici (5) eligantur maturæ ætatis, & probatæ vitæ, & fas non ſit, ut quælibet Monialis pro libito eligat (6) medicum, aut artificem extraordinarium, niſi in gravi Monialis ipſius infirmitate, aut quando ordinarius eſt impeditus, nec res, quæ agenda eſt, moram patitur; alias licentia negabitur. Præſcriptum eſt tandem, ut Monaſterii porta (7) reſeretur dumtaxat pro introducendis perſonis, aut rebus neceſſariis, quas rota non capiat, & in caſu (8) cujuſdam decentiæ per breve tempus, ſi perſona gradu præfulgens accedat; nunquam autem occaſione collocutionis, aut viſitationis etiam matris, aut ſororis; ac proinde præter oſtiariam, cui portam (9) aperire ex officio incumbit, nulla alia Monialis poteſt ibi adeſſe, cum reſeratur. Quam oſtii aperitionem, etiam in Monaſteriis exemptis, extra caſus neceſſarios ſub excommunicatione latæ ſententiæ reſervata prohibendi facta fuit poteſtas a Sac. Congr. (10) Prædeceſſoribus noſtris; adeo ut ea excommunicatio liget tam Regulares accedentes, quam Moniales ipſas; a qua cenſura intorquenda licet Nos mitius agentes abſtineamus, attamen vim formalis præcepti tam ordinaria, quam delegata auctoritate mandatis hiſce, quæ clauſuram reſpiciunt, ineſſe volumus; Monialemque, quæ oſtio uſa fuerit ad colloquendum, velo, & acceſſu ad crates per ſex menſes illico privari mandamus.

XIII. Portæ tam Monaſterii, quam Eccleſiæ Monialium (excepto Monaſterio S. Roſæ cauſa ſupplicationis in ejus feſti pervigilio haberi ſolitæ) clauſæ ſemper permaneant a ſigno veſpertino ſalutationis Angelicæ uſque ad illuceſcentem diem; ita ut ne (11) Sancta quidem nocte Nativitatis fas ſit

 cuili-

(1) *Ead. ap. Nicol. v.* Medicina *num.*10.
(2) S. C. *Ep. in Anconitan.* 1. *Oct.* 1627.
(3) *S. C. Ep. pluries ap. Nicol. v.* Clauſur. *num.* 13.
(4) *S. C. Ep. in Parmen.* 26. *Mar.* 1601.
(5) *Ead. S. C. in Ferrarien.* 7. *Mar.* 1617., & *in Januen.* 14. *Jun.* 1625.
(6) *Ead. plur. ap. Nicol. v.* Medicina *n.*11.
(7) *Ead. pluries ap. Nicol. v.* Porta *n.* 7.
(8) *Syn. Abbati pag.* 88.
(9) *S. C. ap. Nicol. v.* Porta *num.* 8.
(10) *S. C. C. in Viterbien.* 26. *Jun.* 1627. *in* 1. *Syn. Brancat. in Append. pag.* 58.
(11) *Syn.* 4. *Brancat. pag.* 16.

cuilibet Sacerdoti ante lucem celebrare, ſub pœna ſuſpenſionis, in Eccleſiis Monialium. Matutinum autem quandocumque circa mediam noctem etiam cum cantu, clauſis earumdem Eccleſiarum januis, recitari poterit. Si nocturno tempore (extra neceſſitatis caſum) fores reſerentur, ii, penes quos exterioris oſtii clavis cuſtoditur, pœnas dabunt etiam carceris, præter privationem ab officio. Vetamus etiam portas collocutorii (1) apertas detineri tempore, quo celebratur confeſſarii Miſſa, aut habetur communio generalis, aut Sanctiſſimum Sacramentum eſt expoſitum: tempore concionis, aut exercitiorum ſpiritualium; ac demum Adventus, & Quadrageſimæ tempore portæ interiores, per quas patet aditus ad collocutorium, ſint ſemper clauſæ, niſi de expreſſa noſtra, vel Vicarii licentia in ſcriptis facta ſit cuipiam accedendi, & colloquendi poteſtas.

XIV. In Monaſterii (2) vicinia intra decem cannarum ſpatium prohibemus ſub pœna carceris, & aureorum decem ipſi Monaſterio applicandorum, aperiri vinarias tabernas, ubi bibones ad potandum conveniant. Eadem (3) carceris pœna, aliaque etiam corporis afflictiva diſtricte prohibemus, ne quis prope clauſuræ muros, vel e Monaſterii conſpectu, diu, noctuve, ſtans, aut tranſiens, ludos, ſaltationes, ſpectacula, agitationes taurorum, cantilenas, ſonitus, clamores edat, unde Religioſa quies perturbetur; facta ſatellitibus noſtris facultate, ut ſiquem in his delinquentem deprehenderint; illico in vincula conjiciant. Locantes vero in vicinia Monaſterii domos mulieribus turpem corporis quæſtum exercentibus, aut ſaltem ſuſpectis, ſcutorum viginti pœnas luent; feminæ autem illæ in exilium expellentur. Ædificia item proxima ne ita attollantur, ut ex eis in clauſuram (4) proſpici queat, atque arbores proceræ excidantur clauſuræ muris impendentes.

XV. Nemo Clericus, vel Laicus cujuſcumque gradus, ſtatus, conditionis, ac dignitatis exiſtat, ſine noſtra, aut Vicarii noſtri Generalis licentia in ſcriptis concedenda, ad Monaſterii collocutoria, Crates, Oſtia, & Rotas Moniales allocuturus, quovis prætextu, (5) præſumat accedere, ſub excommunicationis, aliiſque arbitrio noſtro pœnis. Adeo libertatem deteſtabilem adeundi, & alloquendi Moniales deteſtata eſt Sedes Apoſtolica, ut licentiæ ab Epiſcopo impetrandæ ſubeſſe voluerit etiam Gubernatores, Præ-

(1) *Syn. Abbati pag.* 88.

(2) *S. C. Ep. in Bononien.* 22. *Apr.* 1603., & *Ed. ſl. urbis* 12. *Aug.* 1640. *ap. Criſpin.*

(3) *Syn.* 1. *Muti p.* 158., *Syn. Sermatth. p.* 148., *Syn. Albati p.* 91., *Syn. Sublac.* 1674. *c.* 33. *num.* 11., *Syn. Montisfal.* 1710. *pag.* 349.

(4) *S. C. Ep. in Interamnen.* 15. *Maii* 1612., & *in Baren.* 18. *Febr.* 1617. *ap. Nicol. v.* Proſpectus *num.* 2.

(5) *C.* Monaſteria *de vit.*, & *honeſt. Cleric.*, & *S. C. C. in Civit. Caſtell.* 16. *Jan.*, & 10. *Jul.* 1699.

Præſules, immo & Epiſcopos alterius (1) Diœceſis. Excipimus tantum ab hac lege conſanguineos in primo, alterove gradu, modo ad colloquendum accedant extra Adventus, & Quadrageſimæ tempora; tunc enim etiam conſanguineis licentiam noſtram in ſcriptis neceſſariam mandamus. Caveat autem quicumque, ne larvatus, aut perſonatus etiam ſaturnalibus feriis accedat, ſub pœna decem aureorum; præcipimuſque executoribus, ut larvatos hoſce in clauſtra ingredientes, aut inde exeuntes comprehendant, & in vincula rapiant.

XVI. Regulares autem cujuſcumque Ordinis, Militiæ, Societatis, aut Inſtituti, etiam ii, quos pro concionandi munere (ad quod exercendum etiam in Monaſteriis Regularibus ſubjectis noſtra Benedictio (2) eſt præmittenda) obeundo deputabimus, cum Monialibus, aliiſque intra clauſuram viventibus, abſque legitima licentia loquentes, etiam per quodcumque tempus modicum, peccare mortaliter, & poſſe per Nos tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatos excommunicatione, aliiſque pœnis (3) coerceri ſtatutum eſt. Illis tantum Regularibus, qui in primo, alterove gradu conſanguinitatis conjunctam alloqui volunt, poſſumus Nos quater in anno (4) licentiam concedere extra dies feſtos tamen, & Adventus, ac Quadrageſimæ tempora, exceptiſque feriis ſextis, ac Sabbatis.

XVII. Licentias omnes in ſcriptis habendas, de quibus hactenus meminimus, tradi jubemus Confeſſario, vel Deputato, qui inſpicere debeat, ne numerus viſitationum in licentia præfinitus tranſiliatur. Si neuter ex illis præſto ſit, eam licentiam excipiat Abbatiſſa, cujus conſcientiam oneratam volumus ſub formali præcepto, ut auſcultatrices moneat, jubeat, additiſque pœnitentiis cogat (5) proprio nunquam deeſſe muneri audiendi ſermones, qui in collocutoriis miſcentur; omnique ſollicitudine curet, ne (6) prætextu alloquendi Monialem conſanguineam, aliamve, pro qua exhibita fuit legitima licentia, aliæ, atque aliæ Moniales ſermocinaturæ conveniant. Si cujuſcumque conditionis virum, aut ſuſpicione non carentem feminam crates frequentare, & Monialem hiſce viſitationibus reſpondere conſpexerit, illico prohibeat, remque ad Nos per ſecretas Epiſtolas deferat; ſin minus

(1) *Bened. XIV. Encycl.* Graviſſimo 1749.
(2) *Greg. XV. Conſt.* Inſcrutabili §. 3.
(3) *Plur. decr. ap. Bened. XIV. de Syn. lib. 7. c.41. n.7., & ex Conſt. Clem. XII.* Romanus Pontifex.
(4) *Decret. edit. 20. Nov. 1623. approb. Urb. VIII. rel. in Appen. Syn. 4. Branc. p.60.*
(5) *Syn. 1. Branc. p.36., Syn. Sermatth. p.147. Act. Mediolan. Conc. Prov. 1. par. 3. pag. 39. 44., & 46., Criſpin. Viſitat. Paſtor. par. 2. §. 42. n. 60., & n. 129., & ex Edict. urbis 19. Nov. 1676. ap. eumd. Criſpin., D. Th. 2. 2. qu. 70. art. 1. ad 2.*
(6) *S. C. Ep. in Comen. 16. Mar. 1593.*

minus Superiorisſæ diſſimulationem ad Sacrorum (1) Canonum præſcriptum puniemus.

XVIII. Vetitus eſt abuſus, ut ad Moniales in ſono, & cantu inſtruendas (2) accedant Magiſtri; quodque gravius eſt, ut ad apertam Monaſterii januam id fiat. Quo circa denunciamus, eam (3) Nobis tantum facultatem ineſſe, ut brevi tempore permittamus, Monialem edocendam cantum Gregorianum. Similiter cantilenas, & ſonos (4), comeſſationes omnes, & refectiones in collocutoriis penitus interdicimus, ſub arbitrariis pœnis. Præpoſitæ autem, Vicariæ, Depoſitariæ, Syndicæ, aut Procuratrici fas ſit (5) quocumque tempore cum Deputato, Procuratoribus, Notariis, Conductoribus, & Miniſtris colloqui, de rebus tamen ad Monaſterium ſpectantibus.

XIX. Crates tantum exteriores ad colloquendum deſtinatas adeant collocuturi. Sint eæ geminæ in unaquaque feneſtra, atque ita conſtructæ, ut per palmum inter ſe diſtent; atque ita (6) arctis foraminibus diſpoſitæ, ut manus per eas tranſmitti non poſſint. Præcipimus, ut ad colloquendum nunquam (7) utantur Moniales cratibus, aut rota Eccleſiæ, vel Sacriſtiæ. Multo minus fas ſit ad eum finem uti confeſſionario, aut (7) feneſtella communionis; qua prohibitione comprehendantur (8) etiam Regulares cujuſcumque Ordinis, ſtatuta in tranſgreſſores (9) carceris pœna, ſi ibi deprehenderentur in fragranti, & in ſubſidium, etiam excommunicationis. Eas, quæ Sacrario ſunt præfectæ, ab hac lege excipimus, ſi quidem a rotis, aut a cratibus Eccleſiæ debeant æedituos, Clericos, Capellanos, immo & Confeſſarium ipſum quandoque alloqui; modo id ſubmiſſiore voce fiat, ſervataque, quantum fieri poterit, brevitate.

XX. Capellani, & Confeſſarii a Nobis approbati tam ordinarii, quam extraordinarii vitent omnem cum Monialibus familiaritatem, tametſi religioſam; major enim conciliatur auctoritas, & reverentia ex ipſa alloquii raritate, & brevitate. Calleant utrique Confeſſarii, antequam munus obire incipiant, peculiares Monaſterii inſtitutiones, & noſtra hæc Synodalia decreta, ne forte auribus Monialium (11) prurientes, illaſque in foro interio-

---

(1) C. Monaſteria *de vit.*, *& honeſt. Cleric.*
(2) *S. C. Ep. ap. Gavant. in Manuali v.* Monialium Collocut. *n.4.*, *& Pignatell. tom.6. conſ.* 85. *n.*16., *& Nicol. v.* Muſica *n.* 5.
(3) *S. C. Ep. ap. Nicol. l. c.*
(4) *Syn. Sacchetti p.*105., *Syn. Sermatth. p.*147.
(5) *Syn.* 1. *Muti p.*159., *Syn. Sermatth. p.*150.
(6) *S.C.Ep. in Peruſin.* 4. *Maii* 1604., *& plur. ap. Nicol. v.* Crates *n.* 3.
(7) *S. C. Ep. in Eugubin.* 1651.
(8) *S. C. Ep. Encycl.* 30. *Octobr.* 1706. *juſſu Clem. XI.*
(9) *S. C. Ep. Epiſt. ad Mediolanen. Epiſc.* 31. *Mar.* 1707.
(10) *Ead. in Ceſenaten.* 7. *Febr.* 1653.
(11) *Syn.* 1. *Brancat. pag.* 35.

teriori irrationabiliter conſolantes, graves tranſgreſſiones pro levibus jacent, *curantes* (1) *contritionem filiæ Sion cum ignominia dicentes: pax; pax: & non erat pux*. Meminerint, ſe teneri ſaluberrimis conſiliis, & hortationibus ſacras Virgines ſibi commiſſas ad ſanctioris vitæ, & regularis obſervantiæ perfectionem dirigere, & provehere; neque poſſe tuta conſcientia gravioribus inobſervantiis obdormire, aut adblandiri; procurandæque animarum ſpirituali ſaluti unice intenti, ne temporalibus negotiis, vel totius Monaſterii, vel peculiaris cujuſdam Monialis, ſeſe immiſceant.

XXI. Hactenus, quæ corporis, nunc quæ ſpiritus ſanctitatem reſpiciunt brevibus perſequamur. Ad exactam votorum, & Regularum obſervationem ſacras Virgines, quantum in Domino poſſumus, hortamur. Choro ſemper, & devote interſint; neque ulla, niſi de Præfectæ licentia abſit unquam. Miſſam audire, mentali orationi vacare, pios libros legere, & latebras propriæ conſcientiæ perſcrutari debent omnes quotidie. Semel ſaltem in menſe (2) ex Tridentino jubentur Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta ſuſcipere, atque ex Pontificiis litteris (3) per decem dies ſemel in anno ſpiritualibus exercitiis a Religioſo viro per Nos deputato traditis adeſſe (4) monentur. In communi refectorio meridianæ, & veſpertinæ menſæ omnes ſimul aſſideant, eique benedictio conſueta præponatur, & gratiarum actio de more ſubſequatur. Comeſtionis tempore ſilentium ſibi imperent, & tota menſa piorum librorum lectione condiatur. Siqua abſque licentia (quam non niſi ex legitima cauſa, non autem ob inutilia cum exteris colloquia, concedendam jubemus) a communi menſa, Miſſa, aut Choro abſuerit, vel ſilentium non ſervaverit, illico publicæ in refectorio pœnitentiæ ſubdatur a Superioriſſa; cujus conſcientiam oneratam volumus quoad noſtrorum decretorum obſervantiam promovendam.

XXII. Penitus interdicimus profanos libros, ſeculares ornatus, luſuſque ab earum profeſſione alienos, alearum nempe, & teſſerarum, ſub graviſſimis pœnis arbitrio noſtro. Si quando ægre admodum per Nos indulgeatur, ut honeſta aliqua actio, non tamen ſcenica fabula, recreationis gratia in Monaſteriis exhibeatur, volumus, ut illa prius diligentiſſime a cenſoribus per Nos deputatis, & a Confeſſario perlegatur; & niſi ſummæ honeſtatis legibus ſit conformis, non permittatur exhibenda. Eam autem ad crates repræſentari poſſe, aut coram exteris, cujuſcumque ſint conditionis, omnino vetamus; quinimo ſub pœna privationis acceſſus ad crates per annum illico incur-

(1) *Jerem. 6. 14.*
(2) *Trident. ſeſſ. 25. de Monial. cap. 10.*
(3) *Ap. Lambertin. Inſt. 29. num. 22.*
(4) *Lambertin. l. c.*

incurrenda, nulla Monialis ſe ſpectandam exteris (1) proponat in virili habitu, vel criſpatis crinibus, & pretioſis veſtibus indutam; ſublata Abbatiſſæ facultate ſuper ea pœna diſpenſandi ſine auctoritate noſtra.

XXIII. A luxu, & a delicatiore vivendi ratione quam maxime abhorreant; utpote quæ plurimum dedeceat eas Virgines, quæ abdicatis rebus omnibus ſequi ſe adſtrinxerunt Chriſtum Dominum, & nunc Crucifixum. Propterea domeſtica ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſæ ſunt, conveniat; nihilque ſuperflui in ea ſit. Pecuniæ in uſum conceſſæ, &, vel ex reſervata penſione, vel ex labore manuum acquiſitæ, vel ab aliis dono datæ ſerventur in communi depoſito. Sciant, tum mobilia, tum nummos ſibi tantum uſui, non vero (2) in dominium permitti, atque proinde ex animo paratæ ſint, ea in manus ſuperiorum, ſi peterentur, dimittere. Si ſacra Virgo (ſalvis arctioribus Regularibus Conſtitutionibus) quinque julios, ſine Confeſſarii, vel Superioriſſæ licentia, retineret apud ſe in privatos quotidianos uſus expendendos, rea læſæ paupertatis, & proprietaria habeatur. Caveant a quocumque mercimonii, aut quæſtus genere, neve ullam negotiationem, Clericis etiam ſecularibus prohibitam, exerceant. Præſertim autem privatis Monialibus prohibemus largitionem, aut venditionem panis, farinæ, aut vini; ſolumque permittimus eduliorum, aut eſculentorum largitionem, accedente conſenſu, & licentia Abbatiſſæ, quæ, non generali conceſſione, ſed in particularibus caſibus, & ex juſta cauſa, petentibus indulgebit.

XXIV. Clementis VIII., & Urbani VIII. Conſtitutiones (3) ſuper munerum largitionibus, ſub pœnis ibi ſtatutis, omnino ſervandas, eaſque Januarii menſe publice legendas mandamus. Super quibus largitionibus duo occurrunt monenda. Alterum, ſublatam eſſe majori Pœnitentiario facultatem (4) abſolvendi accipientes munera a Regularibus (exceptis rerum medicinalium, ſeu devotionis muneribus) ultra valorem decem ſcutorum monetæ, niſi facta reſtitutione, vel ſaltem cum obligatione eamdem, quam primum poterunt, faciendi. Alterum, prohibitum eſſe Monialibus, quum aliquo funguntur officio, quidquam etiam occaſione feſtorum impendere, ea tamen ſervata expenſarum permiſſione, quas vigore facultatis Apoſtolicæ alter (5) ex Prædeceſſoribus noſtris in aliquibus Monaſteriis, Noſque ſtabilivimus. Huic prohibitioni robur majus accedit ex nuperis juſſibus Sanctiſſimi D. N. Clemen-

(1) *S.C.Ep. in Ferrarien. 12.Apr.1604., & in Mediolanen. 26. Nov. 1610. ap. Nicol. v.* Habitus *num. 4.*

(2) *S.C.C. ap. Fignan. in c.* Monachi *de ſtat. Monachor. a num. 61. uſq. ad fin.*

(3) *Clem. VIII. Conſt.* Religioſæ, *Urb. VIII. Conſt.* Nuper, *& Lambertin. Inſt. 29. a num. 29.*

(4) *Bened. XIV. Conſt.* Paſtor bonus 1744. *§. 26.*

(5) *Syn. Abbati pag. 89.*

Clementis XIII., qui (1) vetuit, Moniales Sacriſtiæ officiales quidquam expendere, aut largiri tam intra, quam extra Monaſterium occaſione feſtivitatum; immo & ſorbitiunculas ipſas iis diebus propinare, ne a rerum cœleſtium ſtudio, quod iis diebus maxime convenit, aliquo modo avocentur; indicta in Superioriſſas, ſi ſecus permiſerint, ſuſpenſione ab officio, reſervataque Sanctitati ſuæ reintegrationis facultate.

XXV. Quod attinet ad puellas educandas omnino ſervata volumus ſuperioris Synodi (2) decreta; quibus addendum putamus, eas puellas omnimode ſubeſſe debere uni Magiſtræ a Superioriſſa electæ, quin aliqua Monialis ſub nomine Curatricis in ejus educatione ſe ingerat, niſi tantum quoad temporales puellæ commoditates, non impedita tamen aſſidua Magiſtris ſubjectione; & tam in dormitorio, quam (3) in loco, ubi Moniales manualibus operibus vacare ſolent, ſeparatas prorſus vivere, neque ſolas per Monialium cubicula poſſe vagari. Si ſecus fiat, Monaſterium, tanquam manſionibus ſeparatis ad puellas educandas deſtitutum, excipiendi facultate interdicetur; ſicut & ea facultate caret Monaſterium illud, ubi viget (4) prohibitio admittendi puellas ad habitum. Addendum eſt etiam, cenſuris vetitum eſſe Monialibus in lecto educandas (5) ad dormiendum ſecum detinere.

XXVI. Recipi non poſſunt puellæ, quæ jam deſponſatæ fuerunt, (6) abſque diſpenſatione Sac. Congr.; habitaque notitia, eas ſponſalia contraxiſſe, illico a clauſura etiam in exemptis Monaſteriis (7) dimittendas mandamus. Quin immo tametſi Sac. Congr. licentia acceſſerit eas retinendi, nihilominus excludendas jubemus, ſi ſponſus (8) abſque expreſſa facultate eam viſitet; multoque magis ſi circa Monaſterium cantet, vel ſonet, etiam de nocte. Si (quod Deus avertat) Abbatiſſa ad crates ſponſalium inſtrumentum fieri permitteret (9), illico deponitur ab officio, & voce activa, ac paſſiva privatur. Moniales ceteræ, quæ in conciliandis nuptiis operam ſuam præſtiterint etiam rogatæ, ſeveris pœnitentiis per Nos ſubjicientur; deteſtabile eſt enim, ut de terreno ſponſo aliis quærendo ea ſit ſollicita, quæ ſe cœleſti conſecravit.

(1) *Encycl. S. C. Ep.* 30. *Jun.* 1759. *juſſu SS. D. N. Clem. XIII.*

(2) *Syn. Abbati pag. cit.*

(3) *S. C. Ep. in Novarien.* 1595., *in Dertonen.* 1607., *in S. Severin.* 1615., *in Campan.* 1619., *in Neapolitan.* 11. *Dec.* 1648., & *Lambertin. Inſt.* 29. *num.* 25.

(4) *S. C. Ep. in Neapolitan.* 30. *Sept.* 1695.

(5) *Ead. in Alatrin.* 18. *Dec.* 1601. *ap. Nicol. v.* Educandæ *num.* 2.

(6) *S. C. Ep. plur. ap. eumd. l. c. num.* 14.

(7) *Ead. in Placentin.* 13. *Jan.* 1634., *in Coſentin.* 9. *Nov.* 1635. *Lambertin. Inſt.* 33. *num.* 15.

(8) *S. C. Ep. in Neapolitan.* 25. *Apr.* 1627., *in Placentin.* 27. *Mar.* 1650.

(9) *Ead. in Aſſiſien.* 20. *Sept.* 1599. *ap. Ferraris v.* Moniales *art.* 1. *num.* 33.

XXVII. Alimenta anticipate ſolvantur, juxta formam licentiæ a Sacr. Congr. impertiri ſolitæ; &, ſi per octo dies ſolutio protrahatur, excludantur a Monaſterio. Hac ſuper re Deputati a Nobis electi, etiam in Monaſteriis exemptis, ſolliciti ſint, ſub pœna remotionis ab officio; ſin autem elapſis ſex menſibus alimenta ſoluta non fuerint, Noſque iidem Deputati certiores non reddiderint, ſancimus, ipſos eoſdem deputatos teneri de proprio ea alimenta perſolvere, tanquam culpabiliter negligentes in officio ſponte ſuſcepto; reſervata ipſis contra principalem debitorem, aut fidejuſſorem agendi poteſtate.

XXVIII. Siqua virgo educanda Religioſum ſtatum elegerit, extra clauſuram per duos menſes (1) eſt collocanda, quo facilius dignoſci valeat, an divina inſpiratione ducta Religioſum habitum petat; niſi forte periculum ſubeſſet, ut a ſancto propoſito averteretur. Per menſem ante veſtitionem, ſicut & ante profeſſionem, Præfecta Monaſterii (2) etiam exempti, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, Nos moneat, ut ipſi per Nos, aut Vicarium noſtrum, aut aliam perſonam a Nobis deputandam, procedamus ad explorandam puellæ voluntatem, an coacta, an ſeducta fuerit, an ſciat quid agat; nempe an inſtituti difficultates, & onera comperiat, virilemque animum habeat ad cuſtodiendas vias duras, per quas itur ad Dominum. Hanc explorationem faciendam volumus (3) intra quindecim dies a monitione, ut, voluntate puellæ cognita, valeat ea poſtmodum per decem (4) continuos dies exercitiis ſpiritualibus vacare, juxta Apoſtolica mandata. Si poſt acceptationem ſecretis ſuffragiis in Capitulo a Monialibus factam, puella intra duos menſes non ſuſceperit habitum, acceptatio illa (5) nulla ſit; ideoque tunc mandamus cum ceteris repetendam.

XXIX. Volumus etiam, a Superioriſſa exhibendum Nobis puellæ natalium teſtimonium per Baptiſmi fidem authenticam, per quam conſtet, puellam ad habitum admittendam exceſſiſſe (6) decimum quintum, & profiteri volentem decimum ſextum ætatis annum; itidemque Confirmationis ſuſceptæ (7) fidem. Ante ipſam acceptationem capitulariter faciendam, actu depoſita ſit dos, numerata pecunia, penes Sacrum Pietatis Montem Viterbii, aut penes idoneam perſonam a Nobis approbandam in aliis locis, quæ pietatis

(1) *S.C. Ep.* 19. *Apr.* 1624. *ap. Nicol. v.* Educand. *num.* 18.
(2) *Tridentin. ſeſſ.* 25. *de Mon. c.* 17., *S.C.C. in Dertonen.* 16. *Dec.* 1645., *Greg. XV. Conſt.* Inſcrutabili.
(3) *S. Pius V. Conſt.* Etſi mendicantium.
(4) *Encycl. Ven. Innoc. XI.* 9. *Oct.* 1682.
(5) *S.C. Ep.* 23. *Mar.* 1639. *& plur. ap. Ferraris in Biblioth. v.* Moniales *art.* 1. *n.* 72. *& ap. Nicol. v.* Habitus *n.* 22.
(6) *Trident. ſeſſ.* 25. *de Monial. c.* 15.
(7) *S.C. ap. Tamburin. de jure Abbatiſſ. diſp.* 4. *q.* 4. *num.* 1.

tatis Monte carent; cujus depoſiti teſtimonium authenticum, ante ſuffragia colligenda, in Capitulo publice prælegatur a Superioriſſa, Nobiſque pariter ante explorationem exhibeatur; ſub pœna in Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam ſuſpenſionis ab officio, reſervata Sanctiſſimo D. N. Papæ reintegrationis facultate, & in Monaſterium, ſeu Moniales amiſſionis juris exigendi reliquum dotis a novitia debitæ; ut idem Sanctiſſimus D. N. (1) ſancire Nos juſſit.

XXX. Idem Sanctiſſimus Pontifex (2) litteris ad Nos datis, quas per Edictum noſtrum publici juris fecimus, ſublatum voluit abuſum minus decentem tradendi Religioſum habitum puellis publice in Eccleſia; præcipiens, ut is per feneſtellam Communionis, ſeu aliam (ſi adſit) in Eccleſia cratem tradatur. Nos proinde hanc legem iterum promulgamus, etiam in exemptis Monaſteriis obſervandam, juxta facultatem in eiſdem litteris delegatam, ſub pœnis graviſſimis etiam ſpiritualibus contra tranſgredientes. Ut aliqua autem ſacra cæremonia in iiſdem puellis ab Eccleſia ad clauſtrum deducendis ſervetur, damus in Appendice ſub Num. XVIII. methodum, quam in Alma Urbe ſervari accepimus, eamque per omnia in praxim deduci in Diœceſis noſtræ Monaſteriis jubemus.

XXXI. Emiſſa profeſſione, cui decem alii exercitiorum dies præcedant, dos Monaſterio perſolvatur; eaque, ſi Monialis ſupra numerum de Sac. Congr. licentia admittatur, omnino eſt (3) inveſtienda; dos vero numerariæ, ſaltem noſtra (4) facultate accedente, in utilitatem Monaſterii expendi poteſt, præter quam in Monaſteriis (5) nuper erectis; Converſarum autem dos (6) arbitrio Superioriſſæ in Monaſterii cedat utilitatem. Numerum Monialium jam præfinitum, taxam dotium, & expenſarum (7) in aliis Synodis præſcriptam, nec non & conſuetudinem antiquiſſimam noſtræ Diœceſis exigendi majorem dotem ab exteris puellis, quam a civibus per omnia approbamus.

XXXII. Taxam præfatam expenſarum tam in veſtitione, quam in profeſſione Monialium, utpote jam a Sac. Congr. approbatam etiam in Monaſteriis exemptis, nunquam excedi poſſe a quacumque Moniali, ſub præcepto formali ſanctæ obedientiæ jubemus; inhærenteſque pluribus Summorum Pontificum

(1) *SS. D. N. Clem. XIII. Chirograph.* 13. *Febr.* 1759.

(2) *SS. D. N. Chirograph.* 6. *Sept.* 1758.

(3) *S. C. Ep. plur. ap. Nicol. v.* Dos *num.* 23.

(4) *Ead. in Ariminen.* 22. *Maii* 1601. *ap. eumd. l. c. n.* 26.

(5) *S. C. ap. eumd. l. c.*

(6) *Ead. in Fulginaten.* 14. *Nov.* 1625. *ap. eumd. l. c. num.* 10.

(7) *S. C. Ep. in Viterbien.* 27. *Mar.* 1633., *in* 2. *Syn. Branc. pag.* 6. & 39., *Syn. Sermatth. pag.* 149., *Syn. Abbati pag.* 90., *Card. Petra tom.* 3. *Comment. ad Conſtit.* 12. *Innoc. IV. a num.* 48.

tificum legibus (1) pœnas indicimus privationis ab officio in Superioriſſas, & vocis activæ, ac paſſivæ in Moniales Sanctæ Sedi reſervatas, ſi eas expenſas aliqua in parte augeri permiſerint; vetantes inſuper, ſub præfatis pœnis reſpective, ne ea occaſione, aut cauſſa alicujus ſolemnis Feſti ipſius Eccleſiæ, pompa ulla extra Eccleſiam fiat; ne volatilium ignium ſpectacula (vulgo *fuochi artifiziati*, *o girelli*) edantur tam ante, quam apud Eccleſias, vel in ipſo Monaſterio; ne puellæ ſacrum habitum ſuſcepturæ ea die alias veſtes induant, quam modeſtas, ſine fuco, aut ſecularibus pompis, quæ nimium teneros animos a ſpiritus fervore avocarent; ac tandem ne ea occaſione Confeſſarii, Deputati, Factoreſque conſuetam taxam, niſi ſponte, & plena (2) liberalitate donatum aliquid fuerit, excedere præſumant, omni ſemper pactione ceſſante, ſub pœna remotionis ab officio, aliiſque arbitrio noſtro infligendis. Huc revocamus, quæ alibi diximus circa æris campani (3) ſonum in feſtivitatibus, ſub pœnis ibi ſancitis.

XXXIII. Officiis Monaſterii præpoſitas Moniales, maxime eas, quæ temporali adminiſtrationi præſunt, hortamur in Domino, & monemus, ut rem familiarem ſuorum Monaſteriorum diligentiſſime procurent, & cuſtodiant, nec quidquam prodigant, vel diſperdant, vel prodigi, & diſpergi patiantur. Infra bimeſtre ab expleto officio rationem reddant exactam ſuæ adminiſtrationis ſub pœna privationis veli, & acceſſus ad crates, nec non excommunicationis, arbitrio noſtro. Eaſdem pœnas ſubeat, ſiqua Officialis fecerit (4) atteſtationem ullam, per quam affirmet, ſe proprio, aut Monaſterii nomine recepiſſe quamlibet pecuniæ ſummam, quam reipſa non receperit, aut ſi quam pecuniæ ſummam extra Monaſterium mutuo dederit. Nulla item Officialis, etiam Abbatiſſa ultra decem aureos erogare poſſit in ſumptus Monaſterii, Eccleſiæ, vel ſacrarii extraordinarios, niſi habita prius duodecim ſeniorum Monialium conſultatione, noſtroque, vel Vicarii Generalis conſenſu, ſub iiſdem pœnis. Reliquis tandem Monialibus diſtricte præcipimus, ut & ipſæ ad rectam Monaſterii ſui adminiſtrationem conſpirent; quod facile efficient, ſi paupertatem, quam profeſſæ ſunt, amantes, contentæ ſint modico. Sat habet, cui neceſſarii nihil deeſt; neque aliquid hic parſimoniæ, aut penuriæ pati erubeſcant, ut æternas in Cœlo divitias acquirant.

XXXIV. Quod ſupereſt, ne hoc Capitulum latina lingua expreſſum minus recte a Monialibus intelligatur, onus ſit Confeſſarii illud in vernaculam

(1) *Alex. VII. Conſt.* Pro Commiſſo 1657. *Edict. Ven. Innoc. XI.* 1676., *&* 1684., *Innoc. XII.* 1692., *Clem. XI.* 2. *Mart.* 1702.

(2) *Extravag.* Sane *de Simonia*.

(3) *Sup. tit.* 3. *cap.* 3. *num.* 11.

(4) *Syn. Sacchetti pag.* 105., *Syn. Sermatth. pag.* 149.

lam linguam transferre, infra menſem ſaltem a publicatione hujus Synodi, & italice redditum iiſdem Monialibus exhibere, ut ſaltem ſemel ſingulis annis in Refectorio publice legatur. Idem Confeſſarius pro ſua prudentia, & pietate mandatorum noſtrorum obſervationem inſinuare, & quæ videbuntur, explanare meminerit.

XXXV. Quæcumque hactenus de Sanctimonialibus decrevimus, eas etiam proportionali ratione, ad puellas Orphanas in Viterbienſi Conſervatorio viventes extendimus; ita tamen, ut quæ ſub excommunicatione Summo Pontifici reſervata interdicta ſunt circa clauſuram, aliaque hujuſmodi, cenſeantur prohibita in Conſervatorio ſub anathemate (1) Nobis reſervato. Confeſſarius (2) Conſervatorii ſit triennalis, ſicut & Monaſterii; exhibeaturque pari ratione extraordinarius, & ſpiritualium exercitiorum director. Non recipiantur ſeptennio minores, & receptæ ad annum uſque viceſimum quintum, ſi velint, detineantur; quo expleto, cogantur exire, ut aliis puellis periclitantibus locum relinquant. Quæ nuptias expetunt, dotentur, ſicut in Brevi SS. D. N. feliciter Regnantis Nobis, noſtriſque ſucceſſoribus facta eſt auctoritas. Reſervamus Nobis facultatem peculiares leges, ac ſtatuta pro eo Conſervatorio condendi, cum ædificium ad perfectionem jam vergens completum fuerit.

CAPUT QUINTUM

De Regularibus, Tertiariis, aliiſque exemptis, tum de Eremitis, & eleemoſynarum Quæſtoribus.

I. GRatias (3) *agentes Deo Patri, qui dignos eos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine*. Venerabiles, ac Sanctiſſimos Religioſorum Ordines potiſſimum alloqui viſus eſt Apoſtolus Paulus. Hi enim ex reliquo Chriſtianorum grege vocati, & a tabernaculis peccatorum in ſanctitatis domos ſegregati, digni habiti ſunt, qui militanti in terris Eccleſiæ præſidia, eidemque in Cœlis triumphanti eximii fulgoris lumina addiderint. Ii igitur, qui ad perfectionis apicem toto conatu contendunt, quique a Sede Apoſtolica gratiis, privilegiis, exemptionibus merito ſunt decorati, non increpandi, non coercendi a Nobis ſunt, ſed obſecrandi, ut ad omne Religioſæ virtutis officium, juxta propriam cujuſque inſtitutionem, progredientes, *tanquam*

(1) *Epiſt. juſſu SS. D. N. Clem. XIII. ad Nos dat. 6. Sept.* 1758.
(2) *S. C. Ep. 18. Mar. 1649. ap. Nicol. v.* Conſervator. *num.6., Syn. Abbati pag. 93.*
(3) *Coloſſen.* 1. 12.

tanquam filii (1) *lucis honeſte* ambulent, exemplumque afferant fidelibus *in verbo*, *in charitate*, *in Fide*, *in omni opere bono* (2) *fructificantes*.

II. Minime dubitamus, quin ipſi, præſtantes ſe Nobis in agro Domini excolendo non otioſos operarios, adjumento Nobis erunt ad Chriſtianas oves Nobis commiſſas, verbo, opere, exemplo juvandas, atque ſalvandas; conformantes ſe his noſtris Conſtitutionibus quoad ea omnia, quæ Divini verbi prædicationem, Sacramentorum, ac præcipue Pœnitentiæ adminiſtrationem, Miſſæ ſacrificium, Proceſſiones, ac ſepulturas reſpiciunt; turpis enim foret (3) pars (& utique honorabilior) ſuo univerſo non congruens. Eos proinde, quantum poſſumus, in Domino hortamur, & obſecramus, maxime quos ad Confeſſarii munus exercendum approbavimus, ut noſtras haſce Synodales conſtitutiones frequenter legere non graventur; ut quæ ad populi Chriſtiani ſalutem curandam ſanximus, inito cum Sacerdotibus Nobis ſubjectis fœdere, & unanimi conſenſione, jugiter pro viribus exequantur.

III. Supervacaneum ducimus recenſere capita omnia, in quibus delegatæ noſtræ juriſdictioni ſubduntur. Sat nota, compertaque (4) apud Canoniſtas ſunt, atque in ſuperioribus Synodis ſatis enumerata. Plurima etiam ſparſim in hac noſtra Synodo interſeruimus, ubi res, de qua agebatur, id poſtulabat. Actum igitur ageremus, ſi ſingula vellemus repetere. Ea ſolum hic judicamus enumeranda, quæ poſt ultimam Synodum per Sedis Apoſtolicæ definitionem jure delegato Nobis commendata cognovimus.

IV. Ac primo quidem ſtatuimus, Parochum Regularem (5) immediate ſubeſſe debere in iis, quæ ad animarum curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, noſtræ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni forte etiam ordinariæ, aut ſaltem delegatæ. Ex quo fit, ut non ſolum Nobis competat jus localis (6) viſitationis Eccleſiæ, nempe Altaris, ubi Sanctiſſimum Sacramentum aſſervatur, Fontis Baptiſmalis, Confeſſionalis Parochi ſedis, pulpiti Eccleſiæ, & loci in ſacrario, ubi ſacra ſupellex aſſervatur pro Sacramentis tam intra, quam extra Eccleſiam decenter miniſtrandis, ſepulcri, & cœmeterii Parochianorum, turris campanarum ad parochiam proprie ſpectantium, ac demum ſacrorum vaſorum, quibus, vel particulæ conſecratæ ſervantur, vel ſacra olea tam pro Baptiſmo, quam pro extrema unctione, vel aqua baptiſterii, vel aqua luſtralis ſub Eccleſiæ foribus poni conſueta; ſed & viſitationis perſonalis: an ſcilicet ejus vita, & mores, quatenus extra

(1) *Rom.* 13. 13.
(2) *Coloſſ.* 1. 10.
(3) *Aug. lib.* 3. *Confeſſ. cap.* 8. *num.* 1.
(4) *Fagnan. c.* Grave gerimus *de Off. Ord. a num.* 37.
(5) *Trident. ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 11.
(6) *Bened. XIV. Conſt.* Firmandis 1744.

extra clauſtrum prodeunt, conſerant ad populi ædificationem: an titulo legitimo curam exerceat: an reſideat: an Synodum, & caſuum collationes adeat: an feſtis diebus Miſſam pro populo, verbi Dei prædicationem, Doctrinam Chriſtianam adimpleat: an ſtatis diebus excipiendis Confeſſionibus vacet: an morituris Sacramenta, & ſpiritualia ſubſidia præſtet: an denunciationes matrimonio præmittat: an libros Parochiales recte ordinatos teneat: uno verbo, excepta unice Regulari obſervantia, quidquid ſolemus, & debemus a Parocho ſeculari exquirere, id omne a Parocho Regulari exquirere, & exigere poſſumus; data etiam Nobis facultate hujuſmodi Regulares Parochos ad nutum amovibiles ab animarum cura removendi; quin Superiorum ſuorum conſenſum exquirere, aut cauſam judicii noſtri iis Superioribus aperire, aut probare debeamus.

V. Secundo loco monemus, quod in hac (1) Synodo ſupra ſtatuimus, de retinenda Crucifixi Icone inter candelabra ita præalta, dum Miſſa celebratur, ut candelabris ipſis emineat, adeoque de non ſtatuenda Crucis loco aliqua minori tabula, cui ſuperadditur exiguus Crucifixus. Hac etiam ſuper re Nobis, quibus ex Tridentino (2) jus competit, ut etiam tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati corrigere valeamus in Regularibus pravas conſuetudines, quæ ritui Miſſæ celebrandæ adverſantur, voluit eam curam incumbere S. M. Benedictus XIV. (3), ut conſuetudinem hanc, ſicubi irrepſerit, penitus convellere etiam in Eccleſiis exemptis, humanitate prius, ac deinde ſeveritate ſtuderemus. Quæ humanitatis ſunt, hiſce noſtris monitis explemus, ſperantes, quoſcumque Regulares huic noſtro monito morem gerentes, quæ ſeveritatis erunt, non expectaturos.

VI. Tertium accedit circa Regulares ex Monaſteriis noſtræ Diœceſis, ubi de familia commorantur, ordinandos per alium Antiſtitem, cum ſui Superioris dimiſſorialibus litteris, Nobis abſentibus, aut ordinationes non (4) habentibus. Præter dimiſſoriales eas litteras exhibenda eſt atteſtatio Vicarii (5) Generalis, vel Cancellarii, vel Secretarii Epiſcopalis, ex qua conſtet, Nos vel a Diœceſi abeſſe, vel Clericorum ordinationem habituros non eſſe, non quidem extra tempora, ſed proximo legitimo tempore per Eccleſiaſticas leges ad hunc effectum ſtatuto; alias præfatas dimiſſoriales nullas eſſe monemus, indictaſque in ordinantem pœnas eaſdem, quas ipſo facto incurrunt, qui alienum ſubditum legitimis dimiſſoriis deſtitutum ordina-

(1) *Supr. tit. 2. cap. 2. num. 59.*
(2) *Trident. ſeſſ. 22. Decret. de obſervan. &c.*
(3) *Bened. XIV. Conſt.* Accepimus 1746.
(4) *Decr. Clem. VIII. 15. Mar. 1596. confirmat. ab Innoc. XIII. Conſt.* Apoſtolici 30. *Maii* 1723.
(5) *Bened. XIV. Conſt.* Impoſiti 1747. §. Præterea.

dinaverint; & in ordinatum ſuſpenſionem ab ordine ſuſcepto, & irregularitatem, ſi miniſtraverit.

VII. Sed, & illud non omittendum, cauſas nullitatis profeſſionis Regularis intra (1) quinquennium tantum a die profeſſionis ejuſdem promotas, coram proprio Superiore ſimul, ac loci Ordinario non aliter expediendas, niſi juxta methodum ab eodem ſapientiſſimo S. M. Benedicto XIV. (2) traditam; ſervato ſcilicet vero, & judiciali proceſſu; auditis omnibus, quorum intereſt; conſtitutoque, atque ad omnem actum audito *Defenſore profeſſionum* a Nobis eligendo. Addendum & illud, a Regularibus, quibus facultas facta eſt a S. Sede impertiendi Pontificiam Benedictionem ſuper populum, ritum eſſe ſervandum, quem idem (3) Pontifex tradidit, atque abſtinendum prorſus a trina Benedictione, quæ & ipſis Abbatibus uſu Pontificalium præditis, non niſi (4) in Miſſa ſolemni impertienda conceditur; alias tenebimur Nos Apoſtolicam Sedem certiorem efficere de ritu hoc a Regularibus violato; ex quo eveniet, ut facultas ipſis conceſſa benedicendi ſolemniter auferatur, aliiſque, qui juſſa facere non detrectaverint, concedatur.

VIII. Ea quam maxime commendamus, unde, ſi non obſerventur, Chriſtiani populi ſcandalum emergit; atque hujuſmodi ſunt; tum armorum breviorum delatio, quæ per recentiorem (5) Conſtitutionem priorum confirmatoriam, fuit iterum vetita, ab Ordinariis locorum, aliiſque competentibus judicibus etiam in exemptas perſonas vindicanda; tum propriorum Monaſteriorum clauſura cuſtodienda, in quam, ejuſque clauſtra, ſepta, officinas, & cubicula feminas cujuſcumque conditionis, & dignitatis admittere vetantur ſub quovis etiam pietatis, & Religionis (6) prætextu, etiamſi per ea a Regularibus ſupplicationes habeantur, ſub pœnis, & cenſuris olim ſtatutis contra violatores clauſuræ virorum Regularium; tum tandem ad Moniales acceſſus, quem iterum, ac tertio diſtricte prohibemus, ſub pœnis per ſacros Canones latis, ad quas, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatos deſcenſuros Nos ſine ulla cunctatione, certo, ac indubitanter pollicemur.

IX. Progredimur ad Tertiarias, de quibus nihil eſt, quod addamus iis, quæ in ſuperioribus Synodis recenſentur. Unum hoc iterum inculcamus, utpote recentiori Apoſtolicæ Sedis Decreto confirmatum, nempe puellas has Tertiarias ſubjectas eſſe (7) juriſdictioni Parochi; earumque confeſſiones a Re-

(1) *Trident. ſeſſ.* 25. *de Reg. c.* 19.
(2) *Bened. XIV. Conſt.* Si datam 1748.
(3) *Bened. XIV. Conſt.* Exemplis 1748.
(4) *Decr. Alex. VII. an.* 1659.
(5) *Bened. XIV. Conſt.* Securitatem 1753.
(6) *Id. Conſt.* Regularis 1742.
(7) *Bened. XIV. Conſt. confirmator.* Emanavit 17. *Sept.* 1749.

a Regularibus audiri non poſſe, ni, juxta morem, ad excipiendas ſecularium confeſſiones fuerint a Nobis approbati. Non permittant autem (1) hæ mulieres frequentes ad proprias domos virorum acceſſus, maxime Regularium, quorum ordini ſunt adſcriptæ; alias graves arbitrio noſtro pœnas tam ab accedentibus, quam ab excipientibus exigemus.

X. Monitos hic volumus Clericos omnes ſeculares quomodocumque exemptos, alioſque, qui officiis, patentalibus litteris, privilegiiſque muniuntur, tutos cenſeri non poſſe, quominus a Nobis tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis corrigantur, & caſtigentur de eorum exceſſibus, criminibus, & delictis, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, quibuſcumque exemptionibus minime ſibi ſuffragantibus, neque in iis, quæ viſitationem, aut morum correctionem reſpiciunt, ullam exemptionem, aut inhibitionem, appellationemque impedire, aut ſuſpendere decretorum, ac mandatorum noſtrorum executionem (2).

XI. Nullum Eremitorium (3) in Diœceſi noſtra de novo erigatur abſque noſtro aſſenſu, quem neutiquam præſtabimus, niſi doctum fuerit, ab alia eremitica domo ſpatio mille circiter paſſuum ſaltem diſtare. Nullus item eremiticum habitum induat, niſi de noſtra in ſcriptis licentia, obtentiſque patentalibus literis; qua etiam proprii Ordinarii licentia inſtructus ſit, quicumque per noſtram Diœceſim eo habitu indutus pertranſierit. Aſſumptum ſemel habitum commutare, aut abjicere, Nobis inconſultis, non poſſit; iſque ſit ab eo, quem Religioſi geſtant, diſſimilis; ejuſque curæ ſit, Eccleſiam, ſacra ſupellectilia, domumque nitidam, ac mundam ſervare, eleemoſynarumque, quas colligit, rationem reddere teneatur ad noſtrum beneplacitum.

XII. Debeat quolibet die Eremicola Miſſam audire; tertiam Roſarii partem perſolvere; conſcientiæ propriæ maculas exquirere; & B. M. V. Litanias recitare. Qualibet hebdomada parochialem Eccleſiam adeat feſtis diebus, ac Doctrinæ Chriſtianæ aſſiſtat. Quolibet menſe ſacrorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentorum pabulo ſe reficiat, & confeſſarii manu conſcriptum teſtimonium ferat ad Parochum de Sacramentis ſuſceptis; niſi in Parochiali, ut optamus, communicet. Neminem ad ſacrum peragendum in Eccleſia admittat niſi noſtro teſtimonio ſuffultum; neque virum ullum, inconſulto Parocho, noctu excipiat, eoque minus facinoroſos, aut Curiæ contumaces, qui, ſi ad eremi Eccleſiam confugiant, rem

 ſtatim

(1) *Syn. Hortan. Lanucci pag.* 243.
(2) *Trid. ſeſſ.* 14. *de ref. cap.* 4., *ſeſſ.* 24. *de ref. cap.* 10.
(3) *Conc. Rom.* 1725. *tit.* 22. *cap.* 2., *& ex Appendic. in calce ejuſd. Conc. ſub n.* 21.

ſtatim ad Nos deferat. Sæcularium familiaritatem devitet, & fæminarum contubernium, quarum nullam, etiamſi ſuam ſororem, aut uxorem eſſe conſtiterit, in eremiticam domum ingredi patiatur, quocumque prætextu. A ludis autem, & tabernis prorſus abſtineat ſub pœna carceris.

XIII. Parochus autem vitam, moreſque eremicolarum diligenter perſcrutetur; an præſcripta ſervent; an libros habeant bonis moribus non conſentaneos; an tandem vivendi ratio profeſſioni reſpondeat; ac de his omnibus Nos ſubinde certiores reddat, maxime cum ad præſcriptum noviſſimi Rom. Concilii eremitas omnes ante Nos, aliquoties convocabimus, ut ab iiſdem ſuæ vitæ inſtitutum exigamus. Idem Parochus perbreves has leges in vernaculam linguam transferet, & eremitis in ſua parochia degentibus vel legendas tradet, vel voce eorum auribus perſæpe inculcabit, ne ignorantiam obtendere poſſint.

XIV. Quod ad quæſtores eleemoſynarum ſpectat, liberum eſt Religioſis vere mendicantibus, juxta Apoſtolicas Conſtitutiones (1), oſtiatim quærere; modo tamen in loco, in quo quæritant, habeant Conventum. Si extra locum Conventus per Diœceſim mendicent, tenentur Nobis licentiam ſuorum Superiorum oſtendere; ſin autem Monaſterium eorum in noſtra Diœceſi non adſit, debent & noſtrum (2) conſenſum exquirere. Neutiquam vero permittere poſſumus, ut eleemoſynas quærant per alios, (3) quam per ſui Ordinis Religioſos, vel oblatos. Mendicantibus exceptis, nulli quantumvis privilegiati (4) ſine noſtra in ſcriptis licentia poſſunt eleemoſynas colligere pro aliquo opere pio. Abuſum (5) in alia Synodo vetitum iterum prohibemus, ut nulla nempe mulier, aut vir coopertum habens caput velo oblongo pudoris gratia, conſiſtat apud Eccleſiæ fores, vel in compitis ſtipem ſcripto poſtulans, niſi Vicarii noſtri acceſſerit conſenſus in ſcriptis; alias in carcerem illico rapietur.

XV. Confraternitates, quæ hoſpitalitatem (6) exercent, aut quæ pro animabus purgatorii ſuffragia ex proprio inſtituto colligunt, volumus in ſuo jure permanere; ſicut & eas alias, quibus ſtatis diebus per Nos, aut Prædeceſſores noſtros ea ſit facta poteſtas; His tamen conditionibus, ut quæſtores de eleemoſynis collectis non participent; ſed niſi gratis adſit, qui hoc præſtet officium, ſtipendium honeſtum præfigatur; ut capſulas nummula-

(1) C. Nimis prava *de exceſ. Prælat.*, *Compend. Privileg. Mendicant.* v. Eleemoſyna.

(2) *S.C.C. ap. Fagnan. in c.* tuarum *de Privil. num* 3.

(3) *S. C. C. in Poſnanien.* 24. *Sept.* 1622., & *in Sangallien.* 17. *Jan.* 1692.

(4) *S. C. C. in Theanen.* 30. *Apr.* 1678., & *in Cajacen.* 28. *Aug.* 1683.

(5) *Syn. Abbati pag.* 70.

(6) *S.C.E. in Panormitan.* 1601., *in Viterbien.* 25. *Maii* 1601., & *S. C. C. in Maceraten.* 17. *Nov.* 1607.

mularias bene clauſas circumferant; ut res, nempe frumentum, oleum, candelas, hiſque ſimilia deſcribant in pagella coram ipſo elargiente, quo, cum collecta in manus depoſitarii tradentur, per præfatam pagellam detegi poſſint fraudes; ut idem depoſitarius coram Officialibus collectas eleemoſynas in libro introitus notet, & in capſulam projiciat duplici clave obſeratam; quarum altera ab Officiali, altera ab eodem depoſitario detineatur, quin Parochus (1) in iis ſe poſſit ingerere; ac tandem, ut fidelis ratio Nobis quotannis reddatur a Depoſitario, ſeu Officialibus de erogatione omnium eleemoſynarum juxta piam fidelium voluntatem.

XVI. Ad extremum ſine noſtra, aut Vicariorum noſtrorum licentia nemo audeat, ſive Eccleſiaſticus, ſive Eremita, ſeu laicus, quæſtoris munus publice exercere ſub pœna carceris; collectæque eleemoſynæ penes (2) eumdem repertæ egentioribus Monialium Monaſteriis diſtribuentur. Attentius præ cæteris invigilent Vicarii noſtri circa recens converſos ad fidem, an falſos errores diſſeminent; delinquentes hac in parte vinculis addicant, & exceptis teſtium depoſitionibus rem Nobis ſtatim ſignificent. Carcere item, tum exilio multentur, qui quæritantes prædicare auderent (3), aut indulgentias evulgarent, aut falſas imagines, reliquias, numiſmata diſtribuerent, vel deoſculanda porrigerent. Parochos vero optamus ſollicitos in tam pio opere conſpicere, ut pro infirmis, aut carceri mancipatis pauperibus ovibus ſuis privatim domos divitum circumirent impetraturi ſubſidium; quos ſummopere impelleret ingenioſa Paſtorum dexteritas, & commendabilis paternæ pietatis oſtenſio ad charitatem exercendam. In duris caſibus Nos quoque monitos faciant.

CAPUT SEXTUM

De Confraternitatibus, Hoſpitalibus, & Montibus, tum frumentariis, tum Pietatis.

I. *Societatem habeatis* (4) *nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio ejus Jeſu Chriſto.* Quantopere laicorum hominum cœtus ſub regularum ſalutarium legibus viventes ad pietatem excolendam, virtuteſque exercendas proſint, vel ipſæ per Eccleſiarum Prælatos factæ erectiones, gratiæque a Sede Apoſtolica eiſdem conceſſæ abunde teſtantur. At

 enim

(1) *S. R. C. 10. Dec. 1703. ad* XXVIII.
(2) *S. C. Ep. in Baren., Urbinaten., Aquen. ap. Nicol. v.* Quæſtor *num.* 4.
(3) *Trid. ſeſſ.* 5. *c.* 2. *§. ult., & ſeſſ.* 21. *c.* 9.
(4) 1. *Jo.* 1. 3.

enim hic ſpiritualis profectus certe evaneſceret, niſi iis cohibeantur ſtatutis, quæ ad amputanda frequentia, in quæ hæ ſocietates impingere ſolent, offendicula per Canonicas ſanctiones decernuntur. Complura ex his, ut omnibus in comperto eſſe poſſint, per edictum vernacula lingua (1) in calce Synodi imprimendum, publici juris faciemus. Hic ſolum ea decernenda ſtatuimus, quæ generalius Nobis appoſita ad rem viſa ſunt.

II. Novas Confraternitates erigi, aut jam erectas alicui Archiconfraternitati (2) ſine noſtra licentia aggregari interdicimus, etiam apud Regulares quoſcumque; ſi quid ſecus factum ſit, irritum eſto, nulliuſque roboris. In iis ſtatuta legitime approbata obſerventur; eademque ſtatuta Cenſoribus librorum a Nobis in hac Synodo electis exhibeantur; ut ſi quæ deprehendentur minus congrua, & vel recentioribus Conſtitutionibus, vel receptæ conſuetudini minus accomodata, indicta per eos Confratrum ſeniorum congregatione, corrigantur, vel augeantur, Nobiſque dein præſententur confirmanda. Si quod autem ſodalitium nullas haberet leges, eæ de præfatorum Cenſorum conſilio condantur per congregatos in unum ſodalitii ſeniores duodecim a Nobis pari modo approbandæ.

III. Nemo Confraternitati adſcribatur, niſi qui per proprii Parochi teſtimonium Chriſtianæ doctrinæ rudimenta (3) calleat, excluſis penitus iis, qui aliqua turpis, ſeu facinoroſæ vitæ, vel infamiæ nota laborant; imo ſi poſt adſcriptionem tales evaſerint, habito collegialiter inter ſeniores colloquio, collectiſque ſingulorum ſecretis ſuffragiis, ex albo confratrum expungatur. Nullus item admittatur, qui ſocietatis habitum non compararit; qua in re ſi deerunt Officiales admittentes, ipſimet pœna teneantur conficiendi propriis ſumptibus habitum confratri recens admiſſo, & propriæ ſodalitati aureum unum perſolvendi. Eo habitu ſemper induti conveniant ſolemnioribus anni feſtis, Officium B. M. V., aut alias preces pro inſtituti ratione recitaturi; videlicet diebus Paſchatis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, die proprio Sancto Patrono ſacra, & quando generalis Communio peragenda eſt, juxta eorum regulas, ſub pœnis in edicto præfiniendis.

IV. Singulis annis Officiales intra Natalitia feſta per ſecreta ſuffragia eligantur, ſub pœnis pecuniariis in conſiliarios, ſeu electores ſecus agentes; electorumque nomina ad Nos deferantur confirmanda. Exactores autem, ſeu Camerarios ſi alicubi per tres annos in officio permanere mos inoleverit, ii tranſacto triennio ulterius eligi non poſſint, niſi ſex annis ab officio vacarint. Si ſecus fiat, electio nulla ſit, & tam eligentes, quam electus pœnis

(1) *In Append. Num.* XIX.
(2) *Clem. VIII. Conſt.* Quæcumque 1604.
(3) *Ex decret. ſupra relat. tit.* 1. *c.* 2. *n.* 21.

nis pecuniariis arbitrio noſtro coercebuntur. Caſum excipimus, ſi quando in ſodalitio alius forte idoneus non reperiretur, & noſtra accederet ſpecialis diſpenſatio. Infra bimeſtre ab expleto officio, tam Officiales, quam exactor, aut Camerarius, qui rem pii loci adminiſtrarint, teneantur rationem reddere apud Syndicos, qui ſententiam, laudumve latum ad Vicarium noſtrum ſubſcribendum deferant.

V. Quæ ſupra ſtatuimus (1) circa Eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem, atque inventarium, ea integre, ſub pœnis ibidem propoſitis, a Confratribus obſerventur; nullæque locationes fiant a Camerario, niſi præter edictorum affixionem, conſenſus majoris partis Confratrum per ſecreta ſuffragia accedat. Eumdem conſenſum neceſſarium mandamus in impendendis in pios dumtaxat uſus eleemoſynis, quæ de noſtra licentia, intra, vel extra Eccleſiam, quæritando colligentur.

VI. Libros habeant accepti, & expenſi; alium bonorum omnium ſtabilium; item alium inſtrumentorum pii loci. Ad hæc in alio libro nomina Confratrum, & Conſororum ſeorſim deſcribantur, atque in alium Congregationes habitæ, captæque inde reſolutiones, ac Sacræ Viſitationis decreta referantur. Inventarium pariter omnium mobilium conficiatur, illudque adhibitis duobus teſtibus ſubſcribatur ab eo, cui, quotannis inter Officiales electo, fiet rerum Confraternitatis, Eccleſiæve traditio. Hos libros, una cum libris Miſſarum exhibeant quotannis oculis Reviſorum, quos ad Miſſarum onera viſitanda deputabimus per edictum, ut per eorumdem ſubſcriptionem innoteſcat, an recte detineantur; alias is, cui cuſtodia eorum librorum demandata eſt, multam unius aurei ſubibit, ni exhibeat, aut minus apte detineat, & conſcribat. Archivum etiam habeat quæcumque Societas, in quo libri cuſtodiantur, neque exinde ſub pœna trium aureorum extrahi poſſint, niſi accedente Officialium conſenſu, ſcriptiſque in libello ad eam rem comparato nominibus extrahentis, & libri, cum diei, menſis, annique adnotatione.

VII. Proceſſionibus publicis, ut ſupra (2) declaravimus, ſub pœnis ibi comminatis interſint, itemque ſupplicationibus, quæ qualibet tertia menſis Dominica in Cathedrali habentur (3) cum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. In publicis quidem ſupplicationibus adſit etiam Capellanus (4) cum cotta & ſtola; alias tanquam abſentes Confratres multam ſubibunt. Hic Capellanus ab iis, cum opus fuerit, per ſecreta ſuffragia electus approbationem noſtram recipiat. Reliqua, quæ ad Congregationes, Sacramentorum

(1) *Supr. tit.* 3. *cap.* 4.
(2) *Supr. tit.* 3. *cap.* 6. *num.* 6.
(3) *Supr. tit.* 2. *cap.* 2. *num.* 39.
(4) *Syn. Abbati pag.* 67.

rum frequentiam, piarum precum, aut officii perſolutionem, morumque diſciplinam ſpectant, in edicto enucleatius declarabuntur.

VIII. Illud poſtremo ſocietatibus cunctis inſculptum volumus, ut a Parochorum, in quorum parochiæ diſtrictu ſita eſt ſocietatis Eccleſia, voluntate, nutuque pendeant; multo autem magis hanc reverentiam obſequiumque Confratres debeant Parocho, a quo, quaſi precario nomine, Oratorium, Eccleſiamve eidem Parochiæ adnexam, ac ab ea dependentem acceperunt. Sed & Parochi id caveant, ut ne nimio magis, quam par eſt, dominatum in Confratres exerceant. Habet parochialis jurisdictio fines ſuos, quos tranſilire nemini liceat. Inculcamus proinde, & vim legis inconcuſſam habere volumus ea decreta, quæ ad litibus finem imponendum pronunciata a Sac. Rit. Congr. Prædeceſſor noſter (1) publici fecit juris, ſynodalibuſque legibus intexuit, adjecta etiam ſuſpenſionis pœna in Cappellanos Confraternitatum, ſi contra decretorum formam juri parochiali violando conſenſum, aut aſſiſtentiam præberent. Quod autem ſummum eſt, ne Parochi ullo modo ſe ingerant in adminiſtratione (2) redituum, vel eleemoſynarum; aut in Congregationibus ullum ſibi arrogent jus ferendi ſuffragium, etſi nomine noſtro iiſdem interſint; ſciantque, quam maxime decere, Eccleſiaſticos viros, animarumque Paſtores prorſus averſari eas contentiones, unde perſæpe rudes homines ſcandalum ſumunt, & retrahuntur (3) a Sacrificio Domini.

IX. Hoſpitalia, tum quæ infirmorum, tum quæ peregrinorum curam habent, Epiſcopali ſunt (4) vigilantiæ commendata. Ea proinde primum monemus, quæ animarum bonum reſpiciunt; ut nempe mares a feminis ſeparentur, niſi certis conſtet documentis, legitimum inter eos conjugium; ut mulieres etiam uxores, ſi juvenes ſint, non ſinantur inter virorum lectulos converſari, ut marito miniſtrent; ut adoleſcentuli non collocentur prope viros ætate grandiores, niſi filii, fratreſve ſint; ut quotidie ſub veſperam (5) præcipua doctrinæ capita Parocho, Rectore, vel Priore præeunte recitent; utque tandem, ſi infirmi ſint, quamprimum ſacramentali confeſſione conſcientiam expient.

X. Quæ ad corporis medelam, aut levamen pertinent, omni pietatis officio perſequantur Hoſpitalium cuſtodes, ſeu Priores. Infirmos hilari ſuſcipiant vultu, & benigno cordis affectu, meminerintque, ſe in die judicii diſtri-

(1) *Syn. Abbati p.* 67., & 126. *uſq. ad* 131.

(2) *S.R. Congr. Urbis, & Orbis* 10. *Dec.* 1703. *ad* 28. 30. 31., & 32., & *S. C. C. in Novarien. Aggregationis* 24. *Sept.* 1718. *ad* 7. *in Theſaur. Reſol. tom.* 1.

(3) 1. *Reg.* 2. 17.

(4) C. de Xenodochiis, *c.* ad hæc *de Religioſ. domib.*, *Trident. ſeſſ.* 25. *c.* 8. *de Ref.*

(5) *Sup. tit.* 1. *cap.* 2. *num. penult.*

diſtrictam officii impenſi rationem ipſimet Chriſto reddituros, qui in pauperibus pauper, & in infirmis infirmus quidquid in hoc hominum genus aliena pietate egentium confertur, quidquid rurſus damni, injuriæve infertur, id omne ſibi collatum, illatumve eſſe in Euangelio teſtatus eſt. Charitate ergo, quæ patiens, & benigna eſt, advenientes omnes complectantur, &, non quæ ſua ſunt, quærentes, ſed quæ Jeſu Chriſti, caveant, ne a quoquam in adventu, aut diſceſſu (1) quidquam vel minimum exigant, petant, ac ne ſponte quidem oblatum accipiant, ſub pœna reſtitutionis, ac dimiſſionis ab officio.

XI. Sed & bonorum, redituumque rectam, fidelemque adminiſtrationem ne negligant Hoſpitalium Priores, aliive Officiales. Quæ ſupra de bonis Eccleſiaſticis, atque inventario (2) ſtabilivimus, eadem hic cenſeantur præſcripta. Annis ſingulis rationem ſuæ adminiſtrationis reddere Nobis, vel (3) Deputatis noſtris teneantur; alias factæ liberationes, ſeu abſolutiones adminiſtratoribus minime ſuffragentur. In gravibus, & magni ponderis rebus Congregationes Hoſpitalis majoris Viterbienſis coram Nobis, vel Vicario noſtro habeantur, ut matura prævia deliberatione, & peritorum ſuſcepto conſilio, negotia expediantur diligentius, & accuratius (4).

XII. Poſtremo montium tum frumentariorum, tum pietatis adminiſtros ſedulo monemus, ut accurate, diligenterque perlegant, quæ a Prædeceſſore noſtro in ſuperiore Synodo (5) ſalubriter, ſapienterque ſancita ſunt, quæque hic volumus pro expreſſis haberi. Duo addere ex Conſtitutionibus Apoſtolicis cogimur: alterum, nefas eſſe depoſitariis, arcariis, aliiſque montium officialibus ſummam quamtulamcumque pecuniarum, vel pignus aliquod etiam parvi pretii ſubtrahere, atque uſurpare, vel in ſuum, alienumve commodum quovis modo convertere, inque uſum ab eo diverſum transferre, ad quem generatim in iiſdem locis, tanquam ſub tuta, & fideli cuſtodia ſervantur; aut ſcriptum aliquod facere illorum, qui nullas pecunias reipſa depoſitas habuerint, aut fortaſſe haberent minores ea, quæ ſcripta foret; aut depoſitas revera res, & pecunias non ſcribere in conſuetis codicibus, & libris, ut eas deinde in proprios, vel alienos uſus convertere poſſint; aut poſtremo pignoris ſpeciem, & qualitatem immutare, remve oppignoratam confingere, ſive unam pro alia deſcribentes, dolum, & fucum facere, fraudemque quamcumque, falſitatem, aliamve ſimilem actionem circa dicta pignora committere. Hæc omnia delicta, præter antiquas ſummorum

(1) *Syn. Montilj pag.* 180.
(2) *Sup. tit.* 3. *cap.* 4.
(3) *Syn.* 1. *Muti pag.* 145. *ex Conc. Trident.*, *& Conc. Rom.* 1725. *tit.* 23. *c.* 2., *& aliis Syn.*
(4) *Synod. Abbat. pag.* 69.
(5) *Syn. Abbati pag.* 64.

morum (1) Pontificum ſpirituales pœnas, acerbiſſimis conſectatus eſt ſuppliciis S. M. Benedictus XIII. (2) decernens pro toto S. R. Eccleſiæ imperio, aliquo ex præfatis modis delinquentes inter infames, & Reipublicæ proditores connumerandos, & tanquam graviſſimi furti, & latrocinii reos, ſecundum leges communes, & Romanæ Urbis, ſtatuſque Eccleſiaſtici edicta contra latrones jam promulgata, damnandos, & puniendos, etiam ultimi ſupplicii pœna reſpective, nulla eis excuſatione ſuffragante, etiam parvi pretii, & valoris rei, in qua delictum commiſerint.

XIII. Alterum ab ipſa Montium Pietatis erectione cautum, & profluens eſt, ideo a mutuatariis (3) aliquid ultra ſortem exigi poſſe, ut ſine Montis detrimento congrua merces aſſignetur miniſtris; ſi vero quod ultra ſortem exigitur, expenſas ſuperet (4) in miniſtrorum ſuſtentationem erogandas, tunc oportere uſuram moderari, & redigere ad æqualitatem cum quotidianis ſumptibus, aliiſque oneribus, quibus Mons prægravatur; conſulta tamen Sacra Concilii Congregatione. Cum Depoſitarii proinde, aliique Montium officiales, officio expleto, rationem adminiſtrationis reddent, liberum erit (5) Nobis ſemper, ut vel ipſi per Nos, vel per alios a Nobis deputatos cognoſcere, atque inquirere ſedulo poſſimus, cum cetera, tum hanc præcipue, ſi adeſſet, uſurarum ſupra expenſas excedentiam. Secus, præter juramenti, quod ineunte officio præſtiterunt, violationem, ſciant, per Nos arbitrariis graviſſimis pœnis etiam cenſurarum coercendos.

CAPUT SEPTIMUM

De Foro Eccleſiaſtico, & Cancellaria Epiſcopali.

I. *UT diſponat orbem terrarum in æquitate, & juſtitia, & in directione cordis judicium* (6) *judicet*. Non humano jure, ſed divina voluntate jurifdicundi poteſtas facta eſt Eccleſiæ, quæ tanquam pia Mater manſuetudine rigorem, judicium lenitate temperans, qua precibus, qua imperio, fideles in recta pietatis ſemita contineat. Huc reſpiciant, oportet, Vicarii noſtri omnes, ac præcipue Generales, in quibus quam maxime prælucere volumus eam cordis directionem, ut nihil, niſi juxta æquitatis, & juſtitiæ leges, decernant.

II. Pau-

(1) *Paul. V. Conſt.* Oneroſa *ap. Syn. Sermatth. pag.* 139., *Syn. Sacchet. pag.* 113.

(2) *Bened. XIII. Conſt.* jandudum 1729. §. 14.

(3) *Leo X. Conſt.* Inter multiplices *in Conc. Lateran. V. ſeſſ.* 10.

(4) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 7. *c.* 48. *n.* 2., & 3.

(5) *Syn. Montilj p.* 181., *Syn.* 1. *Muti p.* 146., *Syn. Sermatth. p.* 137., *Syn. Abbat. p.* 69.

(6) *Sap.* 9. 3.

II. Pauperum in primis, ac miſerabilium perſonarum, pupillorum, virginum, ac viduarum cauſas adverſus verſutos, & præpotentes litigatores dirigere, & brevi manu terminare curent; eiſdemque etiam eas, in quibus, vel de mercedibus, vel de ſumma tres aureos non excedente agitur, adnumeramus, quantocyus, & ſummarie expediendas. Ad hæc controverſias omnes inter conſanguineos pro viribus dirimere certent; &, priuſquam Judicis, amicabilis compoſitoris partes aſſumant. Si id aſſequi nequiverint, curabunt (1) ſaltem, ut ſubterfugia, cavillationes, aliæque litigantium verſutiæ explodantur, liteſque, quanta fieri poterit brevitate, bene tamen perſpecta re, expediantur. Ob eam rem ne ſinant, alias, atque alias ſubinde pro cauſidicorum placito ferias ſuccreſcere; ſed etiam invitis, ac reluctantibus Procuratoribus, (diebus feriatis, juxta Edictum (2) in calce ſuperioris Synodi impreſſum, dumtaxat exceptis) cunctis aliis diebus ad jus dicendum deſtinatis, audientiam publice, ſtata hora, præbeant; quum ut plurimum litium æternæ prolationes, licet partium, aut defenſorum culpa crebro eveniant, judicis tamen deſidiæ, aut fraudi vulgo adſcribantur.

III. Vicarius præcipue Generalis, qui pondus univerſi populi impoſitum ſuper Nos ſuſtentare nobiſcum debet, is ſit, ut ſollicitus, & alacer, ab omni cupiditate liber, & a perſonarum acceptione alienus, omnem operam, laboremque impendat, ut Tridentini decreta, Synodaleſque noſtræ Conſtitutiones minutiſſime obſerventur. Præſertim in iis, quæ Dei, Eccleſiarumque cultum, Feſtorum dierum obſervantiam, morumque diſciplinam reſpiciunt, vindicem adhibeat gladium, pœnas a Nobis ſtatutas exigendo, ut ceteri ex paucorum punitione, ob pœnæ ſaltem timorem, a vitiis deterreantur.

IV. Sed & Vicarii foranei, ut noviſſimum Romanum Concilium (3) monet, *pro Deo, & propter Deum Euangelium non erubeſcant, ſed de Clericorum, & laicorum vita, ac moribus, & quomodo Parochi, aliique animarum Rectores in paſtorali officio ſe gerant, diligenter inquirunt, ad Epiſcopos fideliter delaturi, num Clerus, & populus, ut decet, vivant; num proprius in Eccleſiis cultus adhibeatur; num ſupellex, ſacra præcipue, debito nitore conſervetur, & viſitationum decreta ſuæ ſint executioni demandata*. Reliqua ad Vicariorum officium, vigilantiam, poteſtatemque ſpectan-

D d tia,

---

(1) *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *de Ref. c.* 10., *Conc. Rom.* 1725. *tit.* 8. *cap.* 2.

(2) *Syn. Albati Append. Num.* XIII. *pag.* 159.

(3) *Id. Conc. Rom. tit.* 7. *cap.* 2.

tia, ſatis, ſuperque in ſuperiore Synodo (1) commemorata, & pro expreſſis hic integre habenda, miſſa facimus.

V. Illud autem hic enixius inculcamus, & ſub ſeveriſſimis pœnis ſervandum præcipimus, ut Vicarii foranei ſuæ poteſtatis limites non prætergrediantur; judicandi nempe cauſas civiles, ſive in petitorio, ſive in poſſeſſorio, non excedentes (2) valorem quinque ſcutorum; quam poteſtatem in remotioribus oppidis Montis Alti, Orioli, Viani, & Centumcellarum, uſque ad ſummam extendimus aureorum decem, & non ultra, etiam conſentientibus partibus, ſub pœna nullitatis actorum ex juriſdictionis defectu, & remotionis ab officio quoad judicantem; eamdemque pœnam irrogamus, ſi in fraudem præſentis legis creditum majoris ſummæ in modicas partes diviſum in diverſis inſtantiis repeteretur; exceptis tamen domorum, agrorum, aut vinearum locationibus.

VI. Nedum remotionem ab officio, ſed & dupli reſtitutionem incurrent, tam Vicarii, quam Cancellarii, ſi quid vel minimum ultra taxatam mercedem, directe, vel indirecte, ab actoribus, vel reis exigant, vel petant. Omnis vel minimam ſuſpicionem avaritiæ volumus a curiis noſtris abeſſe. Ob eam rem ſancimus, in cauſis Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus, exacte ſervandam taxam, quam vocant Innocentianam; ad cujus tramites Cancellariis foraneis vetitum omnino ſit, quicquam vel minimum ultra tres julios exigere pro executione Apoſtolicarum litterarum, ſeu noſtrarum, in immittendis novis proviſis in poſſeſſionem beneficiorum. Abuſum omnem contra prædictam taxam ubique locorum invectum prorſus reprobamus, & ſub præfatis pœnis interdicimus.

VII. In cauſis civilibus taxa a Cardinali Farneſio anno 1609. edita, & in noſtro Tribunali ſemper obſervata cuſtodiatur, a qua nunquam recedere quis audeat, ſub præfatis pœnis. In criminalibus vero, ſicut & ſiquid circa Eccleſiaſticas, ſpiritualeſque res emergat, quod ad tramites Innocentianæ taxæ regulari non poſſit, merces curiæ debita menſurabitur juxta duplicem taxam, quam in duabus Synodis (3) pervulgavit Prædeceſſor noſter Franciſcus Maria Cardinalis Brancaccius, cujus ſynopſim in ſupplementum Innocentianæ, in calce præſentis Synodi deſcribi juſſimus (4).

VIII. Vetuſtiſſimam, immemorabilemque (5) conſuetudinem in foro noſtro

(1) *Syn. Abbati pag.* 97.
(2) *Ead. Syn. Abbati pag.* 98.
(3) *Syn.* 2. *Brancat. p.* 45., *Syn.* 3. *ejuſd. p.*34.
(4) *Append. Num.* XXII.
(5) *Syn. Gualtieri*, *Syn.* 1. *Muti p.*92. §. extra, *Syn.* 1. *Brancat. pag.*25. *n.* 1., *Syn. Sacchetti pag.* 85., *Syn. Sermatth. pag.* 109., *Syn. Abbati pag.* 101.

noſtro Epiſcopali vigentem nullatenus infringi permittimus, per quam Clerici, quoties ſunt actores, impediri, aut turbari non poſſunt, quominus trahant ad noſtrum Tribunal laicos reos, in cauſis nedum Eccleſiaſticis, ſive quæ ratione negotiorum, vel rerum ad forum Eccleſiaſticum de jure pertinere noſcuntur, ſed etiam in iis, in quibus agitur de profana re. Quin immo & pœnam decem aureorum in clericos jandiu ſtatutam (1) innovamus, ſi in alio, quam noſtro foro, laicos pulſent, licet non propriam, ſed ſuorum rem (2) acturi ſint. Conſuetudinem hanc, ſicubi orte vigeret, præſervatam voluit (3) Alexander Papa III. iis verbis: *Licet in pleriſque partibus aliter de conſuetudine habeatur*; & ſuo calculo confirmavit etiam Sac. Ep. Congr., approbante (4) Paulo V. Nos eam proinde pro viribus tueri omni contentione ſatagemus. Quin etiam jure præventionis, tam in cauſis civilibus, quam in criminalibus mixti fori, laicos admittemus contra laicos agere volentes. In cauſis tamen damni dati omnino ſervetur (5) conſtitutio ſanctæ memoriæ Benedicti XIV., quæ incipit *Inveterata*, cujus ſynopſim dabimus in calce Num. xx.

IX. Aliam etiam non modo conſuetudinem, ſed Apoſtolicum privilegium ſemper inviolabile contendimus, quo Nos ipſi, & Vicarius noſter Generalis, abſque ulla nova in ſingulos annos poteſtate, vigore Brevis dudum ad Prædeceſſorem noſtrum Cardinalem Tiberium Mutum a S. M. Gregorio XV. directi, cum interventu Procuratoris pauperum, ſeu aliorum per Nos deputandorum, carceratos Tribunalis noſtri Viterbienſis, cum facultatibus viſitatoribus carcerum Almæ Urbis conceſſis, viſitare libere, & licite poſſimus perpetuo, & valeamus. Hujus facultatis, ne temporum injuria e memoria hominum unquam excidat, conceſſionis exemplar e Synodo ſecunda ejuſdem Prædeceſſoris noſtri Brancaccii (6) exſcriptam iterum in lucem edimus in appendice ſub Num. xx.

(1) *In iiſd. Syn. Brancat. Sacchetti, & Sermatth. Inſt.* 40. *num.* 5.
(2) *Cit.* 1. *Syn. Muti*.
(3) *C.* Si clericus laicum *de for. comp.*
(4) *Paul. V.* 9. *Mart.* 1617. *ap. Lambertin.*
(5) *Bened. XIV. Conſt.* Inveterata 1750.
(6) *Syn.* 2. *Brancat. pag.* 43.

CAPUT VIII., ET ULTIMUM

De Conſtitutionibus Synodalibus.

I. P*Onite corda veſtra in omnia verba .... cuſtodire, & facere, & implere univerſa, quæ ſcripta ſunt legis hujus, quia non incaſſum præcepta ſunt vobis, ſed ut ſinguli in eis* (1) *viverent*. Nequos error irrepat arbitrantes, Synodales hoſce conventus, ad vanam pompæ potius oſtentationem, quam ad veram morum diſciplinam, haberi, non aliis verbis opportunius dilectos Nobis in Chriſto Fratres, filioſque dimittendos cenſuimus, quam iis, quibus Legis Divinæ pervulgationem complevit primus legum conditor, & præco Moyſes Sanctiſſimus. Non incaſſum hæc præcepta condita ſunt, ſed ut eorum executio exigatur. Paucis admodum exceptis, quæ ad peculiares Cleri, populique noſtri mores, ac diſciplinam, vel ex Prædeceſſorum inſtitutis, vel ex noſtro judicio ſancire viſum eſt, nihil prope in hac Synodo inſeruimus, quod ex Sacris Canonibus, Conciliis, Pontificiis Conſtitutionibus, Sacrarumve Congregationum decretis univerſo orbi accomodatis, non hauſerimus. Non noſtram igitur ſententiam, ſed latas e ſuperiori ſolio leges ediximus; id unum ſperantes, venerabiles Fratres eoſdem, filioſque noſtros, pro æquabili cordis docilitate, ac demiſſa obſervantia, univerſa, quæ ſcripta ſunt legis hujus, exacte impleturos.

II. At quia lenioribus frequentiores ſunt indociles animi, pœnas in contumaces nonnunquam adjecimus; eo ſcilicet conſilio, quia abjectiores ſervilis ingenii homines ſolus metus continet in officio; neque ibi legis ſpernitur imperium, ubi pœnarum deſperatur effugium. Pœnas igitur in hac Synodo ſtabilitas in contumaces diſtricte exigemus, & per Vicarios noſtros, cum primis Generales, exigi mandamus, ea etiam conditione appoſita, ut ſemper Nobis, noſtriſque ſucceſſoribus fas ſit, pro temporum, caſuumque varietate, aut mitius agere, aut ſeverius etiam, ſi pertinacior malitia ſuaſerit, in ſontes procedere, pœnas arbitrarias imponendo, etiam ubi impoſitæ non ſunt. Pœnas pecuniarias intelligimus ſemper pio loco applicandas; tametſi forte de hac applicatione facta non ſit alicubi mentio ſpecialis. Pœnas vero, & præſertim cenſuras a Prædeceſſoribus noſtris latas prorſus revocamus, niſi eæ ſint in præſenti Synodo ſaltem generalibus verbis confirmatæ; ſiquæ vero Prædeceſſorum eorumdem Conſtitutiones noſtris præſentibus non adverſantur, eas omnes pro veneratione, qua illos proſequimur, confirmamus, & in ſuo robore permanere volumus, & mandamus.

III. Ad

(1) *Deut.* 32. *v.* 46. 47.

III. Ad præcavendas animarum anxietates palam facimus, nullum peccati mortalis vinculum imponi in iis Conſtitutionibus, quæ a noſtra dumtaxat auctoritate prodierunt; niſi, vel gravitas materiæ, vel ſanctæ obedientiæ præceptum, vel cenſurarum inflictio, aut comminatio, lethalem criminis reatum inducant. Siquod in his conſtitutionibus intelligendis dubium emerſerit, noſtrum, noſtrorumve ſucceſſorum erit explicare, atque interpretari; ſalva ſemper auctoritate Sedis Apoſtolicæ, cui noſtrum omne judicium, eaſdemque conſtitutiones humillime ſubjicimus immutandas, corrigendas, emendandas, aut, ſi dignabitur, firmiore ſuæ approbationis munimine fulciendas.

IV. Conſtitutiones in hac Synodo promulgatæ ad ſui obſervantiam obligare incipiant ſtatim a publicatione, quam propoſito edicto edicemus, poſt quam typis fuerint excuſæ. Caſus vero reſervatos volumus habere locum ab initio proxime futuri menſis Decembris. Ne quis vero Synodalium ſtatutorum oggerat ignorationem, deceſſorum (1) noſtrorum exemplo, & aliorum (2) Epiſcopatuum praxi inhærentes, omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, & Clericis in hac Civitate, & Dioeceſi beneficium obtinentibus præcipimus, ut infra menſem a die ejuſdem publicationis illas ſibi comparaſſe debeant. In Cathedralium, & Collegiatarum omnium archivis exemplar unum ſemper aſſervetur ſpecialiter ad eum locum pertinens; quo ſemper præſto ſit in Capitulis obeundis, ſiquid per has Conſtitutiones decidendum occurrerit; & bis ſemel in anno cap. 3., & 4. tit. 3., & cap. 1., & 2. tit. 4. perlegantur. Contra Capitula, Vicarios foraneos, Parochos, Confeſſarios omnes, ac Notarios Eccleſiaſticos, qui hanc Synodum intra menſem ab impreſſione non compararint, pœnam unius aurei decernimus, & relaxamus; ea tamen cautione, ut etiam pœna ſoluta, eos nihilominus ad executionem hujus decreti omnibus juris remediis compellamus. A Sacris Ordinibus recipiendis excludatur, qui teſtimonio Typographi non probarit, Synodum hanc ſe coemiſſe.

V. Tandem Decretis noſtris finem imponentes verbis ab Apoſtolo Paulo petitis, Fratres noſtros venerabiles, dilectoſque in Chriſto filios ita ad extremum alloquimur. *Veſtra* (3) *obedientia in omnem locum divulgata eſt, gaudeo igitur in vobis. Vigilate*, (4) *ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini*; *idem* (5) *ſapite, pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum*.

JUDI-

(1) *Syn. Montilj p.* 192., *Syn. Sermatth. p.* 185., *Syn. Abbati pag.* 108.

(2) *Syn. Albanen. an.* 1687., *Syn. Fulginaten.* 1722., *Syn. Anconitan.* 1722., *Syn. Ravennat.* 1748.

(3) *Rom.* 1. *c. ult.* 19.

(4) 1. *Cor.* 16. 13.

(5) 2. *Cor.* 13. 11.

JUDICES SYNODALES.

SAcroſancti Concilii Tridentini præcepto obſequentes perſonas qualitatibus requiſitis inſignitas eligimus in judices Synodales, quibus, præter Ordinarium, cauſæ Eccleſiaſticæ, ac Spirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in partibus ſunt delegandæ; (1) eorumque nomina (2) ad Sedem Apoſtolicam tranſmittemus. Ii vero moniti ſint non poſſe in diſcuſſione cauſarum delegatarum alium Notarium (3) adhibere præter noſtrum Epiſcopalem. Hi autem ſunt

JUDICES SYNODALES

In Civitat. et Dioecesi Viterbii.

Petrus Petrucci Archidiaconus Cathedralis J. U. D.
Philippus Viti Can. Cathedralis J. U. D.
Dominicus Chriſtofari Canonicus Cathedralis J. U. D.
Bartholomæus Armanni Canonicus Cathedralis S.Th., ac J. U. D., & Abbas perpetuus Commendatarius S. Mariæ in Palumba.
Joannes Annibali Prior Collegiatæ S. Angeli de Spatha J. U. D.

In Civitate Tuscanellæ.

Hieronymus Roſati Archipresbyter Cathedralis J. U. D.
Bernardinus Turiozzi Canonicus Theologus Cathedralis S. Th. D.
Chriſtophorus de Sanctis Canonicus Collegiatæ S. Mariæ Majoris.
Petrus Antonius Citurini Canonicus dictæ Collegiatæ.

EXAMINATORES SYNODALES.

EXaminatorum munus eſt, nedum concurrentium ſcientiam experiri, ſed & eorum ætatem, inſtitutionem, gravitatem, honeſtatemque morum, prudentiam, munia ante exercita, aliaque omnia ad gubernandam Eccleſiam opportuna (4) inveſtigare. Juramentum præſtant, ſe, quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros; unde perjurii rei effice-

(1) *Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 10. *de Ref.*
(2) *Bened. XIV. de Syn. lib.* 4. *c.* 5. *n.* 5.
(3) *S. C. C. ap. eumd. l. c. n.* 7.
(4) *Bened. XIV. Encycl.* Cum illud 1742., & *de Syn. lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 3.

efficerentur, ſi examinandos ullatenus ante examen docerent, quid ſit (1) reſpondendum. Caveant, ne quidquam prorſus occaſione hujus examinis, nec ante, nec poſt, accipiant; alioquin ſimoniæ vitium tam ipſi, (2) quam alii dantes, incurrant. Sunt autem

EXAMINATORES SYNODALES

IN CIVITATE, ET DIOECESI VITERBII

Examinatores Synodales confirmati.

Cynthius Ferdinandus Paitelli J. U. D., Civitatis Viterbii, ejuſque Dioeceſis Vicarius Generalis.
Petrus Petrucci Archidiaconus Cathedralis J. U. D.
Ferdinandus Scaglioni Archipresbyter Cathedralis S. Th. P.
Joſeph Longhi Canonicus Cathedralis J. U. D.
Philippus Viti Canonicus Cathedralis J. U. D.
Antonius Cinquini Canonicus Cathedralis J. U. D.
Joannes Franciſcus Palmerini Canonicus Poenitentiarius S. Th. D.
Aloyſius Tabaneli Canonicus Theologus Cathedralis S. Th. D.

De novo electi.

Cyrus Cherofini Canonicus Cathedralis S. Th. P.
Petrus Pius Mariani Canonicus Cathedralis S. Th. P.
Bartholomæus Armanni Canonicus Cathedralis S. Th., & J. U. D.
Sebaſtianus Zazzara Archipresbyter Collegiatæ S. Xyſti S. Th. P.
Joannes Annibali Prior Collegiatæ S. Angeli J. U. D.
Petrus Paulus Vittorj Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ Novæ Prior S. Th. P.
Paulus Cordelli Beneficiatus Cathedralis S. Th. D.
Joannes Franciſcus Speranza Beneficiatus Collegiatæ S. Xyſti S. Th. P.
Joannes Baptiſta Garofolini Beneficiatus d. Collegiatæ S. Th. P.
Joſeph Caſtori Beneficiatus ejuſdem Collegiatæ S. Th. P.
Nicolaus Landucci Beneficiatus Collegiatæ S. Angeli S. Th. P.
Joſeph Antonius Mancini Sacerdos Viterbien. S. Th. P.

Ex

(1) *Syn. Sacchetti pag.* 131., *Syn. Sermatth.* *pag.* 181., *Syn. Sublacen.* 1674 *p.* 302.
(2) *Trident. ſeſſ.* 24. *de Ref. cap.* 18.

Ex Regularibus Confirmati.

P. F. Dionyſius Pacificus Roſſi Ord. Min. Conv. S. Th. Mag.
P. F. Joachim a S. Romulo Ord. Min. Obſer. Lector Generalis.
P. Franciſcus Manetti Soc. Jeſu.
P. Nicolaus Zagretti Soc. Jeſu.

Regulares de novo electi.

P. F. Albertus Vitalini Ord. Præd. in Gen. Peruſino ſtudio Regens, Filius V. Conventus B. Mariæ ad Gradus de Vit.
P. F. Jacobus Bodchin Ord. Præd. in Coll. S. Thomæ de Neapoli Baccalaureus, filius dicti V. Conventus B. M. ad Gradus.
P. F. Joannes Antonius ab Urbe Ord. Min. Obſer. Lector Generalis.
P. F. Paulus Lamberti Ord. Min. Conv. S. Th. Magiſter.
P. F. Antonius Maria Menicozzi Ord. Min. Conv. S. Th. Magiſter.
P. F. Archangelus a Præſentatione Carmel. Excalce. Th. Prælector.
P. F. Joannes Thadæus a S. Thereſia Carmel. Excalce. S. Th., & S. Script. Prælector.
P. F. Benitius Chiucchiulini Ord. Servor. B. M. V. S. Th. Magiſter.
P. Thomas Calſamiglia Ord. Cler. Regul. Miniſtr. Infirmis.

IN CIVITATE TUSCANELLÆ.

Jacobus Felix Prior Sarnani J. U. D., ac Civ. Tuſcanellæ Vic. General.
Joſeph Dottarelli Primicerius Cathedral. J. U. D.
Hieronymus Roſati Archipr. Cathedral. J. U. D.
Joannes Baptiſta Salvi Canonic. Cathedral. S. Th. P.
Bernardinus Turiozzi Canonic. Theol. Cathedral. S. Th. D.
Franciſcus Cicoli Canonic. Cathedral. S. Th. P.
Petrus Antonius Citurini Canonic. Colleg. S. Mariæ Majoris S. Th. P.
Paſchal Giannotti Rector Ss. Marci, & Silveſtri S. Th. P.

TES-

TESTES SYNODALES.

TEſtium Synodalium officium brevibus complexus eſt Innocent. III., ut ſimpliciter, & de plano, abſque ulla juriſdictione, quæ in Civitatibus, ac Diœceſi occurrunt, ſollicite inveſtigent; & quæ correctione, vel reformatione ſunt digna, fideliter ad Nos (1) perferant. Enucleatius eiſdem munus ſibi demandatum explicuimus, quum ſecreto in manibus noſtris juramentum præſtiterunt de proprio munere fideliter implendo. Nomina autem eorum in ſchedula noſtro ſigillo ſignata, & munita deſcripta aſſervantur, quam Cancellario noſtro tradidimus in ſecretiore Archivo Epiſcopali cuſtodiendam.

Datum VITERBII Die IX. Novembris Anno Dñi MDCCLXII.

J. Card. ODDI Epũs Viterb., & Tuſc.

Petrus Pius Canon. Mariani Synodi Secretar.

IN DEI NOMINE AMEN.

ANno a ſalutifera Domini Noſtri Jeſu Chriſti Nativitate Milleſimo, ſeptingenteſimo, ſexageſimo ſecundo, Indictione X., Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. CLEMENTIS, *Divina Providentia,* PAPÆ XIII., *anno V., Die vero* IX. *Menſis Novembris.*

Quum ſupraſcriptæ Synodales Conſtitutiones, & decreta in pluribus delectorum Virorum, doctrina, prudentia, ac pietate præſtantium, præſynodalibus Congregationibus ſedulo ordinata, & diſcuſſa, eaque poſtmodum utriſque, tum Viterbienſi, tum Tuſcanenſi Reverendiſſimis Capitulis perlecta fuiſſent, auditis ad conſilium utriuſque Cathedralis Dignitatibus, & Canonicis, prout ex actis mei &c., ad quæ &c.; tandem in Sacroſancta Cathedrali S. Laurentii Viterbii Eccleſia diebus ſeptima, octava, & hodierna, juxta prævium Indictionis Edictum, præſidente Emõ, & Rmõ Dño, Dño JACOBO *Tituli S. Praxedis S. R. E. Presbytero Cardinali* ODDI, *Viterbienſi, & Tuſcanenſi Epiſcopo, ſervatiſque de more ſervandis, ac præſente, & ad*

E e *Syno-*

(1) *Innoc. III. in Conc. Later. IV. cap. 6.*

Synodum conveniente utroque præfato Rmo Capitulo, una cum univerſo utriuſque Civitatis, & Diœceſis Clero, partim per Rmum D. Canonicum Pœnitentiarium Joannem Franciſcum Palmerini, partim vero per RR. DD. Petrum Morgna, & Julium Fanelli Beneficiatos ejuſdem Cathedralis S. Laurentii, ac Marianum Titioni Beneficiatum S. Xyſti, & Petrum Sanctori Beneficiatum S. Angeli de Spatha ejuſdem Civitatis per vices, alta, & intelligibili voce lecta, & nemine prorſus diſcrepante, publicata, atque approbata fuere.

Et quia Rmus D. Canonicus Antonius Cinquini J. V. D. ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, Synodique Promotor inſtitit in qualibet Synodali ſeſſione, ut de omnibus peractis unum, vel plura, ſi opus fuerit, per me &c. Inſtrumenta conficerentur; eamdemque inſtantiam Dominatio ſua Ema, & Rma admiſit, & juxta petita confici Inſtrumentum, ſeu Inſtrumenta mandavit; ideo Ego Notarius infraſcriptus prædictis inſtantiæ, & mandato inhærens, ad perpetuam omnium prædictorum memoriam, & firmitatem hoc præſens Inſtrumentum expoſui, & publicavi in forma &c. Super quibus &c. omni &c.

Actum Viterbii in præfata Cathedrali Eccleſia S. Laurentii coram univerſa Synodo ibidem congregata; ac ſpecialiter præſentibus Illmis DD. Canonico Philippo Pectorubeo filio Illmi D. Joannis Baptiſtæ, Alexandro Primomi filio b. m. Vincentii, Franciſco Archangeli filio b. m. Lazzari, & Calliſto Janni filio b. m. Cæſaris, Nobilibus Viterbienſibus teſtibus ſpecialiter habitis, atque rogatis &c.

Et Ego Vincentius Morgna Clericus, ac Dei gratia, & Apoſtolica auctoritate Notarius publicus Viterbienſis, Curiæque Epiſcopalis dictæ Civitatis in Civilibus, & Eccleſiaſticis cauſis Cancellarius, & hujus Diœceſanæ Synodi Notarius in fidem &c. ſcripſi, ſubſcripſi, meoque ſolito ſigno munivi requiſitus, &c.

Signum ✠ Notarii

EDICTUM

PUBLICATIONIS SYNODI.

UT ea, quæ a Nobis, Dei ope, decreta, & conſtituta ſunt in Synodo Diœceſana per Nos celebrata diebus VII., VIII., & IX. Novembris anno proxime elapſo MDCCLXII., ab omnibus, ad quos ſpectat, debitæ poſſint executioni demandari; omnia, & ſingula acta, & decreta in eadem Synodo edita, & publicis formis jam impreſſa, hoc præſenti Edicto publicamus, & prædictis omnibus obſervanda mandamus. Ne quis autem horum ignorantiam obtendere valeat, præcipimus, ut, elapſo menſe a publicatione hujus Edicti ad valvas Cathedralium noſtrarum, & Eccleſiarum Parochialium tam Civitatum, quam Oppidorum Diœceſis noſtræ ad hunc effectum affigendi, eadem omnia, & ſingula acta, & decreta prædictos omnes obligent, atque afficiant, perinde ac ſi unicuique perſonaliter intimata fuiſſent.

Datum Viterbii ex Palatio noſtro Epiſcopali apud S. Laurentium Kalendis Julii MDCCLXIII.

J. Card. ODDI Epũs Viterb., & Tuſc.

Vincentius Morgna Canc. Epiſc.

SERIES CHRONOLOGICA

SYNODORUM OMNIUM VITERBIENSIUM.

ANNO DOMINI MCCLII.

PRimam Synodum habuiſſe Alferius Epiſcopus ad Cathedram Viterbienſem aſſumptus ab Innocentio IV. ann. 1252. traditur. Suas deinde Conſtitutiones moderatus eſt anno 1254. Hujus Synodi acta ignorantur.

ANNO DOMINI MCCCLVI.

II. Diœceſanam Synodum in Oppido Montis Alti celebravit Nicolaus Epiſcopus Viterbien., & Tuſcanen. die 20. Maji anno 1356. Indict. IX., quartum jam annum Eccleſiam univerſam regente Innocentio VI. Haſce Conſtitutiones exhibet membranaceus codex, in Archivo Cathedralis S. Laurentii Viterbii aſſervatus.

ANNO DOMINI MDLXIV.

III. Primam poſt Tridentina comitia Diœceſanam Synodum celebravit Sebaſtianus Gualterius Epiſcopus Viterbien., & Tuſcanen. anno 1564., ſtatim ac ab eodem Concilio Tridentino redux ad ſuam Cathedram remeavit. Hujus Synodi Conſtitutiones Typis editæ conſpiciuntur.

ANNO DOMINI MDLXXIII.

IV. Sebaſtianum Gualterium excepit Joannes Franciſcus Card. Gambara Brixienſis a S. Pio V. Eccleſiæ Viterbienſi præpoſitus. Diœceſanam Synodum habuit anno 1573., ejuſque acta, & decreta publicæ ſunt luci donata.

ANNO DOMINI MDLXXXIV.

V. Carolus Montilius Epiſcopus Viterbien., & Amalphitanus Archiepiſcopus in Cathedrali Eccleſia S. Laurentii IV. Idus Martii 1584. Synodales edidit Conſtitutiones, quas Viterbii typis vulgavit eodem anno Auguſtinus Colaldus Typographus.

ANNO

ANNO DOMINI MDCXIV.

VI. Tiberius Mutus Domicellus Romanus, Epiſcopus Viterbien., & Tuſcanen. primam Synodum Diœceſanam celebravit Viterbii diebus 15., 16., & 17. Januarii anno 1614.; ejuſque conſtitutiones, & decreta per Hieronymum Diſcipulum fuerunt Typis conſignata Viterbii.

ANNO DOMINI MDCXXIV.

VII. Idem Tiberius Mutus, jam Cardinalis Presbyter tit. S. Priſcæ a ſan: me: Paulo V. creatus ſecundam habuit Diœceſanam Synodum diebus 18., & 19. Januarii anno 1624. Eæ conſtitutiones eodem anno fuerunt typis Auguſtini Diſcipuli impreſſæ Viterbii.

ANNO DOMINI MDCXXXIX.

VIII. Franciſcus Maria tit. SS. XII. Apoſtolorum Presbyter Cardinalis Brancaccius, qui Eccleſiam Viterbienſem, & Tuſcanenſem triginta duobus circiter annis moderatus eſt, octo habuit Diœceſanas Synodos. Prima coacta fuit die xxv. Septembris 1639.

ANNO DOMINI MDCXLV.

IX. Eam excepit Synodus ſecunda, die 23. Aprilis 1645.

ANNO DOMINI MDCXLIX.

X. Succeſſit tertia, die 21. Novembris 1649.

ANNO DOMINI MDCLIII,

XI. Quarta item habita legitur die 21. Septembris 1653.

ANNO DOMINI MDCLVI.

XII. Quintum tenet locum alia, quam idem Eminentiſs. Epiſc. celebravit die 30. Aprilis 1656.

ANNO DOMINI MDCLIX.

XIII. Sextæ Synodi conventus coactus eſt die 27. Aprilis 1659.

ANNO DOMINI MDCLXII.

XIV. Septima celebratur die 30. Aprilis 1662.

ANNO DOMINI MDCLXVI.

XV. Octava tandem ejuſdem Eminentiſſimi Brancacci inita fuit die 9. Maji 1666. Earum omnium Synodorum Conſtitutiones Typis edidit Viterbii Marianus Diotallevius.

ANNO DOMINI MDCXCIV.

XVI. Urbanus Card. Sacchettus Epiſc. Viterbien., & Tuſcanen. Synodales edidit Conſtitutiones diebus XXIV., & XXV. Maji anno 1694., quas Romæ cudendas curavit in Typographia Rev. Cam. Apoſt.

ANNO DOMINI MDCCXXIV.

XVII. Adrianus Sermatthæjus diebus 9., 10., & 11. Novembris anno 1724. Diœceſana habuit comitia. Leges, & Conſtitutiones latæ proſtant Viterbii in Typographia Hæredum de Juliis.

ANNO DOMINI MDCCXLII.

XVIII. Alexander de Abbatibus ſuæ habuit Diœceſeos Conventum diebus 11., 12., & 13. Novembris 1742. Ejus decreta typis Romæ tradiderunt Bernabò, & Lazzarini Typographi.

ANNO DOMINI MDCCLXII.

XIX. Synodus poſtrema ab Eminentiſs., & Reverendiſs. D. D. Cardinali Jacobo ODDI Viterbienſi, & Tuſcanenſi Epiſcopo habita diebus 7., 8., & 9. Novembris anno 1762. Typis hiſce excuſa exhibetur.



APPEN-

APPENDIX

AD

SYNODALES CONSTITUTIONES.

Num. I. §. I.

Editto del S. Offizio, da pubblicarſi la prima Domenica sì dell' Avvento, come della Quareſima.

Ad Tit. I. Cap. I. num. 8.

NOI &c. per la Miſericordia di Dio, della S. Romana Chieſa Cardinali in tutta la repubblica Criſtiana contra l'Eretica pravità Generali Inquiſitori dalla Santa Sede ſpecialmente deputati.

Eſſendo a Noi per continua ſperienza manifeſto, che molti per malizia, altri per inobbedienza, ed altri per ignoranza non ſoddisfanno agli obblighi, che hanno, di denunciare al S. Offizio i delitti ſpettanti ad eſſo, e che però ſuccedono grandiſſimi inconvenienti, ed errori, non ſolamente contra i buoni, e criſtiani coſtumi, ma ancora contra la Fede Cattolica; Noi per tanto, a' quali ſpecialmente debbono eſſere a cuore la gloria di Dio, la conſervazione, ed aumento della Fede Cattolica, e la ſalute delle anime, volendo provvedere a tanto diſordine, con autorità Apoſtolica a Noi commeſſa, comandiamo in virtù di ſanta ubbidienza, ſotto pena di ſcomunica di lata ſentenza, oltre le pene preſcritte da' Sacri Canoni, Coſtituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici, per tenore del preſente Editto, a tutte, e ciaſcuna perſona di qualſivoglia ſtato, grado, condizione, e dignità così Eccleſiaſtica, come ſecolare, che fra il termine di trenta giorni, dieci de' quali pel primo, dieci pel ſecondo, e dieci pel terzo perentorio termine, debbano rivelare, e giuridicamente notificare al S. Offizio, ovvero all' Ordinario, tutti, e ciaſcun di quelli, de' quali ſappiano, o abbiano avuto, o avranno notizia,

Che ſiano Eretici, o ſoſpetti, o diffamati d'eresìa, o credenti, o fautori, o ricettatori, o difenſori loro; o abbiano aderito, o aderiſcano a i riti de' Giudei, o Maomettani, o de' Gentili, o abbiano apoſtatato dalla S. Fede Cattolica.

Che abbiano fatto, o facciano atti, da' quali ſi poſſa argomentare patto eſpreſſo, o tacito col Demonio, eſercitando incanti, magie, ſortilegj; porgendogli ſuffumigj, o incenſi, per trovar teſori, ed altri intenti, chiedendo da lui riſpoſte, ed invocandolo, ed a queſto effetto promettendogli ubbidienza, e conſacrandogli pentacoli, libri, ſpade, ſpecchj, ed altre coſe, nelle quali intervenga il nome, ed opera ſua.

Che

Che ſi ſiano ingeriti, ed ingeriſcano in fare eſperimenti di Negromanzìa, o di qualſivoglia altra ſorte di magìa, con entrar ne' circoli, fare eſperimenti della caraffa, o del crivello, per trovare i medeſimi teſori, coſe naſcoſte, rubbate, e perdute, e fare altre ſimili ſuperſtizioſe azioni ad altri fini, maſſime con abuſo de' Sacramenti.

Che ſenza la licenza dovuta ritengano ſcritti, che contengono ereſie, o libri d'Eretici, che trattino ex profeſſo di Religione, o che gli abbiano letti, o tenuti, o ſtampati, o fatti ſtampare, o gli leggano, tengano, ſtampino, facciano ſtampare, introducano, o difendano ſotto qualſivoglia preteſto, o colore.

Che abbiano libri di negromanzìa, magìa, o continenti incanteſimi, ſortilegj, e ſimili ſuperſtizioni, maſſime con abuſo di coſe ſacre.

Che contra il voto ſolenne fatto nella profeſſione in qualſivoglia Religione approvata, o dopo aver preſo l'ordine ſacro, abbiano contratto, o contraggano matrimonio.

Che vivendo la prima moglie, pigli la ſeconda, o vivendo il primo marito pigli il ſecondo.

Che contra i Decreti, e Coſtituzioni Apoſtoliche abbiano abuſato, o abuſino il Sacramento della Penitenza, ſervendoſi della Confeſſione, e Confeſſionario a fini diſoneſti, ſollecitando in eſſi i penitenti *ad turpia*, ed avendo con eſſi diſcorſi di coſe illecite, e non convenienti al fine, per cui é ſtato inſtituito.

Quì ſi avverta, incorrerſi ipſo facto *la ſcomunica riſervata al Papa da chi, o per propria malizia, o per altrui inſtigazione, denuncia come ſollecitante il Sacerdote innocente.*

Inchoato tractu, dirigitur Proceſſio ad Fontem, factis debitis reverentiis Altaris hoc ordine. Primo Clericus cum cereo; ſecundo Clericus cum Cruce; tertio celebrans medius inter duos alios Clericos, recitans tecto capite tractum. Cum ad Fontem pervenerit, peragit omnia, extollendo, & deprimendo vocem, etiamſi non cantet, ut in Miſſali, & ipſemet aſperget populum de aqua, quam benedixit ſuo tempore, & baptizat in paramentis albis, ſi aliqui ſunt, quos catechizaverit ante Officium, & in Eccleſiam introduxerit eodem modo, quo ſupra diximus.

De Litaniis, & Miſſa cum Veſperis.

Completa Fontis Benedictione, incipit Litanias, & revertitur ad Altare, & depoſito pluviali procumbit ad Altare, ut ſupra, ſi aliquis cantet, vel legat Litanias; ſi vero ipſemet recitat, tunc non proſtratus, ſed genuflexus manet, & eo caſu, non dicit in fine *Kyrie eleiſon*, ſed diſcedit ad veſtiendum ſe pro Miſſa celebranda in paramentis albis, & interim removetur pallium Altaris violaceum, ut appareat album, quod ſub ipſo poſitum fuit, & accenduntur candelæ. Ponitur etiam ab aliquo acolytho Calix ſuper Altare, & præparatur Miſſale ſuper cuſſino albo; deinde celebrans indutus paramentis albis, revertitur ad Altare (Clerico præcedente) ante cujus gradus facit Confeſſionem de more cum Pſalmo *Judica me Deus &c.* Si adſint aliqui Clerici cantores, ſive Laici, qui ſciant cantare, poterunt cantare *Kyrie eleiſon* (licet reliquum Officium ſine cantu

cantu celebratum fuerit ; ſin autem non adſit Chorus, ipſe celebrans juxta morem, facta Confeſſione aſcendit ad Altare, & in ejus medio poſt Orationem *Aufer a nobis*, dicit immediate *Kyrie eleiſon*, ut alias, cum non legatur introitus. Si hæc Miſſa, ut dixi, celebratur cum cantu Chori, fieri poterit in ea thurificatio Altaris, etiamſi celebretur ea ſine Miniſtris ſacris, non obſtante ſequenti Decreto: In Miſſa Conventuali dierum ſolemnium, quæ abſque cantu, & Miniſtris celebratur, non eſt facienda thurificatio, ut reſpondit S. R. C. die 22. Januarii 1701. in una *Camaldulenſium ad II. Dubium*: Ex dicto enim Decreto, colligitur, quod ad faciendam hanc thurificationem ſufficiat ſi Miſſa celebretur cum cantu, etiamſi ſine Miniſtris. Finita autem tali incenſatione, tunc dicet *Kyrie* in cornu Epiſtolæ, & deinde rediens ad medium Altaris cantat, vel dicit *Gloria in excelſis*, & pulſantur campanæ, ut ſupra diximus.

Poſt Epiſtolam celebrans dicit ter *Alleluja*, elevando gradatim vocem, & Clerici poſt quamlibet vicem in eodem tono repetent illud, & celebrans proſequitur ℣., & tractum. Reliqua omittit, vel dicit prout in Miſſali. Loco Antiphonæ *Communio*, dicuntur Veſperæ ut in Miſſali, videlicet, celebrans in cornu Epiſtolæ dicit Antiphonam *Alleluja &c.*, cum Clericis proſequitur Pſalmum *Laudate &c.*, & in fine repetitur *Alleluja*; deinde ſubdet Antiphonam: *Veſpere autem Sabbati &c.*, cum cantico *Magnificat*.

Si Miſſa ſit in cantu, *ut ſupra*, incenſare poterit oblata, & Altare, quod etiam incenſabit ad prædictum canticum *Magnificat*.

Finita Miſſa, celebrans, præcedente Miniſtro deferente Miſſale, redit in Sacriſtiam de more. Minutiores Ritus, & Cæremonias hic omiſimus.

Tandem celebrans, vel alius Sacerdos, paratus cotta, & ſtola alba, ac velo humerali, reponit Sanctiſſimum Sacramentum, Clericis, vel aliis faces deferentibus, in Tabernaculo ſolito,

NUM. VI.

Sac. Congr. Conc. Decret. juſſu Vener. Innoc. XI. circa Communionem quotidianam.

Ad tit. 2. cap. 2. num. 8.

CUM ad aures Sanctiſſimi D. N. fide dignorum teſtimonio pervenerit, in quibuſdam Diœceſibus vigere uſum quotidianæ Communionis, etiam in fer. VI. Paraſceves, & ſimul affirmari, eamdem quotidianam Communionem præceptam eſſe a jure Divino, quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoleviſſe, videlicet, quod aliqui non in Eccleſia, ſed in privatis Oratoriis, & domi, imo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quam argentea theca incluſam in crumena, aut ſecreto illis deferunt Sacerdotes ſeculares, aut Regulares; aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Cum autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit Sacr. Congr. Cardinalium Conc. Tridentini interpretum, eadem Sac. Congr., prævia matura diſcuſſione ſuper prædictis, unanimi ſententia ita cenſuit. Etſi frequens, quotidianuſve Sacroſanctæ Euchariſtiæ uſus a SS. Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus; nunquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi certos ſingulis menſibus, aut hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam

manam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent*. Idque non immerito; multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, variæ ob negocia ſpiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, & Dei dona parvulis conceſſa: quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certi de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui. Et propterea quod ad negociatores ipſos attinet, frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu, laicis negociatoribus, & conjugatis, quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt. In conjugatis autem hoc amplius animadvertent; cum Beatus Apoſtolus nolit, eos invicem fraudari, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi, eos ſerio admoneant, tanto magis ob Sacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad coeleſtium epularum Communionem eſſe conveniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis ſumptione, unica præcepti formula, aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet; illudque omnino provideat, ut nemo a ſacro convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unuſquiſque digne pro devotionis, & præparationis modo, rarius, aut crebrius Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet. Item Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendæ ſunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent; ſiquæ vero puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis a ſuperioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam, opera quoque concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum Fideles ad Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accenderint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant, generatimque oſtendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſive laici negociatores ſint, ſive conjugati, ſive quicumque alii, ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, aut Divini Judicii formidine diſcant coeleſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri; &, ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere. Epiſcopi autem, in quorum Dioeceſibus viget hujuſmodi devotio erga Sanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſi, adhibito prudentiæ, & judicii temperamento, alere debebunt; & ab eorum officio poſtulari ſibi maxime perſuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeantur. Quod abunde continget, ſi ii, qui devoto hujuſmodi ſtudio, divina præſtante gratia, tenentur, ſeque ſacratiſſimo pane frequentius refici cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueverint. Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in Coeleſti Regno ſe præmium eſt daturus, precatur Sacra Congregatio, ut ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Porro Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes, Communionem quotidianam eſſe de jure Divino; doceant, in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis, ex diſpenſatione, ſeu privilegio Summi Pontificis, de manu Sacerdotis ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena,

aut ſecreto ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, præterquam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant; & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur, publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; ſi vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria ſexta Paraſceves, Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſervetur. Inſuper admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas. Non permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confeſſarii, etiam Regulares, aut quicunque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant, ſe Deo optimo maximo rationem redditu-ros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, ac rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa.

Et facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas ſua approbavit, ac præſens Decretum typis dari, ac publicari voluit. In quorum &c. Datum Romæ 12. Febr. 1679.

F. Card. Columna Præf.

S. Archiep. Brancaccius Epiſc. Viterbien. Secret.

NUM. VII.

Particula Encyclicæ S. M. Bened. XIV. incipien. *Ex omnibus*.

Ad tit. 2. *cap.* 2. *num.* 14

IN quo tamen præ oculis habenda eſt differentia, quæ intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cujus facti reatus in ipſa ſola externa actione conſiſtit, ut eſt notorietas uſurarii, aut concubinarii, & aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi diſpoſitione plurimum pendet; de quo quidem notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud gravibus ſane probationibus evinci debet; ſed alterum gravioribus, certioribuſque argumentis probari oportebit.

Ea vero, quam ſupra innuimus, certitudo minime adeſſe dicenda eſt in aliis caſibus, in quibus crimen nititur conjecturis, præſumptionibus, incertiſque vocibus, quæ originem ſuam plerumque debent hominibus aut malo animo affectis, aut qui præjudicatis opinionibus, vel partium ſtudiis ducuntur; quibus dum fides habetur, ſatis compertum eſt, tum præteritorum temporum, tum ætatis noſtræ experientia, quot modis homines errare, & falli, ac in tranſverſum agi contingat.

Quia vero nonnulli animarum Paſtores, Eccleſiæque Miniſtri, pietate, & zelo commendati, hujuſmodi conjecturis, & præſumptionibus deferentes, dum ad Sacrum Viaticum aliquibus miniſtrandum advocantur, anxii hærent, ne id ſine propriæ conſcientiæ periculo adminiſtrare non poſſint; certam ſubnectimus agendi regulam, quam ſequantur.

Hoc

Hoc itaque primum animadvertere debent, an ſcilicet ei, qui extremum Viaticum poſtulat, quum ante ad ſacram menſam accederet, Paſchali præſertim tempore, a loci illius Parocho, ubi degebat, Euchariſtica Communio adminiſtrata fuerit: ſi enim hæc illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut ſaltem non vere notorium peccatorem reputatum fuiſſe; indeque ſequetur, ſacrum Viaticum eidem in exitu vitæ publice poſtulanti denegari non poſſe; niſi forte, poſtquam olim ad Euchariſticam menſam admiſſus fuit, & ante id tempus, quo poſtrema Sacramenta requirit, aliquid commiſiſſe noſcatur, quo publici & notorii peccatoris notam, juxta præmiſſa, contraxerit.

Ubi autem ex hac ſpecie certum ipſis non ſuppetat fundamentum, cui inſiſtere valeant; aliunde vero validæ adverſus ægrotum præſumptiones, & indicia gravia, & urgentia militent, ob quæ obortum ſibi ſcrupulum rationabiliter deponere nequeant; in his rerum circumſtantiis, oportet eos, remotis arbitris, ægrotantem alloqui, eique cum omni lenitate, & manſuetudine, non tanquam diſputantes, eumque convincere volentes, oſtendere, quæ, & qualia ſint indicia, quæ ſuſpectum reddunt ipſius vitæ tenorem; rogantes eum, & obſecrantes, ut reſipiſcat, in eo ſaltem temporis articulo, a quo æterna ipſius ſalutis ſors pendet: eidemque præterea demonſtrantes, quod, quamvis ipſi parati ſint Sanctiſſimum Corporis Chriſti Viaticum ei miniſtrare, ac etiam re ipſa illud ei miniſtrent, non ideo tamen tutus ipſe erit ante Tribunal Chriſti, ſed potius novi, & horrendi criminis reum ſe conſtituet, ex quo judicium ſibi manducavit, & bibit; cæterum ſe non alia de cauſa Sacramentum Corporis Chriſti eidem miniſtraturos, niſi ut Eccleſiæ jubenti obtemperent, quæ præter eam, quam habet, curam, ut ſcandala publica antevertat, pro ſua etiam pietate, ægroti ipſius infamiam præcavere ſtudet, & idcirco eum a ſacra menſa non repellit, dum ipſum, licet peccatorem in conſpectu Domini reputet, non tamen in proprio Tribunali publicum, atque notorium peccatorem agnoſcit &c.

Num. VIII.

Indulgenze concedute a chi accompagna il SS. Viatico da pubblicarſi da' Parrochi.

Ad tit. 2. cap. 2. num. 28.

A Tutti i Fedeli dell'uno, e dell'altro ſeſſo, che accompagnano divotamente il Santiſſimo Viatico, ſon concedute da' Sommi Pontefici le ſeguenti Indulgenze. A chi l'accompagna colla torcia, ſette anni, ed altrettante quarantene. A chi l'accompagna ſenza torcia, anni cinque, ed altrettante quarantene. A chi legittimamente impedito manda la torcia per altri, o la conſegna nella Parrocchia, anni tre, ed altrettante quarantene. A chi ſimilmente impedito reciterà un *Pater Noſter*, ed un' *Ave Maria*, giorni cento d'Indulgenza; e la medeſima Indulgenza di 100. giorni è conceduta alle donne, che ſenza uſcire di caſa dicono un *Pater*, ed un' *Ave*, pregando il Signore per l'infermo, che ſi comunica. Quelli poi, che ſono aſcritti alla Compagnia del Santiſſimo Sacramento, guadagnano molto maggiori Indulgenze.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NUM. IX.

Decreta S. C. C. eximentia Canonicos Pœnitentiarios ab Officiis Capitularibus.

Ad tit. 2. cap. 3. num. 23.

DIſputato generali dubio in Congregatione habita die 3. Oct. 1671. = *An Canonicus Pœnitentiarius teneatur aſſumere adminiſtrationem, ſeu Oeconomiam bonorum, & rerum Capitularium, ut ceteri Canonici, & an etiam Officium punctatoris in Choro?* Reſolutum fuit: *Negative* lib. 27. decretor. pag. 211.

In Anagnina Reſidentiæ 12. Sept. 1676. = *An pro negotiis, ſeu controverſiis Capituli obligari poſſint Theologus, Pœnitentiarius, aut Canonicus Curatus Cathedralis?* Reſponſum fuit: *Negative, quoad Theologum eo tempore, quo tenetur legere; quoad Pœnitentiarium, & Curatum negative.*

In Converſana Officior. Capituli 19. Nov. 1729. = *I. An Canonicus Pœnitentiarius teneatur aſſumere onera, & Officia Capitularia, & præſertim Procurationem Generalem in caſu &c.* Reſponſum fuit: *ad primum Negative*. In Theſaur. Reſolut. tom. IV.

NUM. X.

Modus impertiendi Benedictionem in articulo mortis conſtitutis a S. M. Benedicto XIV. approbatus.

Ad tit. 2. cap. 4. num. 7.

HAbens facultatem a Sede Apoſtolica delegatam, ingrediendo cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat: *Pax huic domui &c.*, ac deinde ægrotum, cubiculum, & circumſtantes aſpergat aqua benedicta, dicendo Antiphonam: *Aſperges &c.*

Quod ſi Ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat. Si Confeſſionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia, ac virtute, ſi tempus ferat, breviter moneat, utque morbi incommoda, ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque ſeſe paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, & mortem ipſam patienter obeundam in ſatisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipſum verbis conſoletur, in ſpem erigens fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remiſſionem, & vitam ſit conſecuturus æternam. Poſtea dicat:

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum & terram.
Antiph. Ne reminiſcaris Domine delicta Famuli tui (*vel* Ancillæ tuæ), neque vindictam ſumas de peccatis ejus.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac Servum tuum (*vel* Ancillam tuam, *& ſic deinceps*).
℟. Deus meus ſperantem in Te.

℣. Do-

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

Clementiſſime Deus, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque ſperantem, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice propitius Famulum tuum N.. quem tibi vera Fides, & ſpes chriſtiana commendant. Viſita eum in ſalutari tuo, & per Unigeniti Tui Paſſionem, & Mortem, omnium ei delictorum ſuorum remiſſionem, & veniam clementer indulge, ut ejus anima in hora exitus ſui Te Judicem propitiatum inveniat, & in ſanguine ejuſdem Filii tui ab omni macula abluta, tranſire ad vitam mereatur perpetuam. Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum.

Tum dicto ab uno ex Clericis adſtantibus Confiteor &c. *Sacerdos dicat* Miſereatur &c. *deinde*:

Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi, atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat confeſſionem tuam, & reſtituat tibi ſtolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti; Et Ego facultate mihi ab Apoſtolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam & remiſſionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris &c.

Per ſacroſancta humanæ reparationis myſteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes præſentis, & futuræ vitæ pœnas, Paradiſi portas aperiat, & ad gaudia ſempiterna perducat. Amen.

Benedicat Te omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus ſit adeo morti proximus, ut neque Confeſſionis generalis faciendæ, neque præmiſſarum precum recitandarum tempus ſuppetat, ſtatim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.

In vim facultatis Nobis conceſſæ ex Apoſtolico Reſcripto, ſubdelegamus ad hanc Benedictionem impartiendam

In Civitate Viterbii Archidiaconum, Archipresbyterum, & Canonicum Pœnitentiarium Cathedralis; Archipresbyterum S. Xyſti, Priorem S. Angeli, Priorem S. Lucæ, Priorem S. Mariæ Novæ, & Seniorem pro tempore inter Parochos, & utrumque Parochum Ruralem.

In Civitate Tuſcanellæ Vicarium Noſtrum Generalem, Primicerium, Archipresbyterum, & Canonicum Pœnitentiarium Cathedralis, & Priorem Collegiatæ.

In Oppido Vetrallæ Vicarium Foraneum, Archipresbyterum, Parochum S. Jo. Euangeliſtæ, & Parochum Ruralem.

In reliquis Diœceſeos locis Vicarios Foraneos, & Archipresbyteros, ſeu Parochos cujuſcumque Oppidi.

Num. XI.

Benedictio contra Mures, Locuſtas, Bruchos, & Vermes noxios.

Ad tit. 2. cap. 6. num. 4.

Antiph. Exurge, Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum.
Pſalm. Deus auribus noſtris audivimus; patres noſtri annuntiaverunt nobis.

℟. Gloria

℟. Gloria Patri, & Filio &c. *Et repetitur Antiphona.*
℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, & hanc murium (*vel* locuſtarum, *vel* vermium) perſecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea miſericorditer liberemur; ut tua potentia procul expulſi (*vel* expulſæ) nulli noceant, & campos, agroſque noſtros in tranquillitate, ac quiete dimittant, quatenus ex eis ſurgentia, & orta tuæ Majeſtati deſerviant, & noſtræ neceſſitati ſubveniant. Per Chriſtum &c.

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus omnium bonorum remunerator, & peccatorum maximus miſerator, in cujus nomine omnia genuflectuntur cœleſtia, terreſtria, & infernalia, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede, ut quod de tua miſericordia confiſi agimus, per tuam gratiam, efficacem conſequamur effectum; quatenus hos peſtiferos mures (*vel* locuſtas, *vel* vermes) per nos ſervos tuos maledicendo maledicas, ſegregando ſegreges, exterminando extermines, ut per tuam clementiam ab hac peſte liberati, gratiarum actiones Majeſtati tuæ libere referamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exorcizo vos peſtiferos mures (*vel* locuſtas, *vel* vermes) per Deum Patrem ✠ Omnipotentem, & Jeſum Chriſtum ✠ Filium ejus, & Spiritum Sanctum ✠ ab utroque procedentem, ut confeſtim recedatis a campis, & agris noſtris, nec amplius in eis habitetis, ſed ad ea loca tranſeatis, in quibus nemini nocere poſſitis; pro parte Omnipotentis Dei, & totius curiæ cœleſtis, & Eccleſiæ ſanctæ Dei, vos maledicens, ut, quocumque ieritis, ſitis maledicti (*vel* maledictæ) deficientes de die in diem in vos ipſos (*vel* ipſas) & decreſcentes, quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inveniantur, niſi neceſſariæ ad ſalutem, & uſum humanum. Quod præſtare digneris, qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos, & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

Poſtremo Aqua benedicta aſpergantur loca infecta.

Benedictio equorum, & animalium.

℣. ADjutorium noſtrum in nomine Domini. ℟. Qui fecit cœlum, & terram.
℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

DEus refugium noſtrum, & virtus, adeſto piis Eccleſiæ tuæ precibus auctor ipſe pietatis, & præſta, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per Chriſtum Dominum &c.

ORE-

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſum Beatum Antonium variis tentationibus probatum inter mundi hujus turbines illæſum tranſire feciſti, concede famulis tuis, ut & præclaro ipſius proficiamus exemplo, & a præſentis vitæ periculis, ejus meritis, & interceſſione, liberemur. Per Chriſtum Dominum &c.

OREMUS.

BEnedictionem tuam, Domine, hæc animalia accipiant, qua corpore ſalventur, & ab omni malo per interceſſionem Beati Antonii liberentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen. *Deinde aſpergantur Aqua benedicta.*

NUM. XII.

Ad tit. 3. *cap.* 4. *num.* 6.

HÆredes Beneficiatorum tenentur reſarcire bona, & domos Beneficiorum, necnon ſacris ſupellectilibus Eccleſias providere. *Encycl. Clem. XI. ſub die* 23. *Maii* 1708. *impreſſ. in Appendic. Synod. Fulginat. Baptiſtelli fol.* 167., *Urſaya in Miſcellan. Sacr.*, *&* *profan. primo*, *littera B. num.* 29.

Beneficiatus deceſſor reddere tenetur ſucceſſori ſumptus reparationum a ſe omiſſarum in bonis Eccleſiæ, ex firmatis per *Rot. in Roman.*, *ſeu Rhegien. Reparationum* 4. *Mar.* 1746. §. 3. *cor. Eminentiſſimo D. Card. Caprara*; & refertur *in fol. Theſaur. Reſolut. S. Congr. Conc. tom.* xxx. *in Novarien.* 12. *Dec.* 1761. §. Poſt auditum.

NUM. XIII.

S. C. C. Reſolutiones circa adminiſtrationem pii legati quondam Dominici Guglielmini in Oppido Balneariæ.

Ad tit. 3. *cap.* 4. *num.* 9.

VIterbien. Dotium 11. Apr. 1761. In Theſaur. Reſolut. tom. xxx.

I. An puellæ deſcendentes a Fratribus, & Sororibus Sentiæ uxoris Teſtatoris ſint præferendæ in ſubſidio dotali ſc. 50., ſaltem uſque ad quartum gradum? ℟. *Ad I. Affirmative*, *&* *amplius*.

II. An deſcendentes ultra quartum gradum a Sororibus Teſtatoris ſint dotandæ ſaltem in ſc. 50.? & uſque ad quem gradum ulteriorem ſit facienda hæc dotatio? ℟. *Ad II. Negative*, *&* *amplius*.

III. An in primo gradu ſint computandæ tam ipſæ Sorores Fundatoris, quam Sorores, & Fratres Sentiæ, ſeu potius illarum filiæ? ℟. *Ad III. Negative ad primam partem*, *affirmative ad ſecundam*, *&* *amplius*.

IV. An eorumdem Graduum probatio facienda ſit coram Epiſcopo, ſive illius Vicario Generali, præſentibus Curatis, vel coram ſolis Curatis? ℟. *Ad IV. Negative ad primam partem*, *affirmative ad ſecundam*.

V. An ſit determinandus numerus ſubſidiorum dotalium puellis extraneis diſtribuendorum

rum poſt deficientiam dd. graduum Conſanguineorum teſtatoris, ejuſque uxoris; ſeu potius eadem ſubſidia ſint diſtribuenda juxta quantitatem fructuum cujuslibet anni ad rationem ſc. 50. pro quolibet ſubſidio ad formam Teſtamenti?

VI. An electio decem puellarum pauperiorum Presbyteris Curatis per Teſtatorem injuncta, & illarum extractio pro aſſecutione ſubſidiorum, ſit facienda cum Epiſcopi licentia, & approbatione, ejuſque reſpective, aut Vicarii præſentia, ſeu potius independenter permittenda ſit eiſdem Curatis? ℟. *Ad V., & VI. Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam, & amplius.*

VII. An ſit permittenda tam Presbyteris Curatis, quam duobus coadjutoribus nunc poſitis in locum alterius eorum, merces æqualis annui ſicuti unius pro quolibet a Teſtatore præfixi in Teſtamento, ſeu potius illis ſit augenda? ℟. *Ad VII. Negative, & ſervetur ſolitum.*

VIII. An eiſdem Curatis ſit reſpective injungendum onus annuatim revidendi computa exactoris? ℟. *Ad VIII. ad formam Teſtamenti, ſalvo jure Eminentiſſimi Epiſcopi revidendi computa, & removendi exactorem prout de jure, & amplius.*

IX. An rationes exactoris a Curatis diſpunctæ deferendæ ſint ad Epiſcopum, eidemque danda facultas illas iterum examinandi, & exactorem removendi in caſu detectæ illius negligentiæ, aut fraudis, alteriuſque electionem demandandi ſub idonea Fidejuſſione? ℟. *Ad IX. Proviſum in antecedenti.*

X. An ſit ſtatuenda merces Exactoris, ſive Oeconomi prædictæ hæreditatis Dominici Guglielmini ad rationem, vel quatuor, vel quinque pro quolibet centenario redituum exactionis; ſeu potius in qua ſumma? ℟. *Ad X. Affirmative arbitrio Eminentiſſimi Epiſcopi.*

XI. An eadem Hæreditas ſit liberanda ab onere annuæ præſtationis ſc. 70. monetæ erga Hoſpitale Projectorum Viterbii, & a cenſu Viglioni in ſorte ſc. 1000. monetæ debito eidem Hoſpitali, mediante aſſignatione Capitalium, vel alio modo magis proficuo, in caſu &c. ℟. *Ad XI. Ad Dominum Secretarium ad mentem.*

Num. XIV.

Formula Juramenti a quolibet proviſo de aliquo Canonicatu in Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis præſtandi coram Capitulo, ſtatim poſt adeptam poſſeſſionem.

Ad tit. 4. cap. 2. num. 4.

EGO N. proviſus de Dignitate, *vel* Canonicatu in hac Eccleſia Cathedrali (*ſeu* Collegiata) Sancti N. juro, me bona, res, & poſſeſſiones ad eumdem (*ſeu* eamdem) pertinentes, & pertinentia non venditurum, donaturum, pignoraturum, aut alio quovis modo contra juris diſpoſitionem alienaturum; imo alienata pro poſſe recuperaturum, ſemperque defenſurum. Juro inſuper ſtatuta omnia hujus Eccleſiæ ab Epiſcopo noſtro Eminentiſſimo probata, & rationabiles, honeſtaſque conſuetudines pro viribus ſervaturum, muniuſque Punctatoris, quando ad me ſpectabit, ſincere, & fideliter impleturum. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Num. xv.

NUM. XV.

Nonnulla Sac. Conc. Congr. Decreta ad varias harum Conſtitutionum materias pertinentia.

IN *Verulan.* Viſitationis Sacrorum liminum 21. *Jan.* 1719. *Dub. III.* An tempore Quadrageſimæ Canonici Cathedralis Eccleſiæ teneantur aſſiſtere concioni, ita ut permiſſum eſſe ipſis non debeat, decantato Veſpere, ab Eccleſia diſcedere, & concioni non aſſiſtere in caſu &c.? S. C. Reſpondit. Ad III. *detur Decretum in Nicien.* 1628., quod ſic habet „ Canonicos legitime non impeditos tempore Quadrageſimæ quotidianis concio„ nibus intereſſe debere; & ideo Epiſcopum decretum edere poſſe, ut Canonicis nun„ quam liceat prædicto tempore ab Eccleſia abeſſe, niſi de ipſius, vel ejus Vicarii li„ centia „ *In Theſaur. Reſolut. tom.* 1.

Epiſcopus poteſt decretum edere, ne Canonici, & alii de Capitulo diſcedant ab Eccleſia tempore concionis, & quod illi interſint quotidie ſub pœna amiſſionis diſtributionis illius diei, in qua defecerint. *S. C. Ep. plur.*, *& S. C. C. in Melevitan.* 9. *Apr.* 1707. *& Congreg. partic. in Caſalen.* 11. *Maji* 1708. *ad* 19. *&c. V. Ferraris in Biblioth. v.* Epiſcopus *art.* 6. *num.* 8.

In ead. Verulan. dub. II. An in Collegiata Eccleſia cantanda ſit quolibet die Miſſa Conventualis, & diebus feſtis cum Diacono, & Subdiacono, vel potius liceat Miſſam Conventualem bis in hebdomada decantare, & in diebus feſtivis ſine Diacono, & Subdiacono in caſu &c. ℟. Ad II. *ad primam partem affirmative; ad ſecundam partem affirmative in ſolemnioribus ab Epiſcopo deputandis. Idipſum deciſum fuit in Comen.* 11. *Maji* 1720. *ad I.*, *eod. tom.* 1.

In Veliterna 14. *Mart.* 1722. I. An Canonici Collegiatæ Eccleſiæ Oppidi *di Core* teneantur quotidie Miſſam Conventualem celebrare; & quatenus affirmative II. An teneantur quotidie dictam Miſſam Conventualem applicare pro Benefactoribus? ℟. *Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative*; in Theſaur. Reſol. tom. 2.

In Salernitana Edictorum 27. *Sept.* 1732., *in Theſaur. tom.* v. IX. An pœna Tarenorum trium adverſus Dignitates, & Canonicos celebrantes Miſſas planas tempore Miſſæ ſolemnis ſuſtineatur; ſeu potius liceat eiſdem Dignitatibus, & Canonicis Miſſas prædictas eo tempore celebrare? X. An pœna trium Carolenorum pro quolibet die adverſus Dignitates, & Canonicos ſine legitimo impedimento abſentes a Choro diebus Quadrageſimæ, & feſtis ſuſtineatur? XIV. An ſingulis diebus celebranda ſit Miſſa Conventualis cum omnibus ſolemnitatibus? *Ad IX. dentur decreta in Oriolen.*, *& Ortonen. Ad X. Affirmative, ſubrogata tamen pœna in duplici punctatura. Ad XIV. Affirmative.*

In relat. Oriolen. 27. *Mart.* 1632. *diſceptato hoc XII. dubio.* „ An tempore, quo Di„ vina Officia celebrantur in choro, vel Anniverſarium, vel cantantur Horæ, ſi Ca„ nonici, ſeu alii Præbendati Miſſam celebrent, habeantur pro præſentibus ad effectum „ lucrandi emolumenta, & diſtributiones ratione Horæ, & Anniverſarii? „ *Reſcriptum fuit* „ Canonicos, ſeu alios Præbendatos, prædicto tempore Miſſas planas celebrantes, „ non lucrari diſtributiones quotidianas, nec emolumenta, niſi illa Hora ad celebran„ dum Miſſas ab eo, ad quem pertinet, compulſi, aut juſſi fuerint „ *Rurſus in Ortonen.* 27. *Febr.* 1706. *diſcuſſum fuit.* „ An ſuſtineretur Edictum, quo Ordinarius prohibuerat, „ ne tempore Divinorum Officiorum, aut Miſſæ Conventualis, Dignitates, & Cano„ nici a choro diſcederent Miſſas celebraturi, propoſita pœna duplicis punctaturæ, atque „ etiam ſuſpenſionis a Divinis, ubi in contumacia perſtitiſſent per menſem? „ *Sacr.*

Congr. reſcripſit „ Edictum non ſuſtineri, ſed eſſe reformandum juxta modum; videli-
„ cet, quod tempore Divinorum Officiorum nullus diſcedat a choro ad Miſſam cele-
„ brandam, niſi vocatus fuerit a Sacriſta, & licentiam obtinuerit a Præfecto chori, ſub
„ pœna amiſſionis diſtributionis pro illa Hora; & quatenus aliquis ſit contumax multe-
„ tur pro prima vice pœna dupli; creſcente vero pertinacia, aliis pœnis pecuniariis ar-
„ bitrio Ordinarii, non tamen ſuſpenſionis „: *Referuntur in fol. cit. Salernit., Theſaur. tom.* v.

In ead. Salernitan. Edictor. *dub.* v. An dictæ Dignitates, & Canonici debeant quibuslibet diebus exire e Sacriſtia bini, & bini, quando accedunt ad chorum? ℟. *Ad V. Affirmative in omnibus diebus feſtis tantum: in Theſaur. cit. tom.* v.

In ead. Salernitan. Edictor. *dub.* XVI. An electio Punctatoris facta per Archiepiſcopum, præter alium a Capitulo electum, ſuſtineatur? ℟. *Ad XVI. Affirmative cit. tom.*v.

In Parmen. Conſortii 11. *Maji* 1669. An ſuſtineatur decretum Epiſcopi præcipientis, ut Presbyteri tam admiſſi, quam admittendi ad conſortium Cathedralis Eccleſiæ infra ſex menſes cantum Gregorianum tenerentur addiſcere ſub pœna ſc. 25. Sacriſtiæ ejuſdem Eccleſiæ applicandorum; iidemque ſi infra alios ſex menſes inſtructi ſufficienter in dicto cantu non redderentur, privari deberent etiam diſtributionibus quotidianis? ℟. *Affirmative;* At repropoſita cauſa 24. *Jan.* 1671. ſub hiſce dubiis? I. An, & quomodo pœna ſit moderanda? II. An dictus terminus ſit prorogandus? III. An applicatio pœnæ ſit facienda locis piis? IV. An omnes æqualiter teneantur, vel tantum Guardachori, Manſionarii, Hebdomadarii, & Diaconi? ℟. *Ad I. Delendam eſſe pœnam in primo ſemeſtri; ad ſecundum ſemeſtre apponendam pœnam amiſſionis diſtributionum futurarum. Ad II. Proviſum, ut ſupra. Ad III. Affirmative. Ad IV. teneri omnes &c. Refertur cum aliis plurib. in fol. Muran. Manſionariæ* 19. *Nov.* 1735. *in cit. Theſaur. tom.* VII.

In Auximan. 23. *Febr.* 1726. „ An Rectores Beneficiorum, Capellani, aliique ce-
„ lebrantes in Eccleſia Collegiata Cinguli teneantur ſolvere utenſilia Capitulo dictæ Ec-
„ cleſiæ, & pro ſumma in caſu &c. ℟. Rectores Beneficiorum, Capellanos perpetuos,
„ Canonicos obtinentes ultra Canonicatum Capellanias perpetuas, & ipſum Capitulum
„ pro rata onerum perpetuorum teneri ad ſolutionem utenſilium Sacriſtiæ ad rationem
„ unius oboli pro qualibet Miſſa, exceptis tantum a ſolutione utenſilium Miſſis adven-
„ titiis „. *Refertur in fol. Rom.* Utenſilium *propoſit.* 28. *Jan.* 1736.; *in qua propoſito dubio:* An pro Capellaniis erectis anno 1709. in Eccleſia S. Agnetis debeantur ab earum poſſeſſoribus eidem Eccleſiæ utenſilia pro celebratione Miſſarum in caſu &c. *Reſcriptum fuit die* 24. *Mart.* 1736. Affirmative, & amplius. *In Theſaur. Reſol. tom.* VII.

In Juvenacen. 22. *Sept.* 1736. I. An Edictum Epiſcopi demandantis ſub pœna cenſurarum diſtributionem Candelarum propriis ſumptibus faciendam a Capitulo (*Collegiatæ, & Parochialis Eccleſiæ Oppidi*) Terlitii die Purificationis Beatiſſimæ Virginis Clero, & Populo ſuſtineatur? ℟. *Ad I. Affirmative; cit. tom.* VII.; iterumque propoſita die 9. Febr. 1737. ℟. *In deciſis in omnibus; tom.* IX. *cit. Theſaur.*

In Celſonen. propoſit. 20. *Jan.* 1759. An liceat Regularibus Civitatis Cervariæ benedicere puerperas ad eorum Eccleſias accedentes poſt partum, ſeu potius eadem Benedictio competat Parocho in caſu &c. *Reſolutum fuit die* 31. *Mart.* 1759. Negative ad primam partem; Affirmative ad ſecundam, & amplius. *In Theſaur. Reſolut. tom.* XXVIII.

In Viterbien. Juriſdictionis, & Electionis *propoſit.* 10. *Maji* 1760. An electio Deputati Monialium, de quibus agitur, ſpectet ad Epiſcopum, ſeu potius ad Prioriſſam, & Moniales in caſu &c. *Reſolutum fuit die* 7. *Jun.* 1760. Affirmative ad primam partem, & Negative ad ſecundam, & ad mentem. *In Theſaur. tom.* XXIX.

In Viterbien. An Epiſcopus ob clauſuram cuſtodiendam, etiam in Monaſteriis Regularibus ſubjectis, poſſit excommunicationis latæ ſententiæ pœnam ſibi reſervatæ imponere

circa

circa aperitionem oſtii Clauſuræ extra caſus indigentiæ, nec non circa acceſſus, & colloquia cum Monialibus, dictaque excommunicatio liget nedum Regulares accedentes, verum etiam Moniales, facta de illis mentione, adeo ut Superior Regularis ab hujuſmodi excommunicatione abſolvere nequeat? *S. C. C. 26. Jun. 1627. reſpondit*, Epiſcopum poſſe. *Refertur in Append. 1. Syn. Eminentiſſimi Brancaccii pag.* 58.

Num. XVI.

Juramentum emittendum per Officiales a Capitulo electos.

EGO N. hujus Cathedralis (*vel* Collegiatæ) Eccleſiæ Canonicus juro, me Officium Camerarii, *vel* Sacriſtæ, *vel* Syndici, *vel* Archiviſtæ, *vel* Secretarii ab hoc Capitulo injunctum, ſincere, & fideliter, ſicut humana conditio patitur, impleturum, juxta ejuſdem Capituli approbata ſtatuta. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Num. XVII.

Lettera della Sacr. Congr. ſopra i Veſcovi, e Regolari intorno alle Decime. *Ex Append. Syn. VIII. Emi Card. Brancac.*

Ad tit. 4. *cap.* 3. *num.* 19.

Eminentiss., e Reverendiss. Sig. mio osservandiss.

RAppreſentando Michel Pelucco Paroco di S. Maria dell'Edera in coteſta Dioceſi di venirgli impedita con diverſe inibizioni dell' A. C. l'eſecuzione del Decreto fatto ſer. ſer. da coteſto Tribunale Epiſcopale per l'eſazione delle Decime ſopra i beni, che poſſiedono dentro la di lui Parrocchia li Frati della Quercia, e ſupplicando di provviſione opportuna; queſti Eminentiſſimi miei Sig. m' han comandato di ſcrivere all' E. V., che ſi compiaccia di far eſeguire l'accennato decreto, non oſtanti le ſopradette inibizioni. Glie lo ſignifico, e le bacio umilmente le mani. Roma 15. Gennajo 1666.

Di V. E.

Umiliſs., ed Affezionatiſs. Servitore
M. Card. Ginnetti.

E. Veſc. di Camerino Secret

Num. XVIII.

Modo di dar l' abito alle Monache.

Ad tit. 4. *cap.* 4. *num.* 30.

I. CElebrataſi, o cantataſi dal Sacerdote la Meſſa, in cui avrà data la S. Communione alla Monacanda, ſe pure per commodo non ſi foſſe communicata prima, depone il detto Sacerdote la Pianeta, ed il Manipolo, e veſte il Piviale. Se vi è il diſcorſo, che comunemente ſuol farſi da tutti in Roma, il medeſimo Celebrante ſiede lateralmente in una ſedia camerale; ed eſſendo il Veſcovo, ſiede ſul Trono, o nel Faldiſtorio.

II. Terminato il diſcorſo, ſi benedicono gli abiti da Religioſa poſti ſopra l'Altare, o ſu la credenza dalla parte dell'Epiſtola, recitando le preci, ſecondo i diverſi Rituali di ciaſcun ordine monaſtico.

III. Indi ſiede di nuovo in detta ſedia; ſi appreſſa la monacanda, e genufleſſa ſull'infimo grado dell'Altare, dice il *Confiteor*; ed il Sacerdote pronunziata l'aſſoluzione generale, l'interroga:

Che coſa domandate voi? ℟. *il Sant' Abito di Religioſa del P. S. N.*

Interroga di nuovo: *Siete contenta di oſſervare le Regole di queſta S. Religione?* ℟. *Così riſolvo colla Divina grazia.*

Soggiunge il Celebrante: *Dominus cuſtodiat introitum tuum &c.* Indi pone in teſta alla Monacanda la Corona, e le dà il Croceſiſſo, che nel ricevere riverentemente bacia, e lo paſſa poi alla mano ſiniſtra. Le ſi dà poi la candela acceſa, che ſi fa poi portare da qualche fanciullina veſtita da Angelo, o da un Clerico avanti la Monacanda.

IV. Genuflette poi il Celebrante, ed intuona l'Inno *Veni Creator Spiritus*, che ſi ſegue a cantar dalle Monache dentro la clauſura portandoſi proceſſionalmente alla porta del Moniſtero per ricevere la nuova Religioſa.

V. Terminata la prima ſtrofa dell'Inno, ſorge il Celebrante, e porgendo l'eſtremità della Stola dalla parte ſiniſtra alla Monacanda (che colla deſtra la riceve, baciandola, e tiene poi ſempre fino alla porta della clauſura) s'incammina unitamente, aſſociato da' Miniſtri, e preceduto da' Ceroferarii, fino a detta porta; ove la nuova Religioſa baciando nuovamente, e laſciando la ſtola, prende l'acceſa candela colla deſtra, e ſi volge a far inchino al celebrante, e ſubito proceſſionalmente preceduta dalle Monache, vien condotta al luogo, ove deve veſtire il ſanto Abito.

VI. Ritorna in Chieſa il Sacerdote co' Miniſtri, e Ceroferarj, e ſi porta alla grata, o alla fineſtrella della Communione, ove ſedendo in ſedia camerale, taglia i capelli, e porge l'abito Religioſo alla Novizia, recitando le preci del ſopradetto Cerimoniale proprio di ciaſcun ordine.

VII. Veſtita la Novizia s'intuona dal Celebrante il *Te Deum*, che ſi continua con canto dalle Monache, mentre intanto la Novizia riceve l' ampleſſo da ognuna delle Religioſe.

NUM. XIX.

Editto per le Confraternite, ed altri Luoghi Pii.

Ad tit. 4. cap. 6. num. 2.

GIACOMO del Titolo di S. Lorenzo in Lucina della S. R. C. Primo Prete Cardinal ODDI, per la Divina Miſericordia Veſcovo di Viterbo, e Toſcanella.

PER dare un opportuno regolamento alle Confraternite delle noſtre Città, e Dioceſi, ch'eſſer devono a i Fedeli aggregati ſcuole di pietà, e ritiri di divozione, ed acciocche i Confrati ivi aggregati ſappiano ſommariamente le loro incombenze, e le leggi, che univerſalmente vogliamo oſſervate per maggior gloria di Dio, e pel buon regolamento di eſſi pii Luoghi, ſiamo venuti in determinazione di raccogliere con brevità in queſto Editto, quanto di piu neceſſario, o dalle Apoſtoliche Conſtituzioni, o da' noſtri Predeceſſori, è ſtato ſu tal materia ſalutevolmente ſtabilito.

1. Non

1. Non ſia eretta veruna nuova Confraternita con ſacco anche nelle Chieſe eſenti ſenza la Canonica auttorità Ordinaria; e quelle già erette ſiano tenute ad eſibire dentro il corrente anno le loro regole, e ſtatuti, affinche ſian da Noi per mezzo di quei, che a ciò abbiam deputati, riveduti, ed approvati. Se la Confraternita non aveſſe le ſue regole, o ſe avendole non foſſero uniformi alle recenti Conſtituzioni, ed alle approvate conſuetudini, ſia tenuta dentro lo ſteſſo termine riformarle nelle congregazioni ſegrete, o provvederſene addottando a proprio uſo gli ſtatuti approvati di altra ſimile Confraternita, e come ſopra ſia tenuta ad eſibirle; facendo ſapere, che la Confraternita ſenza i proprj ſtatuti, e regole, non può eſſer partecipe di alcuna Indulgenza, o grazia ſpirituale, ſecondo la Bolla *Quæcumque* di Clem. VIII., e l'altra *Quæ ſalubriter* di Paolo V.

2. Queſte regole, Statuti, e Capitoli dopo che ſaranno, come ſopra, approvati, debbano leggerſi interamente una volta l'anno in piena adunanza della Confraternita; che però ſia peſo del Cappellano (il quale debba ſempre riportare la noſtra approvazione) diſtribuire in maniera la lettura di uno, o più Capitoli di eſſe Regole ne' giorni più ſolenni, e nelle adunanze più frequenti, che in fin dell'anno ſiano tutti letti. Se il Cappellano in ciò mancherà, verrà da noi rimoſſo.

3. Neſſuno venga aſcritto Fratello nelle Confraternite, che non ſia di buona fama, e condizione, e che non ſia ben inſtruito ne' Miſterj di Noſtra S. Fede; che però rigettati ſiano gl' infami, i criminoſi, gli ſpergiuri, i beſtemmiatori, ed i dediti all' intemperanza del vino. E ſe mai accadeſſe, che alcuno di quegli, che già ſono aſcritti, degenerando da' buoni coſtumi ſi abbandonaſſe a i vizj, o ſe non obbediſſe a i Rettori, o ſe eccitaſſe turbolenze, e litigj nel luogo pio, o ſe non frequentaſſe gli Oratorj, e le Proceſſioni col ſacco, o ſe in eſſe Proceſſioni non andaſſe colla dovuta modeſtia, e raccoglimento, e molto più ſe col ſacco indoſſo andaſſe alle Taverne, ſe non in caſo di cercar la limoſina, ſenza però bevere in eſſe Taverne, o finalmente ſe non eſercitaſſe l'opere pie ingiunte dall' Inſtituto, in ognuno de' ſudetti caſi ſia peſo de' Rettori, o Officiali adunare la Congregazione ſegreta, e colla pluralità de' voti caſſarlo dal numero de' Confrati; riſervando ſempre a Noi la facoltà di procedere in ciò con informazioni ſegrete, e di ſupplire la mancanza di eſſi Officiali, qualora attenti non foſſero ad eſpellere detti facinoroſi, o inoſſervanti Fratelli.

4. Nell' ammettere i nuovi Fratelli comandiamo, che in tutte le Confraternite, o altri pii luoghi ſi oſſervino le ſeguenti condizioni. 1. Il Rettore, o Officiale Preſidente richieſto di dover ammettere alcuno, debba proporre il nome del medeſimo in piena adunanza della Confraternita, e ſubito il nome ſteſſo del concorrente ſi ſcriva in un foglio, che per quindici giorni ſtia affiſſo ſu la porta dell'Oratorio, affinche ognuno poſſa prenderne informazione. 2. Paſſati detti quindici giorni, nella Congregazione ſegreta ſia nuovamente propoſto, ed a voti ſegreti, non mai a viva voce, venga accettato, o eſcluſo colla pluralità delle palle. 3. Qualora dalla Congregazione ſegreta reſti accettato, allora nuovamente dopo altri otto giorni ſia propoſto in piena adunanza della Confraternita, e ſimilmente colla pluralità de' voti ſegreti, non mai a viva voce, ſia incluſo, o rigettato. 4. Ciò fatto ſi preſcrivano al concorrente otto, o quindici giorni al più, nel termine de' quali debba provvederſi del ſacco proprio dell'Inſtituto, ſenza cui non poſſa eſſere aſcritto nella Tavola de' Fratelli; ſotto pena agli Officiali, che permettendo l'entrata d'un nuovo Fratello ſenza il ſuddetto ſacco, ſian tenuti del proprio a provvedergli detto ſacco, ed a pagare al pio luogo la pena d'uno ſcudo. 5. Finalmente ſi faccia l'ammiſſione, o entrata del nuovo Fratello colla benedizione del ſacco, e colle ſolite preci, dovendo per la prima volta eſſer veſtito per le mani del Rettore,

tore, o Officiale medeſimo, ſe ſia Sacerdote; e non eſſendo Sacerdote, ſi faccia la funzione dal Cappellano, e ſucceſſivamente venga deſcritto nella tavola, e libro de' Fratelli. Se in avvenire verranno ammeſſi nuovi Fratelli ſenza la preſcritta forma, ſi abbia per nulla l'ammiſſione, e l'ammeſſo non goda le Indulgenze, o grazie ſpirituali conceſſe alla Confraternita, non oſtante qualſivoglia conſuetudine in contrario.

5. Avendo parlato della Congregazione ſegreta, dichiariamo, ed eſpreſſamente comandiamo, che queſta ſia compoſta de i dodici Fratelli più anziani della Confraternita, alla morte, o perpetua impotenza di ognun de' quali debba ſubito ſurrogarſi il ſeguente più anziano nell' aſcrizione, o ingreſſo nella Confraternita. A queſti dodici ſi aggiungano il Rettore, o Preſidente, i due Offiziali aſſiſtenti, ed il Camerlingo, e Sagreſtan maggiore attualmente in Offizio, ed il Rettore, ed Aſſiſtenti dell' anno antecedente. Fuori di queſti, che in tutto formano il numero di venti, neſſun altro poſſa intervenire con voto deciſivo in eſſa Congregazione ſegreta. Eſortiamo però, che negl'intereſſi facciano intervenirvi il Proccuratore della Confraternita, e talora anche altra perſona eſtranea di buon conſiglio; ma queſti poi non abbiano voto deciſivo, ma ſol conſultivo, come nè pur poſſa dare il ſuo voto il Segretario, che dovrà ſempre intervenirvi per regiſtrar l'atto, e la riſoluzione.

6. Ad eſſe Congregazioni vogliamo, che ſempre intervenga il noſtro Vicario Foraneo, che a tal effetto vien conſtituito noſtro ſpecial Delegato con facoltà di preſedere, ed invigilare, che in eſſe Congregazioni tutto ſegua ſenza tumulto, o diſcordia, che eſattamente ſi oſſervino gli Statuti, e Regole, e che nulla ſi faccia in pregiudizio del pio luogo. Sotto pena perciò di nullità dell' atto comandiamo, ch' eſſo Vicario Foraneo ſia intimato in ogni Congregazione, benche non gli permettiamo, che abbia voto deciſivo, o che ponga mano nella diſpoſizione, o amminiſtrazione della Confraternita, da cui, quand' anche foſſe Fratello, vogliamo, che ſi aſtenga durante il detto ſuo offizio di Noſtro Vicario.

7. Tutti i ſopradetti vocali debbano preventivamente eſſere intimati ſotto pena di nullitá dell'atto. Se peró non tutti interveniſſero nel numero preſcritto, pur ſia valida la Congregazione, quando di eſſi vocali ſi raduneranno dodici. Che ſe in queſto numero non ſi radunaſſero, ſi differiſca alla ſeconda Congregazione di nuovo legittimamente intimata, ed in eſſa ſi facciano le riſoluzioni con quel numero di Officiali, e Fratelli, che vi ſaran preſenti. Vogliamo però, ſotto la medeſima pena di nullità, che qualor ſi tratti di affare, in cui abbia intereſſe, o ingerenza alcun de' Fratelli, reſtino eſcluſi dal voto, e dalla Congregazione per quell' atto, tanto il detto, che vi abbia intereſſe, quanto i ſuoi congiunti ſino al ſecondo grado.

8. A queſta Congregazione ſegreta ſpetti il primo ſcrutinio de i nuovi Fratelli da ammetterſi, come ſopra ſi è detto; lo ſcrutinio de' ſcandaloſi, ed inoſſervanti per caſſargli dal ruolo de' Confratelli; la formazione del Boſſolo de' nuovi Officiali, e finalmente la deliberazione de' corpi della Confraternita da darſi in affitto, coltura, locazione, o riſpoſta al più offerente, da farſi ſempre colla precedente affiſſion degli Editti, e con offerte ſigillate, e con il neceſſario Iſtromento, o apoca in forma legittima ſtipulata, ſotto pena di nullità del contratto, e ſotto le pene arbitrarie contra i traſgreſſori. Avvertaſi però, che ſenza le legittime facoltà tali locazioni non oltrepaſſino un triennio, ſotto le pene ſtabilite *contra alienantes bona Eccleſiaſtica*.

